



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

### Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

### About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

WIDENER LIBRARY



HX H3EV T



ML 6 592.1













PETRI LOTICHII SECUNDI  
SOLITARIENSIS  
POËMATA OMNIA,

QUOTQUOT REPERIRI POTUERUNT, EDITIS AUCTIONORA  
ET LONGE EMENDATIORA.

Accedunt

EJUSDEM P. LOTICHII SECUNDI

Narratio Historica de Caede MELCHIORIS ZOBELLI, Episcopi Herbipolensis.

Epistolarum Libri Duo: Vita P. LOTICHII a diversis Auctoribus descripta.

Adoptivorum Libri tres, & Virorum Doctorum Elogia ac Testimonia de LOTICHIO.

*Omnia ex codice MS. a JOH. PETRO LOTICHIO ad novam editionem adornato,  
& collata prima editione Parisina ac Voegeliana,*

*recensuit, Notis & Praefatione instruxit*

PETRUS BURMANNUS SECUNDUS.

T O M. II.



*A. von der Laan del. et sculp. 1728.*

A M S T E L A E D A M I  
Ex OFFICINA SCHOUTENIANA. A°. C13 13 CC LIV.



MLL 392.1(2)

Harvard College Library

Bowle Collection

Gift of

Mrs. E. D. Brandegee

Nov. 9, 1908.



AMERICAN LIBRARY

OF THE HARVARD COLLEGE LIBRARY

**PETRI LOTICHII SECUNDI  
HISTORICA NARRATIO**

**DE CAEDE**

**REVERENDISSIMI PRINCIPIS**

**D. D. MELCHIORIS ZOBELLI,**

**HERBIPOLENSIS EPISCOPI, ET ORIENTALIS  
FRANCIAE DUCIS,**

***E COLLECTANEIS***

**SIMONIS SCHARDII I<sup>c</sup>.**

**PRODUCTA**

**A**

**JO. PETRO LOTICHIO.**

MLL 592.1(2)

Harvard College Library

Bowie Collection

Gift of

Mrs. E. D. Brandegee

Nov. 9, 1908.



MADE IN U.S.A.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

**PETRI LOTICHII SECUNDI  
HISTORICA NARRATIO**

**DE CAEDE**

**REVERENDISSIMI PRINCIPIS**

**D. D. MELCHIORIS ZOBELLI,**

**HERBIPOLENSIS EPISCOPI, ET ORIENTALIS  
FRANCIAE DUCIS,**

***E COLLECTANEIS***

**SIMONIS SCHARDII I<sup>c</sup>.**

**PRODUCTA**

**A**

**JO. PETRO LOTICHIO.**





## D E C A E D E

\*D. MELCHIORIS ZOBELLI;  
EPISCOPI HERBIPOLENSIS.

**E**tsi in tanta perditorum hominum audacia, et hac infinita scelerum omnium impunitate, minime tutum sit, magnarum et variarum rerum sui temporis casus atque eventa literis mandare, propterea, quod in Veritate simultas maximopere extimescenda est. Tamen, cum intelligerem, non apud finitimos tantum nostros, verum etiam apud eos, qui longe absunt, de crudeli et miserabili caede Reverendissimi et Amplissimi Principis *MELCHIORIS ZOBELLI, Episcopi Herbipolensis, et Franciae Ducis*, multa, partim falsa fictaque, partim etiam contumeliosa, disseminatis dispersisque hominum sermonibus, jactari, facere non potui, quin rem totam, ut gesta est, breviter exponerem, ipsumque, (si possem) mortuum, pro meo erga illum officio et pietate, in bonam hominum existimationem vindicarem. Persuasum autem velim esse omnibus, me, non ad alienae voluntatis arbitrium, sed libero et sincero iudicio, haec scribere aggressum, nec, ut dolori meo serviam, quemquam, contumeliae causa, libertate orationis perstringere: abest hoc a natura mea, abest a moribus plurimum. Sic tamen existimo, multos bonos, et amantes patriae, ejusdem sceleris cogitatione, quam me ipsum, gravius ac vehementius interdum commoveri.

A 2

Non

\* Elegantem hanc Lotichii descriptionem caedis immanissimae M. Zobelli Herbipolensis Episcopi, ex Tom. III. Collectaneor. Sim. Schardii descriptam, caeteris Patrum sui magni operibus subungere destinaverat Joh. P. Lotichius: itaque nos eam hic desiderari noluimus: praesertim cum solutae orationis stylus Lotichianus ad puritatem Ciceronianam compositus hinc elucescat. Hujus Zobelli ita cum laude meminit Joh. Hagius in vita P. Lotich. p. 499. *Melchior Zobelius, praesul Wirzburgicus, Franciae dux optimus ac fortissimus, qui belli fortunam & summam (ut hominum certorum veris sermonibus accepimus) non dubitavit obiecto suo corpore, vitaeque discrimine propriae cum hoste decernere pro vita civium.* Caedem ejus & sicariorum conjuratorum scelus, licet nomen Zobelli non exprimat, innuit Camerarius in Dedicat. ante Poëm. Lotich. Erasmo Neufletero inscripta, ubi de obitu D. Stibari: *Neque quam multorum eventum tristitiam declinaverit ille obitu suo, cum atrocissimi facinoris unius nuncium, quo profecto maerore confectus fuisset, mortis oportunitate effugeret, scelerata aggressione nefarii latrocinii interfecit Principe, qui in maximis calamitatibus gubernans patriam pericula gravissima vitaverat, & cum quo D. Stibarus propemodum aequali conjunctissime vixerat.* Historiam ipsam detestandi facinoris memorat G. Fabricius lib. IX. Saxon. Illustrat. p. 121. & seqq. Thuanus lib. XXI. Histor. §. IV. p. 709 Ed. Lond. & ex eo Struvius in Syntagm. Histor. Germ. Diff. XXXIII. pag. 1400. ubi & alios auctores, qui caedem hanc descriperunt, laudat.

Non enim haec unius tantum hominis privata calamitas existimanda, et a Principum reliquorum periculis segreganda est, praesertim cum non desint, qui immaniſſimum hoc facinus ita verbis extollant, ut imitari cupere plane videantur. Atque hoc quidem in tam ancipiti rerum motu, dum variis passim terroribus et periculis, non solum externis, verum etiam domesticis, Imperium concutitur, et ad interitum penitus impellitur, quantopere praecavendum sit, nemini obscurum esse potest. Qua enim ratione, in tam nefaria latrocinandi consuetudine, et inveterato praedandi usu, omnique militiae disciplina inquinata et perversa, dum nemo militaribus praeceptis obtemperat, tot imminentibus malis, et calamitatibus, obviam ibimus? Quibus satis firmis praesidiis, sublatâ Principum autoritate, in tanta animorum defectione, et diffidentia, quantam alia aetas nulla umquam vidit, afflictae Patriae opem et auxilium afferemus? Proditiones, et clandestina cum hostibus pacta, non pertimescimus? Sic enim a majoribus accepimus: *In re militari virtutem multum valere, tum plus etiam disciplinam.*

Sed de his, quando ea non sunt muneris nostri, viderint ii, penes quos rerum omnium potestas est: nos vulnera haec Reipublicae aperire et ostendere possumus, curare non possumus. Nec vero ab instituto meo alienum esse puto, si, antequam ad factum ipsum veniam, pauca prius de interfecti Principis familia, de moribus, et natura, totoque vitae genere, dicam, quibusque initiis hae tantae in illum acerbissimi odii procellae excitatae fuerint.

Natus est MELCHIOR ZOBELLUS in Orientali Francia, provincia virtute majorum maxime libera, honesto apud suos loco, patre Equite Franco, a quo liberaliter educatus, et eruditus (ut ea ferebant tempora) in disciplinam traditus fuit, qui teneriores ejus annos alerent, instituerentque ad virtutem. Sed cum eo tempore contemtae jacerent literae, ac bellicae potius virtutis commendatione summa omnia homines consequerentur, aetate corroborata, cum laboris patientissimum, et ad omnem famis et frigoris tolerantiam firmatum, corpus haberet, ad initia rei militaris discenda animum applicavit. Nec ita multo post, tumultuantibus passim in Germania Rusticis, in Arce Herbipolensi (in quam se, cum multis aliis fortissimis viris, duce Friderico Brandenburgico, Ecclesiae Praeposito, ad Reipublicae auxilium, intulerat) omnem obsidionis difficultatem, ac periculum, perpessus est. Difficillimis deinde temporibus infestissimo Turcarum exercitu Pannoniam, foede et crudeliter vastante, militatum illuc abiit, ubi et in perpetiendis laboribus, et adeundis periculis, magni atque excelsi animi illustre specimen dedit. His peractis rebus, perhonorifico domi Sacerdotio praeditus, in omni vita modestus, continens ac temperatus, extitit, nihilque tam amplum fuit, quo non ille in primis dignus judicaretur. Itaque Decanatum, ob singulare pietatis et religionis studium, consecutus, Conrado a Bibra Episcopo vita functo, in ejus locum, maxima omnium ordinum laetitia ac gratulatione, successus est. In eo dignitatis gradu locatus, etsi multas sibi propositas difficultates videret, Rempublicam tamen libere et sine metu administrabat, amicitiam &

et pacem eum vicinis colebat, nihil, quod ad devinciendas amicitia hominum voluntates pertineret, omittebat: Juris aequabilem tenebat rationem, suorumque civium commodis, utilitati, saluti, quibuscumque rebus poterat, confulebat. Amabant in eo homines, inter caeteras virtutes, summam lenitatem et mansuetudinem, spectatos mores, animum ab omni cupiditate remotum, nullaque malevolentia suffusum: aditus ad illum omnibus patebant, magna in audiendis admittendisque hominibus facilitas, nullus in negotiis neglectus, in decernendis expediendisque rebus diligentia singularis, et in verbis fides. Ex Religionis autem dissidiis atque offensionibus magnum animo capiebat dolorem, deque iis, legitimis potius deliberationibus, quam armis, decerni, omnemque hanc labem & confusionem nostri temporis sanari, vehementer optabat. Itaque cum Paulus IV. Pontifex Rom. ex omni regione orbis terrarum viros doctos Tridentum, ad Concilium habendum, vocasset, in quo tot incommodis, quotidianisque detrimentis subveniretur, quamprimum illuc contendere, operamque Reipublicae Christianae suam navare statuebat; idque fecisset omnino, nisi e medio eum cursu impendens patriae discrimen, quod ille tum animo providebat, revocasset. Unde apparet, quantopere veterem ille disciplinam, ac sanctitatem pristinam, revocari, moresque infectos emendari ac corrigi concupiverit. Confectis rebus necessariis requiescere ubi volebat, animumque ex laboribus reficere, librorum lectione sacrorum, in primis et eorum, quibus virorum illustrium expressi mores, natura, consilia, et res praeclare gestae continentur, mirifice delectabatur: coeli etiam motum, ac Lunae et Solis vias, ortus et obitus siderum ab earum disciplinarum peritis audire ac mente complecti, magnitudinem terrae metiri, locorum situs, urbes, fluvios, maria portusque, explorare solebat. Si vero majoris aliquid otii nactus esset, id in venatione lubentius ac saepius consumebat, cum quod eam exercitationem honestissimam semper habitam non ignoraret, tum etiam ut valetudinem, qua satis firma utebatur, ex laboris consuetudine et patientia confirmaret: in quibus tamen animi oblectationibus ita versabatur, ne quod interea Reipublicae tempus eriperet.

Concitatum deinde fuit acerbissimum et calamitosissimum bellum, cum homines Potentes, nova quaedam spectantes, per tot annos conservatam Episcoporum dignitatem, et Juris administrationem funditus extinctam cuperent, sibi in hac Imperii inclinatione, omnia licere existimarent. In ejus belli initio, antequam res ad manus pervenisset, quid ille non fecit? Quibus aut sumptibus, aut laboribus pepercit? Quas non condiciones hosti proposuit, ut sibi populisque suis pacem redimeret atque otium? Posteaquam vero omnia, quae ad leniendos hostium animos accommodata esse viderentur, nihil profecissent, Deum primum Optimum Maximum, ac homines contestatus, invitum se ad arma cogi, summa virtute universam belli molem, cum confoederatis, excepit, injurias illatas propulsavit, hostem fudit fugavitque, omnesque fortunae injurias, ac varietates incredibili animi magnitudine superavit. Nulla tamen interea eorum, et exactionum acerbitate populum pressit, nisi quam periculosissi-



ma patriae tempora , et extrema prope necessitas , non postulare modo , verum etiam flagitare , videretur. Sed universa eorum temporum historia cum publicis literarum monumentis consignata sit, ad memoriam hominum sempiternam, nihil dicam amplius : quod, etiam si vellem, sine acerbissima praeteritorum recordatione non possem.

Ex illius belli reliquiis cum quidam, facto omnium fortunarum naufragio, pedem ubi in suo ponerent, non haberent, militari primum insolentia turbas facere, discordias alere, saltus & itinera latrocinii infestare, postea etiam, quod hoc vivo bonis, quae per dedecus amiserant, frui se posse diffiderent, desperatione rerum suarum, & domesticis vulneribus impulsu, consilia de optimo Principe interficiendo agitare clam inter se coeperunt; ad quod facinus perficiendum audacia illis numquam defuit, occasio semper defuit. Manabant tamen haec interea in vulgus, multorum oculi, atque aures, eos excursores observabant, ipsumque Principem, ut in se custodiendo plus aliquantum diligentiae poneret, monere & hortari non desinebant. Sed is, ut animo erat alto, minimeque suspicioso, & ad pericula confirmato, adduci non potuit, ut aut timeret, aut crederet, tantum scelus in hominem cadere posse. Huc accedit, quod nullas illi inimicitias, nullum periculum denunciaverant; & paucis ante diebus, interposita Principum Electorum, ipsiusque inprimis Romani Imperatoris auctoritate, sic inter partes convenerat, ut de tota controversia per certos homines amice disceptaretur. Itaque, pactis quasi induciis, nullum in urbe praesidium, nullas viarum ac portarum custodias habere, paucis comitatus ex Arce quotidie per loca in suburbano, ad fraudem maxime opportuna, descendere: qua una in re parum putatur cautus providusque fuisse. Et hoc quidem loco consideranti mihi varios casus, & ludibria fortunae, ad quae nascimur, verum videri solet, quod a veteribus crebro usurpatum fuit: *Diem, & horam magnas saepe clades afferre: cum uno quasi momento omnium vis malorum, atque calamitatum impetus conspirat atque irrumpit. Et, si penitus has fortunae vicissitudines considerare volumus, Profecto humana vita miseria est.*

Pridie itaque Iduum Aprilis quindecim nefariae illius conjurationis Socii \* (quorum ego nomina vel nescire volo, vel non dicere) in urbem se vesperi, una cum mercatoribus, intulerant, partiti inter se diversoria, ut

\* Nefariae hujus conspirationis princeps fuit Gulielmus Grumbachius, eiusque socii praecipui Gulielm. Stenius, Albertus Rosebergius, Ernestus Mandelavius, Justus Zetvicius, Hieronymus Brandesteinius, Christophorus Kretzenus, David Baumgartenerus, Theodorus Pichtius. Christianus Pontanus, alique plures, quorum nomina hic notamus, quia silentio ea involvit Lorichius, vel indignos censuit, qui posteritati innotescerent; omnes non e plebe viri, sed praecipuae nobilitatis, qui in caput antistitis Zobelli hanc conjurationem machinati sunt, quia legatum a Conrado Bibraco Episcopo uxori suae relictum Grumbachio solutum non erat, qua de causa etiam interrenti Zobelli successori lites & turbas continuata conjuratione moverunt. Sed quomodo ab Imperatore Ferdinando, ejusque successore Maximiliano II. filio, proscripti, capti, & capitalibus suppliciis adfecti fuerint, fuse enarrat Georg. Fabricius lib. IX. Saxon. Illustrat. pag. 121—126.

ut eo melius omnium insidiarum suspicionem vitarent, neve vino obruti vocem aliquam, indicem conjurationis, emitterent. Luce orta Princeps, rerum omnium ignarus, nihilque, nisi de commodis ac salute suorum populorum, cogitans, secundum usitatum morem institutumque majorum, in urbem venit, animo tamen praeter solitum, quasi divinatione quadam de propinqua morte, maesto ac conturbato.

Quem ejus maerorem aliud etiam insuper ostentum, quod non ita pridem acciderat, tunc in mentem illi veniens, vehementer auxit. Ipsis enim Calendis Januariis in Curiae vestibulo, scalarum gradus ascendens, in calvam humani capitis, a nemine eorum, qui praecesserant, observatam, pede impegerat. Quod cum aliquid gravius portendere illi visum esset, magnus animi terror pavorque inceserat. Ad misericordiam deinde, & fragilitatis humanae recordationem, conversus, puero, ut tolleret eas reliquias, sedibusque suis reconderet, mandaverat: Deumque Optimum Maximum, ut illud omen inane esse vellet, precatus erat.

Haec igitur cum mente tunc revolveret, & aliud ex alio incideret, solitoque ipse appareret taciturnior, domestici quidam & familiares, ut in urbe eo die pranderet, animumque a molestiis abduceret, admonebant. Verum, ubi nulla ratio nullumque consilium vim fati superare potuit, in Arcem reditum ut conficeret, equum conscendit. Quod a duobus praecursoribus & emissariis animadversum cum esset, insidiatoribus, ut locum ante caperent, renunciatum iverunt. Fluvius est Moenus, urbem Herbipolim, (quae totius regionis caput est) in plano sitam, interfecans. Ejus utramque ripam pons lapideus conjungit. Ultra pontem oppidum est, publicis privatisque aedificiis & templis pulchre exornatum, habitatoribus autem non adeo frequens; tuti ex omni parte receptus, ad dextram declivem per locum ad flumen patens & liber aditus, ubi & aquatio est, & e regione, paulo editiore in parte, diversorium. Ibi hostes Principem opperiebantur, apta ad tempus simulatione, quasi vinum eo ex diversorio peterent, ferreamque soleam equi ungulae inducerent.

Itaque, cum jam hora fatalis ignominiosae caedis advenisset, Princeps, in locum insidiarum delatus, ubi tot simul armatos, equis insidentes, totiusque corporis habitu, armorum, & vestium usu terribiles, in se unum conversos, vidit, ad primum quidem conspectum nonnihil commotus, animo tamen celeriter confirmato ulterius progressus, cum unus ex iis satis humaniter venienti se obtulisset, benigno eos vultu salutavit. Hic (proh Deum atque hominum fidem!) ille latronum dux & princeps, caeteris immanior, ardentibus scelere & furore oculis, ex insidiis inermem, nec opinantem, aggressus, *moriendum esse*, magna voce proclamavit. Suosque cohortatus, ne quemquam elabi sinerent, ipse, immanis belluae modo, in Principem irruens, pila, igneo pulsa tormento, pectus ejus trajecit, eodemque ictu humerum sinistrum perfregit. Tum demum omnes reliqui, novo clamore sublato, in perterritos, ut quisquis proximus erat, imperum facere, cadere, tum armorum telorumque conflictu, crebrisque tormentorum emissionibus tecta viaeque resonare, equi ferocitate exultantes concurrere, omniaque proterere, viri fortes & strenui ad terram

ram rucere, gemitusque morientium audiri; quo spectaculo in libera & pacata civitate, post hominum memoriam, nihil est umquam visum indignius. Princeps, gravi accepto vulnere, per clium, fabulo & silice stratum, in Arcem properabat, hostem ad portas jam esse, urbisque excisionem ac vastitatem moliri, existimans, ita ut unumquemque habebat obvium, portas claudere, arma capere, urbem ab everfione defendere, interruptis & morientibus vocibus, hortabatur: donec ad extremum sanguine fere omni profuso, per suorum, ex Arce venientium, humeros ex equo sublatuſ est.

Morienti Joannes Sinapius Medicus, magno vir ingenio, magna doctrina, & in hac ingreſcente jam aetate, ſuavitate cum morum, tum orationis prope ſingulari, ſuprema pietatis officia praestitit. Namque & humo jacenti pallium ſubſtravit, & dulciſſima commemoratione Paſſionis & Meriti Dei & Conſervatoris noſtri JESU CHRISTI, pie conſolatuſ eſt, ſuiſque interfeſtoribus ut ignoſceret admonuit. Ad quae Princeps, cum jam ipſa in morte oppreſſa vox eſſet, ad coelum oculos ſuſtollens, annuit, humileſque inter arbuſculas, nudo in ſolo, tot oppidorum ac populorum Princeps, extremum ſpirituſ, a ſuperveniente tamen Sacerdote a peccatis rite expiatus, ſine gravi ſenſu doloris, exhalavit, animamque Deo, a quo acceperat, reddidit. Corpus, pulvere, tabo, & ſanguine atro conſperſum ac foedatuſ, miſerabile ſpectantibus rerum humanarum exemplum praeſtuit. Paucaſ deinde poſt horas Jacobuſ Fuchſ, cubiculariuſ Principiſ, Eques Francuſ, candoriſ & probitatiſ exemplar, tribuſ ictibuſ conſoſuſ, deceſſit. Wolfganguſ Caroluſ a Wenkhaim, praefectuſ, perſoſſo ſiniſtro latere, uſque ad xv. Calend. Maji ſpirituſ produxit: fortiſſimi graviſſimique viri, qui honeſte occumbere, quam fidem in Dominuſ ſuam tam neceſſario tempore deferere, fatiuſ atque priuſ putaverunt. Vulnerati etiam alii viri nobileſ, digni genere & majoribuſ ſuiſ, Fridericuſ Baro a Graſeneck, David a Rodt, Chriſtophoruſ Voyt a Rhieneck. Paucoſ, qui arma capiendi, ſeſeque defendendi, tempuſ non habebant, fuga reliquoſ a caede fecit.

Hoſteſ, abſtruſarum valliuſ periti, citatiſ equiſ per portam (quam ſocii inſederant, ut ſuiſ tuto ſe recipiendi facultatem darent) eruperunt, fiſtulaſque ſuaſ ferreac, in ſummo jugo, pulvere & pilis denuo inſarcire conſpecti ſunt, nemine proſuſ eoſ inſequentem, cum neque intelligerent homineſ, quid in tanta tam repente quaſi offuſa eorum animiſ caligine, fieri deberet, aut poſſet, & equiteſ ſuoſ Princepſ eo die ablegaffeſ, ut mercatoreſ, per fineſ ſuoſ iter facienteſ, Rittingam oppiduſ uſque perducerent.

Signo tumultuſ ab iis, qui in ſpeculiſ erant, dato, civeſ, incendiū excitatuſ rati, ad illud extinguentiuſ armati per vicoſ diſcurrebant, magniſ, ut fieri ſolet, clamoribuſ. Caede Principiſ nunciata maefuſtuſ repente omneſ ſilentiuſ, horrorque, tenuit. Mox, ſinguliſ tam acerbū nunciū domū perferentibuſ, tota urbe ſletuſ gemituſque fiebant, cum nulluſ eſſet, cui non afflictae patriae charitaſ lachrymaſ eliceret. O ſortem Principuſ miſeram & calamitoſam! O inanem & fallacem hominuſ ſpem!

spem! Quis est, qui aut cogitando explicare aut verbis exprimere satis commode, satisque graviter, tantam rerum atrocitatem queat? Hostibus tamen, ea crudelitate nondum satiatis, sanguinemque adhuc humanum sitientibus, ad quindecim millia passuum ab urbe Johannes Zobellus, Eques Francus, Principem genere contingens, optimus vir, Graecis & Latinis literis apprimè eruditus, forte fortuna, obvius fuit; priusque in eos incidit, quam, quid factum esset, audivisset. Hic ille homo ater, Terrae filius, qui praedandi ac latrocinandi praecepta aliis tradit, immani specie, tamquam jubatus Draco, collum torquens, ut praeterito sceleri quasi cumulum quemdam adjiceret, nihil hostile opinantem adortus, pila e tormento igneo emissa, latus circa umbilicum subito perripit, & ex equo deturbavit. Dextram deinde fidei testem poscens, dextrae suae, omni scelere ac perfidia contaminatae, junxit, & hoc quasi jurejurando, ut sese ad diem, & locum, quo vellet, ipse sisteret, astrinxit. Captum contra morem, contra omnia conventa & pacta militaria, spoliavit, equos tres, annulos, torquem aureum, pecuniam, vi eripuit.

\* Sic optimum ac innocentissimum Principem, qui etiam a cruore hostium castum se & impollutum semper exhibuerat, nihilque umquam violenter aut superbe in quemquam constituerat, repentina vis inmanissimi sceleris oppressit. At ille quidem, qui, dum vixit, omnes suas spes in Deo collocatas habuit, ex misera hac vita in aeternam vitam sublatus, in coelo nunc, quo ab unigenito Dei filio JESU CHRISTO verum nobis iter ostensum est, felix beatusque aevo sempiterno, & bonis omnibus refertissimo gaudio, fruitur. Nobis autem ipsa fortasse temporis diuturnitas doloris afferre levationem poterit, memoriam certe clarissimarum ejus virtutum delere non poterit. In aeterna laude versatur Epaminondas, quod, post devictos armis Lacedaemonios, gravi accepto vulnere, & hasta, qua transfixus erat, e corpore nondum evulsa, cum exanimari se videret, a flentibus suis quæsierit, *Clypeusne salvus est? Salvus est! Evelle spiculum miles, ut eo vulso beatus moriar.* Praeclara vox Imperatoris, in victoria fufus hostibus animam exhalantis, pro clypeo, cujus fideli ea in pugna opera usus fuerat, solliciti. At Princeps noster non de clypeo, sed de vita fortunisque suorum civium, de conjugibus, parvisque eorum liberis, anxius, ipsa in morte, supremis vocibus, quam chara sibi esset patria, ostendit. Cujus quidem pietatis suae fructum pulcherrimum tulit, quo die solemni pompa funeris elatum universa civitas veris lachrymis, amplissimisque laudibus profecuta est.

## B

## Liceat

\* Caedis hujus Principis Zobelli, quod supra notare omisi, ita meminit Joh. Franciscus Ripensis in elegantissimo Itinere Francico, inter Lotichii Adoptiva,

*Airx, alto construâ jugo, supereminet urbi;*

*Et rigui liquidas despicit omnis aquas.*

*Cujus in acclivi Zobellus tramite Princeps*

*Occidit ante suam proditione diem.*

*Heu scelus, heu crudele nefas! quis barbarus ausus*

*Praefulis innocui tingere caede manum!*



Liceat autem mihi, propter criminolos quosdam obtrectatores, hoc loco quaerere, ab illo Titanum fratre, duce latronum: Quae tanta ejus in te injuria extitit, ut non captivum eum faceres, abduceres, sed sanguinem ejus concupisceres? et proVectum jam aetate Principem, cui quantulum, quaeso, vitae reliquum erat, jugulares? Quid fecerat? Quid peccarat? Quid commeruerat? Uxori, inquit, meae, quam Conradus a Bibra Episcopus haeredem scripserat, nihil ex testamento solvit, propterea, quod plus legatum esset, quam per leges capere illi liceret. Me, cum arma contra eum tulissem, vitae insidiatus essem, pagos incendissem, ac diripuisssem, bonis omnibus exturbavit, socios meos caedes impune facere non permisit, in animadversione ac poena durior fuit. An haec non satis magnae ad jugulandum Principem causae videntur? Haec sane tua est praeclara oratio, tantique tui sceleris defensio? Quid, si ne ad criminandum quidem satis idoneas esse has, a te commemoratas, causas, convincam? Scilicet enim Principem, a te crudeliter, (ut levissime dicam) atque nefarie trucidatum, familiae suae emptorem fecerat Conradus Episcopus? Pecunias, publicis usibus destinatas, difficillimis Reipublicae temporibus ad privatos paucorum usus, eorum potissimum, qui vitae suae, & communi libertati, insidiarentur, convertere jusserat? Scilicet cuiquam hominum quicquam eo ex testamento solutum umquam, & uxor tua praeterita sola fuit? Scilicet ad Principis non pertinet officium ac munus, iis, quibus decet, suppliciis homines sceleribus prope innumerabilibus contaminatos, afficere? Eos, qui privatos non violant modo, sed suo, quem colere deberent atque revereri, Principi manus afferre conantur violentas, omnibus orbare suis bonis atque fortunis? Qua in re quantum Principi mitis suus animus atque clemens obfuerit, quantamque causam interitus intulerit, ipse, qui & stultorum semper, & sapientissimorum nonnumquam magister est, eventus satis ostendit.

Quae cum ita sint, jactare tamen, quasi praeclaro gesto facinore, cervices audent: & quia tacent homines, sese vicisse opinantur. Quibusdam etiam immanissimum facinus placet maxime, quibusdam, qui meliores haberi volunt, non admodum displicet. Siccine hodie vivitur? Istane divini humanique Juris maximae erit nobis felicitatis loco ducenda confusio? Eritne in armis, & sceleratorum hominum libidine, posita praestantissimorum etiam Principum salus atque vita? Proh! Deum atque hominum fidem, in quae tempora incidimus? Quo nunc me conferam? Quo veritam? Quem implorem? Tene, dive Ferdinande Caesar? Cujus illi Imperii auspicia humana victima, hospitis tui sanguine, contaminaverunt? An vos appellem, Principes Electores, custodes Legum, defensores Libertatis? Vos, vos, inquam, Fortissimi viri, summis in id viribus incumbere decet atque eniti, ut ista probra & dedecora patriae, otii & concordiae hostes, ad caedes tantum praedamque nati, qui omnia vestrae dignitatis & Imperii jura atque exempla violant, corrumpunt, atque everunt, poenas Diis hominibusque meritas debitasque persolvant, ut vi cohibita & Principum autoritas, & hic Reipublicae status, qui nunc est, qualiscunque est, conservetur. Fundamentum ad futura mala jactum est: multi-

multique, (ut initio dixi) aemuli ejusdem audaciae, suam imitandi illius sceleris voluntatem palam indicant. Quo magis a vobis providendum est, ne perniciosam hanc interficiendi Principes viam patientia vestra muniat. Confidimus etiam, Deum Opt. Max. (si modo ii erimus, qui esse debemus) contra nefaria ac consecretata latronum consilia, novasque minas, praesentem nobis auxilium laturum. Cujus quidem in hoc etiam non dubiis significationibus singularis elucet benignitas, quod, in tanta Reipublicae orbitate, optimum nobis Episcopum ac Ducem Fridericum Wirspergium, amantissimum patriae, maximi animi, summi consilii, singularis prudentiae, & quod caput est, flagrantem Christianae pietatis studio, donavit: quem domi forisque spectata virtus ad illud dignitatis fastigium evertit. Nec vero vobis, Ferdinande Caesar, vosque Principes Electores, officio suo deerunt fortissimi gravissimique viri, quos luctus societas conjungit, ipsaque pietas, & familiae decus, ad expetendas domesticis sanguinis poenas, excitabit.

Quod ultimum est, hoc magna voce iterum atque iterum contendo: Nisi in tanta rerum confusione, dum armorum strepitu aures nostrae undique perfonant, remedium aliquod extiterit, & sublata latrocinia, caedes repressae, agris & itineribus securitas restituta fuerit, diutius hoc Imperium, quod armis, & virtute, plurimoque sudore majores nostri pepererunt, stare non posse. Ipsos autem pacis & concordiae hostes, qui tanta scelera facere consueverunt, admoneo (si pati possunt) atque obtestor, ut tandem aliquando hanc diuturnam audaciae suae crapulam edormiant, & ab isto quasi pelago & exilio immanitatis suae ad sobrietatem, & rectae rationis portum redeant, & patriam amare discant, nec hominum inter ipsos societatem impediunt. Quod si omnino pergere decreverunt, Dii faciant immortales, salva illi Republica funditus evertantur.



PETRI LOTICHII SECUNDI  
EPISTOLARUM

LIBRI DUO.

*COLLECTI*

A

JOH. PETRO LOTICHIO.

PETRI LOTICHII SECUNDI  
EPISTOLARUM  
LIBER PRIMUS.

EPIST. I.

PHILIPPUS MELANCHTHON  
PETRO LOTICHIO,  
ECCLESIAE SOLITARIENSIS ABBATI.

**R**euerende Domine! Nomen Ecclesiae tuae nunc universae Ecclesiae congruit. Nunc enim videmus coetum amantem veritatis, quam alias, solitarium esse, hoc est, sine humanis praesidiis. Sed tenemus eas consolationes, quas Deus toties Ecclesiae tradidit: *Ego gestabo*, inquit, *ego feram vos in senecta*. Qua descriptione significat, majorem fore imbecillitatem senio confectae Ecclesiae, & tamen se nobis adfuturum esse, ut non dubito. Petrus tuus magno ornamento est Academiae nostrae, ut edita ab ipso Carmina ostendunt. Ac vicissim libenter nos ipsum ornabimus. Adolescentem Gelnhusensem praedicat mihi Petrus: Et ego studia ejus inspiciam. Mitto tibi Libellum Historicum, cuius lectionem spero tibi non ingratam fore. Bene & feliciter vale. Die XIII. Augusti.

EPIST. II.

JOAN. FABRICIUS MONTANUS,  
GEORGIO ALTO, & JOANNI ALTO,  
GERMANIS FRATRIBUS.

**J**oannem Altum, fratrem vestrum, propter veterem, quae mihi cum eo fuit, consuetudinem, carissimum semper habui; propter singularem vero, quam in eo perspexi, probitatem, & modestiam, feci etiam plurimi. Fuit is ingenio tam festivo & urbano, ut bonorum virorum (ad quos modo pervenit) omnium studia voluntatesque certatim in se provocaret. Minime ergo mirum est, si, quem omnes amarunt, ego tanto arctius sum complexus, quanto familiarius hominem praecaeeteris cognovi.

B 3

Seq

PETRI LOTICHII SECUNDI  
EPISTOLARUM

LIBRI DUO.

*COLLECTI*

A

JOH. PETRO LOTICHIO.

PETRI LOTICHII SECUNDI  
EPISTOLARUM  
LIBER PRIMUS.

EPIST. I.

PHILIPPUS MELANCHTHON  
PETRO LOTICHIO,  
ECCLESIAE SOLITARIENSIS ABBATI.

**R**euerende Domine! Nomen Ecclesiae tuae nunc universae Ecclesiae congruit. Nunc enim videmus coetum amantem veritatis, quam alias, solitarium esse, hoc est, sine humanis praefidiis. Sed tenemus eas consolationes, quas Deus toties Ecclesiae tradidit: *Ego gestabo*, inquit, *ego feram vos in senecta*. Qua descriptione significat, majorem fore imbecillitatem senio confectae Ecclesiae, & tamen se nobis adfuturum esse, ut non dubito. Petrus tuus magno ornamento est Academiae nostrae, ut edita ab ipso Carmina ostendunt. Ac vicissim libenter nos ipsum ornabimus. Adolescentem Gelnhusensem praedicat mihi Petrus: Et ego studia ejus inspiciam. Mitto tibi Libellum Historicum, cujus lectionem spero tibi non ingratam fore. Bene & feliciter vale. Die XIII. Augusti.

EPIST. II.

JOAN. FABRICIUS MONTANUS,  
GEORGIO ALTO, & JOANNI ALTO,  
GERMANIS FRATRIBUS.

**J**oannem Altum, fratrem vestrum, propter veterem, quae mihi cum eo fuit, consuetudinem, carissimum semper habui; propter singularem vero, quam in eo perspexi, probitatem, & modestiam, feci etiam plurimi. Fuit is ingenio tam festivo & urbano, ut bonorum virorum (ad quos modo pervenit) omnium studia voluntatesque certatim in se provocaret. Minime ergo mirum est, si, quem omnes amarunt, ego tanto arctius sum complexus, quanto familiarius hominem praeter caeteris cognovi.

B 3

Seq

Sed & Petro Lotichio Secundo (cujus intercessione Marpurgi in meam familiaritatem primum pervenit) adeo charus fuit, ut liquido affirmare auisim, amiciorem ei utroque nostrum fuisse neminem. Haec autem conjunctio nobis tam fructuosa & jucunda extitit, ut nihil deinceps a quoquam nostrum sit praetermissum, quod ad voluntates nostras copulandas & confirmandas pertinere videretur. Studium praeterea, quo singuli ducebamur, unum, tantum ad amorem nostrum vinculum attulit, quantum nulla temporis accessio, nulla aetas, asferre potuisset umquam. Sic aliquamdiu conjunctissime viximus, donec gravissimum Germaniae bellum hanc nobis felicitatem ex manibus quasi extorsit. Sub idem tempus Lotichius in Galliam secessit. Frater vester se mecum Tigurum recepit: ubi & Carmen de Nuptiis meis, quibus interfuit, juvenis admodum conscripsit. Ex illo tempore mira eum cupiditas invasit Italiae visendae, quae nullis amicorum precibus, nullis idoneis argumentis, mitigari aut sedari potuit. Sed, quod animus ei nescio quid praesagiret mali tunc quoque, cum ultimum mihi vale diceret, lachrymis testabatur uberrimis, quam aegre a nobis avelleretur. Discedens autem rogabat me, ut defuncti memoriam, si quid humanitas sibi in via accidisset, fidelissime conservarem: quamque sibi vivo benevolentiam praestitissem, eandem erga vos quoque fratres suos, si quando res ita postularet, non invitus declararem. Post haec digressus oculis nostris numquam est redditus. Vix autem Bononiam pervenit, ut postea ex litteris clarissimi viri Marii Socini cognovimus, (huic enim a filio Laelio, erudito & pio viro, perquam humaniter fuerat commendatus) cum procul a patria, suorumque complexibus, diem obiit supremum. Etsi autem Carmen suum, si vixisset, emendaturus fuerat, ut tamen fratris vestri, meaeque conjugis, quae non diu post vixit, aliqua etiam extaret memoria apud posteros, malui incorrectum potius in lucem emittere, quam penitus suppressere. Carmen minime est laboriosum, quod quantopere probem, in praesentia non dico. Hoc autem affirmare auisim, si ad naturalem hanc facultatem major doctrina temporis progressu accessisset, eum doctissimos quosque Poëtas aequiparare, aut etiam superare potuisse. Nunc, cum immatura mors tam fertile ingenium nobis invidit, hanc tamen primam foeturam minime aspernabimur. Sed vos appello, Ornatissimi Adolescentes, apud quos credibile est aliquam etiam fraternae indolis residere imaginem, quam vos tanto majore studio, & diligentia excolere debetis, quanto majorem apud omnes bonos sustinetis expectationem fraternae industriae imitandae & consequendae. Quam vos expectationem ne deseratis, summa ope enitimini, ut, quod fraterna mors nobis derogavit, id virtus vestra abunde refarcisse videatur. Valete. Tiguri, Helvetiorum metropoli, Calendis Martiis, Anno a Christo nato M. D. LVI.

J O A N.

## E P I S T. III.

JOANNES SAMBUCUS,

TIRNAVIENSIS,

HENRICO STIBARO,

EQU. FRANCO.

**A**micitia, jam in Galliis constituta, facit, ut non solum te mecum tacitus amem, verum etiam publice compellem, huncque libellum tibi commendem. Ac tamen non ignoro, vel quanti tu ingenium Poëtae, cum aliis, merito semper feceris, vel quantum ille te diligat: quia tamen luctus & doloris publici non modo ille testis esse cupit, sed etiam amplificator, atque adeo tutor memoriae in aeterna laude versantis: Idcirco cum tuo nomine divulgandas has Elegias arbitratus sum, non equidem ut te in lachrymas deducamus, quas recentes & acerbissimas tibi accidisse, omnibusque bonis, intelligo: sed ut exordium testatae, & gratiosae, voluntatis erga defunctum esse cogitares. Faterur Lotichius, se longe amplius liberalitati & cineribus Danielis Stibari jure debere. Sed cum, aliis rebus impeditus, certe languore & molestia, de coelo spirituque Bononiensi contracta, nunc praestare majus, quodque mente informarat, non potuit. Cujus rei testem me addo, quem & contubernii paene societas, & studiorum omnisque vitae necessitudo, illi conjunxit. Itaque patiamini, quaeso, hanc qualemcunque significationem moeroris concedi mortuo, qui ad sempiternam domum discessit. Neque putetis ita satisfactum dolori privato, sed in aliud tempus reservari, quantum quisquam in hanc societatem luctus allaturus umquam est. Vale, ereptique Patruī mortem aequo animo feras: cujus salus hoc certior est, quod ipsius preces apud eum, qui ultro viam salutis munivit ac ostendit, faciliores semper fuisse credimus. Bononiae, Calend. Aprilis, Anno M. D. LVI.

## E P I S T. IV.

JOACHIMUS CAMERARIUS,

PAPENBERGENSIS,

PETRO LOTICHIO SECUNDO.

**H**oc anno amici filiam Martham: quae mihi quo fuit charior, co tristius desiderium sui moriens reliquit. Postea nunciata fuit mors Jacobi Micylli, qui prior tamen decessisset. Veniam det pietas: non multo levio-



leviorem dolorem sensi animo meo singularis amici migratione ex hac vita, quam dilectissimae mihi filiae. Anni sunt triginta octo, ex quo notitia & usus inter nos familiaris necessitudinis contractus est. Interea nihil est intermissum ab utroque, quo & aleretur, & confirmaretur amicitia. Adde consensionem de Religione, & studiorum similitudinem. Ut me isto casu mocrere necesse sit. Vidi autem his diebus versus elegantissimi Epicedii tui, in quo cum eam mentionem mei fecisti, quam, si optio daretur, fieri maxime voluissim, ago gratias tibi. Me quidem & aliae curae, & tristitia ipsa, nondum passa est aliquid commentari, atque describere, quo celebraretur memoria amici mortui. Etiam Bagmani morte sumus admodum perturbati. In vicinia sepelierunt nuper & Janum Cornarium Medicum, virum sane doctum, & longo tempore familiariter mihi notum. Sed ista series est rerum in terris, *νῦν ἔσται, πρόσθεν δὲ ἕτεροι, μετέπειτα δὲ ἄλλοι*, ut nos facimus, alludentes ad Laconicam cantilenam. Nostrae domi morbi infesti erant uxori, & filiae. Caetera veteri fere in loco. Contentiones quorundam hic nondum sopiuntur, *καὶ πέρφασσι σέβας ἔστι, τὸ δὲ ἀτρεκέϊς ἔχθρῳ ἀπιστον*, secundum Gregoriani versus sententiam. Salutes velim D. Michaëlum, & cacteros amicos. Vale, III. Id. Aprilis.

## E P I S T. V.

## I D E M E I D E M.

**P**raedicavit Philippus filius meus officia humanitatis tuae. Qua re magnopere in multis molestiis, & curis recreatus sum. Et memoria enim necessitudinis nostrae mihi voluptatem attulit, & spem fecit virtus, atque sapientia & doctrina tua, de nostra conjunctione fructum aliquem ad meos perventurum esse. Qui utinam ita se gerant, ut tua, tuique similitum, benevolentia non indigni reperiantur! De quo, quid optem, habeo, quid fiat, Deo scilicet est permittendum. Quem oro, ut nos benigne respiciat. De his igitur haecenus. Quid post meum discessum in Vangionibus agatur, actumve sit, non audiebatur. Ego Wurceburgum transii cum desiderio maximo amici veteris, & recordatione consuetudinis nostrae, & aliarum rerum consideratione: de quibus scribendum non est. Etsi autem cogitando varia non leviter perturbabar animo, neque commorandum in itinere erat diutius, tamen ad aedes Stibarianas sum percontatus de domino! Negabant eum adesse. Idem respondebatur de D. Erasmo. Perrexi quasi confusus rationibus nostris, & postridie in patriam inde huc veni, ubi adhuc desideo, & conor explicare quaedam tam hic, quam illic: sed non multum proficitur. Ideo opera datur a me, ut, relictis omnibus, ad studiorum nostrorum tractationem quam primum revertar. Si interdum litteras tuas ad me miseris, erit id mihi pergratum. Peucerum nostrum, caeterosque amicos, salutari cupio verbis meis. Vale.

E P I S T.

PETRUS LOTICHIUS SECUNDUS,  
JOACHIMO CAMERARIO,

P A P E N B E R G E N S I.

**E**t si verebar, ne quid tibi literis meis molestiae afferrem, Clarissime vir, a quo nihil, nisi accurate & per otium scriptum, legendum est: tamen cum scribendi ad te mihi causa esset, fretus & humanitate tua, & benevolentia, qua me nuper tam amanter complexus es, non dubitavi abs te petere, quod & unice cupio, & mirifice exopto. Danieli Stibaro Equiti Franco ut notus esse cupiam & commendatus, te jam tum, cum ejus literas coram D. Praeceptore Philippo Melanchthone ostenderes, perspexisse arbitror. Cum autem tu de eo humanissime mihi receperis, oro te atque obsecro, Vir Clarissime, ut literas, ad Stibarum scriptas, cum puero meo, quem ad vos misi, ad me perferri cures; comites enim nactus per Halam iter facere cogor, alias praefens ipse a te eas efflagitarem. Otio mihi adhuc ad aliquot annos opus est, cujus mihi spes isthic ostenditur. Majus igitur mihi beneficium dare nullum potes, quam si literis me tuis, ad Danielelem scriptis, apud quem plurimum vales potesque, notum feceris, & cohonestaris: quod ut facias, vehementer etiam atque etiam te oro. Dabo operam, ut apud memorem & gratum beneficium a te positum esse intelligas. Mitto tibi Elegiam, de Natali meo proxime a me scriptam, quam in fine hujus libelli invenies. Eam ut una incultis his cum literis boni consulas, valde te rogo. Bene vale, Vir Clarissime, & me tibi commendatum habe. Witebergae, xi. Calend. Decembris Anno M D. XLIX.

E P I S T. VII.

I D E M E I D E M.

**M**itto ad te, Clarissime vir, & patrone observande, libellum Carminum meorum, quem D. Stibaro inscripsi; non, quod lecturum hic quicquam te putem, quod ingenium tuum limatum & politum delectare possit, sed ut, memoriam me beneficiorum tuorum sanctissime conservare, intelligas: quamvis jam diu scribendi officium praetermiserim, quoniam tardissime hinc omnia ad vos perferuntur. Nulla ingenii lumina, nullum ornatus florem invenies: omnem enim animi commotionem & alacritatem illam haec tempora nobis eripiunt. Si quid igitur erit, quod doctissimas aures tuas offendant, malitiam horum temporum accusabis, & me apud Clariss. virum D. Danielelem, pro singulari humanitate tua, defendes.

C

fendes. Si tranquillitas erit, dabo operam, ut proxime elegantiora, & paulo maturiora ad vos mittam. Pueri nostri mediocres jam in litteris progressus faciunt. Georgius etiam pueros & suavissimos versus cudit, quorum aliquando egregium apud te dabit specimen. Spes mea nisi medio in cursu frangatur, D. Danieli abunde satisfaciam. Tu ut commendatum me habeas, valde te rogo. Lutetiae Parisiorum, Nonis Julii, Anno M. D. LI.

## EPIST. VIII.

## E I D E M.

**G**othae cum essemus ego, & Stibari tres, una cum Dimaro & Georgio nostro, in puerum tuum bona fortuna incidimus, magnamque ex ejus praesentia & sermonibus cepimus voluptatem. Nam &, ubi tu esses, & quid ageres, nobis significabat, & de itinere etiam docebat. Nos, jussu D. Stibari, apud quem dies quinque in thermis posuimus, Lipsiam recta contendimus. Nunc te, mi optime atque humanissime vir, & praeceptor observande, oro atque obsecro, ut, si fieri poterit, Neopyrgi nobis conveniendi tui facias potestatem, ne Lipsiae, te absente, rebus impeditis haereamus. Nos ante mensem Galliam reliquimus. Caetera coram. Haec puero summo mane, admodum festinanti, dedi. Ignosce, quaeso, lituris. Salutant te Stibari amanter: D. Praeceptorem officiose salutamus. Gothae, xxxii. May, Anno M. D. LIV.

## EPIST. IX.

## E I D E M.

**U**t in Italiam, absolvendorum studiorum causa, irem, Clarissime vir, & praeceptor observande, honestissime a D. Stibaro dimissus sum. Qua de re gratias ago tibi, quas debeo, maximas, qui testimonium mihi probitatis in litteris tuis tribueris. Solem mihi videre visus sum novum, & totam mundi faciem hilariorem, postquam iis carere molestiis coepi, quae antea non obruebant me tantum, verum etiam conficiebant planissime. Nunc otio tantum abundo, quantum semper optavi. Audio Medicos magna cum voluptate viros doctissimos, & Robertellum historias, & Aristotelem, interpretantem. Patavii igitur aliquantisper subsistere decrevi. Sed, quicquid egero, faciam te certiorum. Paulus Manutius Livium nunc, & in eum castigationes, magna cura excudit. Oden Poëtriae Sapphus, ab eodem Aldo proxime excusam, si non aliunde nactus es, scribas! Curabo, ut ad vos quamprimum perferatur. De Senensibus, & rebus Venetis, ex hoc Doctore Valentino intelliges, viro honesto & erudito. Alexander quidam Farnesius Card., mirabili celeritate usus, maximam vim omnis generis comeatus in urbem importari fecit. Unde in  
spem

spem veniunt Senenses, obsidionem tolerari posse diutius. Veneti Genuenses commeatu juerunt. Qua re effectum est, ut Turcici praefecti omnem importandi frumenti aditum Venetis praecloserint. Carius igitur vendi coeperunt omnia hic etiam. Sed haec ex Valentino melius. Conjugem tuam, lectissimam feminam, & liberos honestissimos, saluta plurimum, meque, ut soles, ama. Bene Vale. Patavii, IV. Non. Januarii, Anno M. D. LV.

## E P I S T. X.

## E I D E M.

**S**i per valetudinem mihi licuisset, qua longo jam tempore incommoda, atque etiam plane infirma, usus sum, Clarissime vir, non commissem, ut officium in scribendo meum atque observantiam erga te considerares. Qua ego ita te colo atque veneror, ut non ad proximos tantum accedam, sed etiam, qui me in eo superet, habeam plane neminem. Etsi autem nondum eram plane mihi restitutus, cum haec scriberem, tamen, cum subvererer, ne aliquam tibi voluntatis commutationem afferret diuturnum silentium meum, reddendam tibi putavi rationem intermissionis litterarum, & ut dixi, officii mei. Cum enim tu primus apud Stibarum in gratia me posueris, ad bonas artes quasi manu traduxeris, florentem semper videre volueris, nisi ego ad te amandum atque observandum, quasi alterum Stibarum, sensus meos omnes contulero, impius sim, atque indignus tot studiis & benefactis tuis necesse est. Sed de his alias. Stibari nostri quid agant, quos in bonis litteris magistros habeant, plane ignoro. Ego, limacum ritu, meo mihi in posterum succo victitandum esse video. Itaque Heydelbergam cogito, si litterae D. Philippi, quibus me Principi Electori commendavit, id, quod jam diu parturiunt, feliciter aliquando pepererint. Sed occupatus haecenus Princeps ac domo etiam abfuit. Agit causam meam Generosus D. Comes ab Hanaw, qui neptem Electoris ante biennium matrimonio sibi conjunxit. Sed non ignoro, quantum tuis litteris, ad Erasmus Minguicium scriptis, commodare mihi possis; idque ut facias, quod sine molestia tua fiat, etiam atque etiam abs te peto. Ex innumerabilibus tuis in me beneficiis hoc mihi erit longe gratissimum. Vale. Solitariis, ipso die natali Domini & Servatoris nostri Jesu Christi.

## E P I S T. XI.

## E I D E M.

**C**um Wirzburgum venissem, Clarissime vir, praeceptor observande, & tabellarium, qui ad vos iret, essem nactus, facere non potui, quin brevibus saltem te compellarem, ut intelligeres, nominis me  
C 2 tui

tui memoriam summa cum fide conservare. De rebus vestris certior factus sum a D. Tilemanno, qui a D. praeceptore, ad constituendas apud nos Ecclesias, missus est. Sed, Deus bone, non modo nulla Ecclesiae forma constituitur, sed & ea, quam de Scholae reformatione spem jamdudum conceperamus, plane nos fallit. Quod nisi multa alia sibi praesidia compararent, litterae eas prorsus viderent esurientes. Magna illa vis pecuniarum, quae undecumque corraditur, iis potissimum praeda est, qui, propter opinionem litterarum, Principibus cari sunt & commendati; omnia bonarum artium studia, quique iis se dediderunt, nunc non solum negligunt, verum etiam prorsus impediunt atque contemnunt. Princeps noster in Thermis adhuc valetudinem curat, quo incio perturbantur omnia. D. Micyllo, qui Graecarum litterarum Professor fuit, nemo adhuc successit. Nominati fuerunt, qui vocarentur, D. Horstanus J. U. D., & S. Castalio, qui Basileae nunc degit, & alius quidam Gallus, qui Argentorati Medicinam exercet. Hi tamen omnes, propterea quod docti sint, & eruditionis nomine celebrati, haecenus impetrare nihil potuerunt. Caetera; quae apud nos gerantur, non dubito fama ipsa jam diu apud vos esse pervulgata ac trita. Haec scripsi apud amplissimum, tuique ac familiae tuae studiosissimum virum, D. Eralinum Neustetter, patronum ac hospitem meum. Tu ut pro singulari humanitate tua literis, festinanter exaratis, ignoscas, etiam atque etiam abs te peto. Deus opt. Max. te, cum honestissima conjuge, & universa familia, conservet incolumem! Bene Vale. Wirzburgi, xxi. Junii, Anno M. D. LVIII.

## E P I S T. XII.

P E T R O L O T I C H I O,  
 A B B A T I S O L I T A R I E N S I,  
 P A T R U O,  
 P E T R U S L O T I C H I U S S E C U N D U S.

**D**iu jam est, quo litteras non modo a vobis nullas, sed ne rumorem quidem ullum, accepi, Patruè carissime, cum tamen ego ad vos de omnibus rebus & frequenter, & copiose perscripserim, si modo in illis fides fuit, quibus ad vos eas perferendas dedi. Ego in Monte Pesulano, celeberrima Medicorum Schola, jam diu vixi, quo nihil studiis meis accidere potuit accommodatius. Quapropter, Sanctissime Antistes, majorem in modum a te peto, ut, pro singulari tua erga me benevolentia, pecunias mihi, de quibus proxime scripsi, mittere non graveris, ut, si ex Gallia fortassis abeundum mihi sit, honores in facultate Medica consequi prius possim, & cum laude ad vos reverti. Turpissimum enim judico expectationem de se concitasse, eamque propter pecunias sustinere non posse. Tu & mihi optatius, & tibi, nostrisque omnibus utilius & honorificentius  
 facere

facere nihil potes. Sed haec haecenus. Summa hic est pax & tranquillitas, nec Mare nostrum admodum jam infestum est. Regis summus est in Germanos favor, immunitatesque illis maximas, nullo postulante, concessit. Loco autem hoc nihil amoenius, nihil cogitari potest salubrius. Carminum meorum Liber Secundus Lugduni (ut mihi nunciatum est) excuditur, quem ad vos, ubi accepero, quamprimum mittam. Hyemem nullam habuimus, & per menses quinque unicum tantum modo pluviam. Massiliae maximus navium apparatus est, quibus Rex plurimum valet. Sed de his alias Ego me tibi, carissime D. Patruë, tuisque precibus commendo. Clarissimum Virum, D. Erhardum Crispum Lic. meo nomine salutes. Haec negligenter scripsi, nondum satis ex recenti morbo refectus: Tu igitur ut boni consulas, valde te rogo. Datae in Montepesulano, Idibus Februarii Anno M. D. LII.

## EPIST. XIII.

## E I D E M.

Postquam in Italiam veni, Reverende D. Antistes, Patruë colendissime, nihil prius faciendum mihi putavi, quam te omni mearum de rerum statu facere certiore. Certos tamen homines haecenus habere non potui, fui enim occupatissimus, ut fieri solet, in rebus meis componendis, cum Patavii mansissem, ibique, quod superesset hyemis, transigere cogitarem. Incidi tandem in hunc Ornatiss. Virum Adolphum a Glauburg J. U. Doctorem, cui has, ad te perferendas, dedi. Est enim vetus mihi cum ejus cognato Joanne a Glauburg necessitudo, qui hic mecum vivit conjunctissime. Studiorum meorum ratio ea est, ut magnam in spem veniam, si per valetudinem licuerit, me expectationem multorum etiam superaturum esse. Alacrior etiam ad studia capeienda nunc sum, eoque amplius, quod ea totis illis mensibus quinque, quibus in Germania fui, propter continuas peregrinationes, omiseram. Hac etiam de causa factum est, quod ante discessum meum domum, ut constitueram, venire non potui. Timebam enim, ne, si asperior in Alpibus hyemis saevitia ingrueret, a litteris tota illa hyeme abessem. Venetias veni quarto non. Novembris, ipso die Natali meo, postridie Patavium, ubi nunc vivo. D. Danielis, viri Clariss., opera nulla in re mihi defuit. Careo praeterea iis molestiis, quae prius a studiis me avocabant: solus sum, solique mihi & meis studiis rectissime inservio. Nunc, quod superest, totum me tibi studique mea commendo. Triennium, si potero, in Italia ponam: & omnia malo perpeti, quam ut ipse mihi defuisse videar. Has litteras per nautas Venetias mitto, qui festinabant. Qua de causa fit, ut D. Sigfrido affini suavissimo nihil scribam, neque Christiano fratri. Apud D. Stibarum circa Cal. Januarias litteras habebitis, de omnibus rebus copiose scriptas. Interea omnes & singulos saluto plurimum. Sorori carissimae, & sororis filio, salutem dico. Bene vale, observande D. Patruë, & te nobis omnibus quam diutissime serva incolumem! Patavii, XIX. Novembris, Anno M. D. LIV.

## EPIST. XIV.

## E I D E M.

**M**ensis jam elapsus est unus, Reverende Antistes, Patruæ observande, cum de rerum mearum statu & angustia, qua premor, certiores vos reddidi, sperans fore, ut mature eae vobis litterae transmitterentur. Jam igitur in expectatione sum quam maxima, neque vereor, quin a Dignit. tua rebus meis prolixè consultum sit atque prospectum. In Stibaro, viro gravissimo, meique amantissimo, omnem spem habebam prope repositam, quo praesidio dejectus, in medio peregrinationis meae cursu, ad Dignit. tuam confugiam necesse est. Gloriosum erit tibi, Reverende Antistes, atque ad omnem posteritatem hominum sermonibus celebrabitur, tuis auspiciis, quasi e gremio tuo, prodiisse homines, nullis opibus fultos, quorum monumenta cum doctissimorum hominum in eo genere lucubrationibus comparari possint. De me nihil tale promittere facile ausim, (sum enim meae mihi imbecillitatis conscius) neque tamen hoc scribo, de me dico: sed in maximam spem venio, fore aliquos, qui, nostro exemplo invitati, majori id cum laude perficiant, quod nos, propter temporum iniquitatem, non potuimus assequi.

*Hanc ego jam movi palmam, superare nepotes  
Concertent, genti cedere dulce meae.*

Sed haec neque temporis huius sunt, neque epistolae. Confido autem, non defuturam aliquando occasionem testificandi animi erga te mei, ut omnes homines intelligant, tot tantaque beneficia in immemorem, vel ingratum, minime esse collata. Nunc autem consolor me pollicitationibus Dignit. tuae, cujus voluntatem ex Christiani fratris, & suavissimi Affinis litteris proximis intellexi. Quod si per sumptus id fieri possit, Florentiae etiam hac aestate in Xenodochio publico Artis opera exercerem, deinde Autumno sequente ad vos me conferrem. Sed non audeo quicquam amplius a Dignitate tua petere, a qua omnia maxima multis jam annis mihi tributa sunt. Litteras vestras, quod superest, avidissime exspecto: quas ubi accepero, quid acturus sim, faciam vos certiores. Romam & Neapolim nondum vidi: quas urbes perlustrare constitui, priusquam Italia excedam. Interea Deus Opt. Max. vos omnes conservet incolumes. Salutem plurimam D. Siphrido, fratri, sorori carissimae, & amicis omnibus. Bononiae, XIII. Januarii, Anno M. D. LVI.

EPIST.

## EPIST. XV.

## E I D E M.

**C**uram tuam ac sollicitudinem de valetudine mea, Reverende Antistes, Patruæ observande, ex litteris, quas Wurtzelius noster attulit, luculenter perspexi: ac dolui, meam tibi imbecillitatem moerorem attulisse, cui ego & solatio & voluptati esse debeo, & cupio. Nihil a me praetermittitur, quod ad confirmandam valetudinem pertinet. Exercent me quaedam reliquiae medicatae potionis, quam in Italia hausi. Sed haec Deo opt. Max. jam diu commisi. De Schola ita est, ut volumus, nec displicebit, opinor, Dignit. tuae ratio, quae a nobis inita est tum de pueris publice, tum etiam de ordinandis, privatim instituendis. Consilium de professione Heydelbergam valde probo, & idem mihi dudum in mentem venit. Sed & tempestates fere continuæ, &, fluminum inundationes, tum etiam valetudinis me imbecillitas, hactenus deterrent. Quod si commode potero, accingar itineri circa Mercurii diem proximum, aut ad summum Jovis: quod si etiam non potero, faciam Dignit. tuam certiore. Solitariis, III. Non. Febr. Anno M. D. LVII.

## EPIST. XVI.

## E I D E M

PETRO LOTICHIO,  
ABBATI SOLITARIENSI,

## PATRUI:

## PETRUS LOTICHIVS SECUNDVS.

**S**cripseram ad Dignit. tuam jam bis, Reverende Antistes, Patruæ observande, cum exoptatissimæ litteræ tuæ mihi sunt redditæ. Priores litteras per nuncium, forte fortuna oblatum, transmissi, alteras per Micillum, cum Hanoviam proficisceretur. Non igitur dubito, quin de statu rerum mearum jam diu omnia habeas explorata. Schola fere nulla est: neque enim aut Doctores, aut discipuli officium suum faciunt. Ego Hippocratis Aphorismos publice interpretor, idque facturus sum ad Reformationis usque tempus, si modo ulla futura est reformatio. De Melancthonis adventu magna spes erat, & multorum etiam expectatio, sed Aulae consensum impetrare non potuit: nec ipse quidem multum laboravit, cum  
in



in his etiam locis opinionum & sententiarum diversitatem metueret, seu divinaret potius. De Colloquio magna adhuc spes est. Illustriss. Princeps noster Francofurtum se conferet his diebus proximis ad Conventum Principum. Ecclesiarum status in his regionibus tranquillus est, Deo sit laus, & Theologiae studium mediocre, quantum quidem ad tradenda Religionis capita satis sit. Te istic & bene valere, & tranquille vivere inprimis opto. Reliqui apud Christianum fratrem litteras meas Testimoniales, de quibus superioribus litteris Dignit. tuae scripseram. Eae ut quam primum ad me perferantur, plurimum mea interest. Habetur enim in constitutionibus Scholae, ne quis sine Testimonio oblato Professor in Facultate nostra fieri possit. Vehementer igitur a Dignit. tua peto, ut eas mature ad me perferri curet per hominem diligentem & certum. Nicolaus in officio est, seque Dignit. tuae offert promptum ac paratum, quocumque tempore opera sua uti libeat. Existimat tamen, idque recte meo iudicio, melius se aliorum studiis consulere posse, si ipse prius aliquam sibi eruditionis facultatem comparasset. Retinui Wendelinum diutius propter occupationes meas. Princeps enim, cum in Thermis sit, suos secum Medicos abduxit. Proxime, Deo volente, plura. Bambergius meo consilio Baccalaureus fiet: cui si Dign. tua aliquos aureos commodabit, optime beneficium collocabit. Ego etiam illi non deero. Spero hominem nobis ornamento fore. Litteras, ad D. Philippum & Peucerum scriptas, vellem diligenter aurigis commendari. Nollem enim in aliorum manus venire. Deus Opt. Max. Dignit. tuam nobis quam diutissime conservet incolumem! Heydelbergae, xxviii. May, Anno M. D. LVII.

## E P I S T. XVII.

PETRUS LOTICHIVS SECUNDUS,  
CHRISTIANO LOTICHIO,

## F R A T R I.

**P**atavium veni ipso die Natali meo, ibique remansi, cum Valentinus noster Romam pergeret. Ei, ad vos redeunti, has breves dedi cum Annulo, quem is tibi reddet. Annuli tres sunt, invicem sibi cohaerentes, quos ut meo nomine feras, & boni consulas, fraterne te rogo. Ego vere proximo Romam cogito, & inde Neapolim, ubi hyemem Deo volente, transigere decrevi. De rebus meis D. Valentinus certiores te faciet. Brevior igitur nunc sum, proxime plura. Tu ut ad me & saepe, & prolixè scribas, valde te rogo. Puto pecunias a M. Fissero tibi esse transmissas, de qua re exspecto tuas litteras. Bene Vale, mi frater, & quibus censebis id gratum fore, meo nomine istic salutem dic. Patavii, iv. Januarii Anno M. D. LV.

E P I S T.

## E P I S T. XVIII.

ERASMUS NEUSTETTER,  
 COGNOMENTO STURMER,  
 PRAEPOSITUS CHOMBURGENSIS,  
 E Q U. F R A N C U S.  
 PETRO LOTICHIO SECUNDO.

**D**e adversa tua valetudine, D. Lotichi amantissime, reddidit me certiorum Micyllus noster. Quam molestae mihi fuerint litterae illae ac graves, verbis exprimere non possum, tu tamen pro nostra conjunctione conicere potes, qui jamdudum animum studiumque perspectum habes erga te meum. Confortat me tamen, in tanta morbi vehementia, temperantia tua, atque rei Medicae magna cognitio: quae ambo diligenter ut observes, plurimum erit ex re tua. Nam medendi artem te ideo addidicisse arbitror, ut primum tibi ipsi, quicquid opis in illa esset, accommodares, deinde amicis ac necessariis, & ultimo aliis. Verum, consilio meo te opus habere minime, scio: hanc tamen admonitionem amicitia nostra attulit. Vehementer autem a te peto, ut, viribus paulum collectis, me hic, aut Wircepurgi, convenias, & animi recreationis causa, & professionis deliberandae, quae nobis infra decem menses suscipienda erit. Habebimus comites Huttenum, Wartzdorffium, Friburgium, Bocherum, & alios, viros bonos, nobiles, & doctos, tibi que acceptos, cum quibus etiam ad alium orbem transire non dubitarem. Tanta commoditas nobis non erit negligenda. Valetudinis tuae, & rerum omnium tuarum statum ad me scribas, aut, si propter virium imbecillitatem minime valueris, per aliquem fidum ex tuis familiaribus facies. Commisi etiam tabellario, quem citius ad te mittere non potui, ut sine mora ad me rediret: illum ne detineas, plurimum rogo, ut quam primum de te fiam certior. Alteras litteras D. Gasii nunc ad te mitto, ex quibus benevolentiam animumque, bene erga te affectum, cognoscere potes: haud dubie gratissimum esset, si illa de re, de qua scribit, certior redderetur. Reditum Micylli in dies expecto. Bene vale, & valetudinem tuam diligenter cura! Chomburgi, III. Id. Aprilis.

D

EPIST.

## E P I S T. XIX.

C A S P A R P E U C E R U S

P E T R O L O T I C H I O S E C U N D O .

**C**arissime frater ! Doctori Tilemanno Heshusio proficiscenti ad vos hanc dedi epistolam , non quod existimarem commendatione ad te illi opus esse , qui antea cognoveris eum , sed ne sine meis ad te litteris accederet. Socer accurate monuit , quid facere eum deceat , & oporteat. Confido etiam , quod consiliis recte monentis & fideliter sit obsecuturus. Micylli obitum magis deploro , quam cujusquam. Illo extincto tibi praecipua cura gubernationis studiorum Philosophicorum incumbet : quam si tu neglexeris , quid de Academia sit sperandum magnopere , non video. Nobis circumseptis undique rabiosis canibus aures complentur allatratu perpetuo. Nec video , quis alius sit finis , latratus sedaturus istos , quam interitus & deletio omnium ad internecionem. Quam & prospicientes , & metuentes , salutem nostram Deo commendamus. A te , ex quo universus sum , nihil accepi litterarum , nec de tuis rebus cognovi quicquam. Bene & feliciter vale. xxiii. Martii.

## E P I S T. XX.

E I D E M.

**D**olui vehementer , frater carissime , abfuisse me tunc , cum ad nos excurrisses. sed , quia hic conspectu mihi tuo & colloquio frui , ut optaram , non licuit , dabo operam , ut prima quaque occasione , suscepta ad vos profectioe , voti isthinc compos mei fiam. Has litteras dedi M. Paulo Pffingero , optimi & reverendi senis Doctoris Pffingeri filio , expetenti colloquium tuum : cui ut te solita humanitate tua praebeas praestesque facilem , praesertim si quid homini , locorum istorum imperito & cognoscere cupienti aliquid , sint quaedam spectatu digna demonstranda , oro. Bene & feliciter vale. xvi. Septembris.

## E P I S T. XXI.

E I D E M.

**C**larissime D: Doctor , frater carissime ! Apud Xenophontem dicit quispiam , Lacedaemonios ita demum facile vinci posse , si domi distrahantur , sicut apes dissipantur fumo facto sub alveolis. Id astute faciunt *οι ἀνταγωνισαί* nostrorum , etsi Xenophontem pauci , aut nulli , legerint.

gerint. Flagitarunt condemnationem eorum, de quibus inter nostros haëtenus contentio fuit. Ad hanc flagitationem sequuta est τῶν ἡμετέρων συμμάχων διαίρεσις, quae quantopere laceratura sit jam ante grassans in Ecclesiis nostris vulnus, experiemur cum periculo nostro, & miserae posteritatis summo discrimine. Deum oro, ut servet alicubi aliquas Ecclesiae suae reliquias, quae conjunctis ac consentientibus animis ipsum vere confiteantur & celebrent. Non est orta haec disjunctio nostrorum aliunde, nisi ex caeca ambitione & immanibus odiis, quae, qui discesserunt, adversus aliquos conceperunt. Idque nec tibi ignotum est. Nos interea colamus inter nos veteris amicitiae jura constanter & religiose, ac simus conjuncti vera animorum benevolentia, quam omni erga te officiorum genere tueri ego studebo in perpetuum. Quamprimum licuerit, excurram ad vos. Bene & feliciter vale. Micylli casus omnes nos turtavit graviter. Socer, cum nihil aliud posset, misso epistolio eum consolatur. Meo nomine salutem ei dices, &, vere me calamitate ipsius domestica affici, significabis. xxiv. Septembris.

## EPIST. XXII.

## E I D E M.

**C**arissime frater, quae consului tibi de conjugio, ita ab optimo & tui amantissimo profecta esse animo, certo tibi persuadeas. Nec me spectasse aliud cogites, quam ut tibi quam optime prospiceretur. Si ergo mores puellae probas, facias, quod e re tua fore censueris, & occasionem hanc non negligas. Quid ad te, qualis ille sit, quem accusas, quamquam aut quare sis offensus, aut quid desideres in eo, vel accuses, non explicaris. Neque ego eum aut familiariter, aut ex aliorum sermonibus novi, cum mihi haëtenus & de facie, & nomine, fuerit ignotissimus. Sin contra aut abhorres a conjunctione illa, aut causis moveris aliis, ut differendum tibi conjugium putes, vel quaerendum aliud, significes uno nobis verbo, ne expectatione, quam concepit fortasse puella, frustretur sua. Intelligis, commodissimum fore utrique, si non pro te essent res, ut, quae utrinque tentata sunt, sopiantur. Mitto tibi Epitaphium carmen, quod focui scripsi meae. Id ut recudas & corrigas, oro. Bene & feliciter vale, & per hunc tabellarium responde. viii. Novembris.

## E P I S T. XXIII.

PETRUS LOTICHIUS SECUNDUS,

JOANNI LANGIO,

ARCHIATRO PALATINO.

**H**ominis natura, Joannes Langi, vir Amplissime, moderatam amat quietem, qua alitur & quodam quasi cibo reficitur: cujus quidem otii maximus, aut uberrimus est fructus animorum ab honesta delectatione petita relaxatio. Cum itaque, in his caloribus, iis ego voluptatibus carerem, quibus abundant alii, in hortos interdum suburbanos ex urbe me conferebam: ubi, ab omni alia cura & cogitatione solutus ac liber, cum veteribus amicis, humanioribus nempe studiis, quibus, aliis occupationibus impeditus, plurimam jamdudum salutem dixeram, in gratiam redibam, idque exemplo potissimum commotus atque incensus tuo. Etsi enim, post tot tantorumque laborum defunctiones, in hac etiam ingravescente jam aetate, propter exquisitam doctrinam, multarum rerum usum, ac singularem industriam tuam, nondum abdicata Medicinae opera, occupatissimus esse solcas: tamen, si quando breve requiescendi spatium nactus es, id omne tu cum Musis, quae puerum te aluerunt, suavissime consumis: nec Poëtarum solum lectione, quemadmodum virum, elegantissimis litteris expolitur, decet, plurimum delectaris, verum etiam ipse interdum ex te promissum aliquid, quod ad veterum in eo genere laudem ac suavitatem proxime accedat. Mitto igitur ad te Nicrum meum, carmen per se quidem tenue, nec in id a me confectum, quod Illustrissimi Principis divinas laudes, quas mente ac cogitatione melius complectimur, exprimere me posse confiderem: Sed ut darem aliquod saltem interea perpetuae meae erga Illustrissimum Principem voluntatis testimonium, donec aliquid per otium excuderem, quod si minus dignitati tanti Principis ac gloriae responderet, animi tamen mei cupiditatem ac propensionem adaequaret. Quod igitur superest, Langi Clarissime, vehementer etiam atque etiam te rogo, ut hoc observantiae erga te meae pignus boni confulas, meque apud Illustrissimum Principem in gratia ponas, commendatione tua subleves, atque autoritate, quantum potes, tuearis. Vale. Heidelbergae, pridie Cal. Sextil. Anno M. D. LVII.

E P I S T.

\* J O A N N E S L A N G I U S ,  
P E T R O L O T I C H I O S E C U N D O .

**A**nnus jam, Petre Lotichi, qui eruditione nulli es secundus, praeteriit, quo Heydelbergam arcessitus es, ut Medicinam publice hic doceres, aegrotis quoque consilio tuo & opera adesses. In quorum cura id tibi vel maxime displicebat, quod vulgus ita Clysteria, & alia alvi purgatoria pharmaca, Venae quoque sectionem, &, ob affuturam crisin, tenuem, vel saltem sobriam, victus rationem abhorreret. Et jure sane tibi Medico perito displicuisse id arbitror. Nam, me judice, nefas homini, & naturae opprobrium foret maximum, animalia rationis expertia suis morbis tempestiva Venae sectione, corporisque purgatione mederi posse, hominem vero horum imperitia perire. Hippopotamus, sagina corporis oneratus, Nilum egreditur, ac veprium aculeis accubat, quibus venam pertundit. Canis, ad iram pronus, ventriculo bile onerato, esu graminis se vomitu purgat. Ibis avis, ciconiae simillima, Aegypto peculiaris, intestinis, esculentorum recrementis nimium fartis, aquam maris, rostro colloque oblongo haustam, in intestina collo retorto eructat, & ea tanquam Clysteri eluit. Quid vero commemorem, quod temporum quoque discrimina ita probe norunt, quidve operis quovis anni tempore moliri debeant? Formica, sagax intempestatum animalculum, interluniis quiescit, plenilunio interdiu noctuque laborat. Nec Halcyones Vergiliarum occasus latet, quo aequore tranquillo ex aculeis piscium, quibus vescuntur, septem ante brumale solstitium dies, nidum, pilae instar rotundum, natatilem, aegre explicabilem, admiranda industria construunt, ac ipsa bruma foetificant: quarum incubantium dies, etiam tum in Siculo freto navigabiles, nautae *halcyonides* appellant. Ex harum nidi luto medicamentum fit halcyonium, quo omnes corporis naevi ac lentigines absterguntur ac obliterantur. Atque haec, quae brutis, ac volucris sunt explorata, & nautis atque agricolis observata, Medicum ignorare non vulgaris incitiae est dedecus. Ob id Hippocrates inquit de Locis, & Aquis: *Medicum maxime oportet observare magnas temporum mutationes, ut nec in illis ulro medicinas exhibeamus, neque, qua circa ventrem, uram aut secum, priusquam praeterierunt dies non pauciores decem.* Periculosissima sunt etiam anni Solstitia, maxime vero aestivum. Periculosum etiam utrumque Aequinoctium, magis vero Autumnale. Oportet autem, inquit, & Astrorum exortus considerare, praecipue Canis, deinde Arcturi, & Plejadum occasum. Morbi enim in his diebus maxime judicantur: alii perimunt, alii

D 3

desi-

\* Exstat haec Epistola edita in J. Langii Epistolis Medicinalibus, elegantia pariter atque eruditione haud vulgari commendandis, Lib. II. Epist. 60.

desinunt, alii in aliam speciem transmutantur. Haec sane partium anni, pro stellarum & siderum, octavo orbi infixorum, occasu, & ortu, discrimina, tempestatumque mutationes, Medico ob id observandas, recte passim Hippocrates monet. Ex harum quippe mutationibus totius anni quoque constitutio explorari potest. Ex qua rectam victus rationem, a morbo vulgari praeservatricem, praescribere, futurosque morbos non ambiguo prognostico Medicus designare poterit: ut Hippocrates mira, sed erudita, Laconum more, brevitate, lib. iiii. de Diaeta, & in Aphorismis docet, & Corn. Celsus, illius vestigiis innixus, lib. ii. uberius explicat. Proinde, cum haec anni tempora a genuina sua, & aëris constitutione degeneraverint, horum permutationes parere morbos in confesso est. Qui si magni, ex humorum circa praecipua viscera obstructione, phlegmone, putredine, vasorum repletionem, aut circa praecordia abscessu, cum febre intruderint: si puerilis aetas, viriumque imbecillitas, & anni tempora, non obstituerint, tum quoque, indigesta humorum corporis mole, venam κατ' ἴζιν, id est, ut Hippocrates ait, e directo, in corpore vero plethorico, etiam ex loci affecti opposito, incidito. Saluberrimum, inquit Galenus, est in febribus secare venam, non in continuis modo, verum in omnibus, quas putrescens humor ex obstructione concitat, praesertim si nec vires, nec aetas vetant. Levata namque onere, quae nostrum regit corpus, natura, nec proprii oblita muneris, id, quod concoctioni non contumax est, concoquet, & id, quod est noxium, & coctione sequestratum, excernet. Eadem ratione purgatio plurimum quoque proderit, etiam morbo adhuc indigesto, si in principio morbi humorum copia redundaverit: Phlegma autem, & utramque bilem levi alvi dejectorio medicamento expurgare. De quorum censu sunt siliqua Aegyptia, Chamar Indorum, mel ex Neapoli aërium, aut vetus Arabum ex rosarum recentium diluto Muccharum: aut his efficacius ex Rheubarbaro & Agarico diluto, in quo Manna dissoluta fuerit: aut saltem alvi excrementa, ac circa lactes, & Mesenterii venas, humorum exuvias Clysteri expurgare: aut, si circa Ventriculum fastidium, nausea, torminave affuerint, tum regurgitantes in principio paroxysmi, in Ventriculum humores vomitu quoque expurgare proderit. Atqui admiratione non caret, quod Avicenna, factionis Medicorum ex Arabia princeps, tutius, post morbi concoctionem, incidere venam, censet. Divinus vero Hippocrates, Medicorum coryphaeus, in Aphorismis nobis edixit: Quum morbi inchoarent, si quid Pharmaco, aut venae sectione movendum videretur, id finire, vel negligere non oportet. Dum autem morbus in statu concoctus consisteret, aut vigeret, satius esse quiescere, censuit: ne humorum concoctio, aut per crisin excretio impedita, alio natura diverteret. Sed dic, amabo, quid opus est in phlebotomea humorum digestionem, dum natura non, ut in crisi decretoria, hanc molitur evacuationem, sed, absque naturae subsidio, solius Chirurgi opera, venae sectio, nullo humorum delectu, aut sequestratione, omnes, qui in venis delitescunt, humores indiscriminatim una aequaliter prolicit? Nulla igitur, in venae sectione, opus est humorum sequestratione, per digestionem facta. Quae si in morbi fuerit principio neglecta, ex sanguine morbo vires & alii

alimentum accrescent. Proinde si causa morbi evacuationem indicaverit, & vires, ac aetas consenserint, tum, nulli dierum numero additus, nec Geminorum, aut alios infaustos Lunae, cum Saturni, aut Martis sidere, aspectus, aut schematismos, id est configurationes, veritus, non sexto modo, vel septimo, sed etiam diebus sequentibus, venam incidito, etiam noctu, si morbus non fert inducias. Si vero morbi materia turget, aut corpus vitiosi humoris sentina oneratum fuerit, praestat certe primum corpus, etiam morbo indigesto, expurgare, ac, si morbus permittit cunctationem, humores digerere concoctione praeparatoria. Concocta enim, venerandus ille ex Coe senex inquit, medicari oportet, non cruda, modo non turgeant, aut intra viscera principalia fluctuent, vel se illis insinuent. Est quippe duplex humorum digestio, quaedam artis beneficio praeparatoria, qua humores, & corpus ad expurgationem praeparantur. τα σώματα, inquit Hippocrates, *χρὴ ὅπως τις βιάται καθείρην, εὐρὺα ποιεῖν*. Id est, *corpora, si quis purgare velit, oportet fluida facere*. Fluida vero redduntur, si meatus obstructi radicum & herbarum decocto, vel electuario, referantur, & humores, lentore ad excretionem contumaces, melicrato, in quo hyssopus, vel utrumque origanum, thymus, aut pulegium, incocta fuerint, quae viscedinem humorum, dissecant ac extenuent, tenues vero admodum & biliosos, praecipue ex catarrhi defluxu, adaequant. Alia vere est digestio naturalis, quae est substantiae alimenti congenita membrorum temperie & proprietate, ac caloris naturalis viribus, praecedente alteratione, in aliam aliti substantiam transmutatio. Est quippe calor naturalis insitus ac divinitus omnis concoctionis opifex, & quasi ἀρχιμάγειρος, in cuius concoctione assidue fit humoris vitiosi a salubri sequestratio, & in die decretorio per crisin excretio: aut, natura deside, reliquiarum per pharmacum commoda expurgatio, quam Hippocrates perbelle lactis, coagulo concreti, secretioni comparat, ac turbationem his verbis appellat: *Εἴσι*, inquit, *depurgetur homo, humore turbato secernitur, quantum ejus, plus quam commodum erat, redundarit. Et habet haec res*, inquit, *similitudinem ad id, quod Scythae faciunt ex lacte equino. Lac enim, in cava vasa lignea diffusum, conquassant*. Illud, dum turbatur, spumescit ac secernitur, & pingue illud, cum leve sit, in superficie consistit: grave vero & crassum deorsum subsidet: quod secretum, siccant, ubi concretum ac siccatum fuerit, id Hippacem vocant. At serum lactis medium locum tenet. Sic quoque fit in homine, dum turbatur humor, quicquid ejus in corpore hominis disparatur, & in superficie bilis consistit, levissima enim est: Secundo loco sanguis, tertio pituita, gravissimus autem humorum omnium est aqua: sic enim atram bilem appellat, quae, veluti fex, in fundo subsidet. Ob id aegre concoquitur, & difficiliter expurgatur, & ob id ex ea morbi chronici, & ulcera chironica, esthiomena, sephiros, cancer, gangraena, polypus, Graecorum ἐφφphantiasis, Latinorum lepra, nascuntur, concoctioni penitus contumacia, quae nullis medicamentis ad suppurationem cogi possunt. Proinde temere agunt, qui mox in principio quartanam febrem medicamentis Catharticis, aut venae sectione, contra Galeni consilium Glauconi datum, curare audent. Sed satis de his dictum arbitror.

Caete.



Caeterum cum haec, Petre Lotichi, tibi dudum tuis notiora fuerint unguibus, tamen si diligens lector eadem malit Graece conscripta legere, is Aëtium Amidaeum, qui ex Antillo Medico universa, quae Hippocrates & Galenus, de digestionem & purgationem docuerunt, erudita brevitate libris tribus perstringit, adire potest: quae tamen & ipsa ut exactius commilitones tui intelligere possint, illud quoque addere visum est. Ut gemina humoris noxii concoctio, ita quoque est gemina illius sequestrati evacuationis. Altera enim est naturalis, quae materiam morbi, naturali calore digestam, in morbi conflictu, natura, corpus gubernante, duce, in diebus decretoriis *κρίσις*, id est, excernit, quam *Crilin* vocant. Est enim *Crilis*, inquit Galenus, *ὁ ὁρίζων ἐν νόσῳ μεταβολή, πρὸς ὑγίαν, ἢ θάνατον. γίνεταί δὲ τῆς φύσεως διακρίσεως ἀπὸ τῶν χύμας τὰ μὲν καλὰ, καὶ παρὰσκευασμένης πρὸς τὴν ἔκκρισιν.* Id est, *Crilis est repentina in morbo aut ad sanitatem, vel mortem, permutatio.* Est enim, natura discernente malos humores a bonis, & noxios ad excretionem praeparante. Expellit autem eos vel sudore, lotio, vomitu, narium haemorrhagia, alvi fluore, per abscessus, exanthemata, aut scabiem. Si vero non fuerint exquisitè purgati, tum alterius evacuationis artificialis, quae pharmacis fit, operam posce vicariam. Ne, ut Hippocrates ait, reliquiae morborum post *crilin* in recidivam succedant. Τα γὰρ ἰγκαταλιμπανόμενα ἐν τῇ νόσῳ μετὰ κρίσιν ὑποσφαιδεύονται. At ea, idem ait, quae iudicantur, & integre iudicata sunt, neque movere, neque novare aliquid, sive medicamentis, sive aliter irritando, sed sinere oportet. Perfecta crisis & indefecta fit in die decretorio, morbo digesto, consopitis quoque tandem morbi accidentibus, ac si appetitus, spirandique facilitas, una redierint, urina quoque lotio sanorum fuerit simillima. Sunt vero in vigenario, acutorum & febrilium morborum, qui per dies censentur, dies alii decretorii, in quibus natura sua sponte, nullo laceffita pharmaco, humores noxios, in digestionem sequestratos, die impari excernit: quos Hippocrates in Prognosticis, unamquamque hebdomadam in duas dividens partes, in quaternarios digessit. Sunt enim dies indicatorii omnes quarti, a die, quā expectatur Crisis. Est enim, ait Hippocrates, quartus septenariorum index. Alii sunt dies provocatorii, qui omnes sunt in morbis, qui impari dierum numero moventur, omnes terni, ut III. V. IX. XIII. XV. & XIX. Alii dies sunt, qui numero pari censentur, & dicuntur vacui, & medicinales, qui in operatione Crisis nec provocant, nec indicant, nec decernunt, & in dierum parium catalogo computantur, ut sunt II. VI. VIII. X. XII. XVI. & XIX. Medicinales dicuntur, quia Medicus in his diebus naturae auxiliares per pharmaca Cathartica manus secure porrigere potest, quae citra periculum in die impari patienti offerre non possunt. Quod Hippocrates, lib. IV. de morbis, his verbis testatum reliquit: *Quod humor in diebus imparibus conturbetur, certa sunt indicia, quod iisdem diebus dolor maxime affligit, & ulcera inflammantur. Et quod, quicumque a febre continua correpti, pharmaco purgatorio in diebus paribus usi sunt, bi nimium purgati sunt numquam. Qui vero in diebus imparibus medicamento forti usi sunt, nimium sunt purgati, & multi perierunt.* Proinde, inquit, priores Medici in hoc maxime peccarunt: medicamenta enim exhibuerunt in diebus imparibus, & homines perierunt: hu-

mor

mor enim in corpore aegroti magis turbatur in diebus imparibus, nimirum humore ad ventriculum protrudente & affluente. Si quis jam turbatum medicamento exhausto magis turbet, addens afflicto afflictionem, nil mirum iis hominem perire. Atqui haec stata dierum crisis tempora Philosophi-Medici proportionem materiae ad causam efficientem metiuntur, quae est virtus corporis regitiva, aut una cum anima calor naturalis, quemadmodum & febrium periodi. Operatio enim causae efficientis a dispositione materiae concoquendae dependet. In morbo salubri, inquit Alexander Aphrodisiacus, tantum materiae putet, quantum a natura concoqui potest. Quum igitur materia coquenda certa sit, potentiam quoque & tempus esse certum oportet. Ad id quoque adjuvat humoris per concoctionem secreti acrimonia, qua virtutem expultricem ad sui excretionem irritat & laceffit. Astrologi vero causam & tempus crisis in Lunam, ac ejus cum Sole & stellis, sub Zodiaco errantibus, schematismos, configurationes, sive aspectus, referunt. At concursus est Medicorum assertio, quaecumque putredinem augent, ea quoque humorum impedire concoctionem. Digestio enim, inquit Galenus, est alteratio faciens cessare putredinem. At humida Lunae influentia, praecipue si pleno luminis orbe affulserit, cariem in lignis, putrilaginem & ex ea vermes in carnibus, splendori suo expositis, humorem in terrae nascentibus cepe, & lignis: in aequore, in cancris, & ostracodermis, conchis, & ostreis adauget, eo nomine humores in morbis ad maturam crisin concoquere & maturare non potest, quos suo lumine magis augeat. Ob id Averrhoes ait, *Quidam dicunt, quod inventio cricum hoc ordine fit Luna. Sed tu debes scire, quod haec est causa remota, quae Medico non est scitu necessaria. Et causa propinqua est digestio, & materia morbi, de qua diximus.* Valeant igitur ἐς κόρακας Astrologi cum suis Lunae quadraturis, & reliquis ad astra applicationibus, ac Ephemeridibus, in quibus ad venae sectionem, pharmacorum usum, cucurbitularum applicationem, dies omnibus aequae faustos praescribunt; quos non ex morbi digestionem, & temporibus, sed ex Lunae cum reliquis astris configurationibus, cum magno mortalium exitio, seligunt. Ex quo error accidit inexpiabilis, ut hi eorum dies, evacuationibus destinati, crebro in dies decretorios, aut impares, aut muliebris menstrui haemorrhagias, coincidunt, in quibus pharmaca hausta multos, ut Hippocrates ait, perimunt. Cacterum risum continere non possum, quin ut ingenue fatear, oportet, Astrologos divinatores longe stultitia superare Medicos Uromantes, illos ex lotio fallaci mendaces augures: quod Astrologi iatromathematici aequae nugaces, non visa urina, figuram coeli, pro conditione & tempore, aut affinitate offerentis lotium, exigunt. Ex quo de natura & causa morbi, de salute & morte aegri quoque, divinare (nugari dicere volebam) non erubescunt. At quid iis immoror? Cum universa haec Astrologiae divinatoris decreta & axiomata uterque Picus Mirandulae Comites, ac Hieron. Fracastorius, vir Medicinae & Astrorum peritia celebris, ac Caelius Rhodiginus, rationibus inexpugnabilibus dudum confutaverint, quibus adeo durae cervicis Astrologorum vulgus convictum cedere tamen non vult, ut recte de illis Euripides in tragoedia Iphigeniae dixisse videatur, τὸ μαντι-

κὸν σπέρμα φιλότιμον κακὸν ; id est , *Genus omne vatum est gloriae ambitionis malum*. De quorum genere sunt Astrologi , Medici Uromantes , & Genethliaci : quorum Ephemerides non alia ratione sunt usui , quam desidi Acesio nautae : quem quum navigationis taederet , ferunt , infauustos Lunae aspectus causari solitum : ita nostros , velut desides ex Alexandria Medicos , quum eos curae ignoti morbi taedet , tum quoque , ut Acesius , Lunae quadraturas causari , & curam morbi , donec aeger animam efflaverit , differunt . At vero ne , Petre Lotichi , de illorum nugis , tibi bene notis , verbosius tecum agam , quam operae est pretium , tempus erit ut vela complicemus , & amicis nostris bene precemur . Vale , amicorum meorum nulli secundus ! Datum ex Musaco nostro .

## E P I S T. XXV.

GEORGIUS CRACOVIVS,  
PETRO LOTICHIO SECUNDO.

**I**mpediri te Scholasticis occupationibus , & studiis illis suavissimis , quae magna cum laude , Reipublicaeque utilitate colis , Clarissime Lotichi , quo minus frequentiores ad amicos des litteras , facile persuadeor : teque beatum pronuncio , quod aetatem tibi in Musarum deliciis , ad quas natum te esse , primo statim notitiae amicitiaeque contractae initio , iudicavi , consumere licet . Nobis non licet esse tam beatis , qui , Reipublicae Imperiique negotiis impliciti , nec valetudinis , nec studiorum ullam rationem habere possumus . Gratiam vero tibi habeo , quod cum doctissimo viro D. Beuthero brevem quidem , sed benevolentiae plenam , tum epistolam ad me scripsisti : teque , ut nostri memoriam conserves , amanter rogo . Paucos ante dies Dn. Joachimus Camerarius , cum octiduum apud nos haesisset , hinc ad suos discessit , qui quidem saepe honorificam tui mentionem fecit . Carmina illa , furtim sparsa contra certos Principes , de quibus scribis , non vidi . Delectat multos erroneus is ludus , & indulgent sibi talibus infectionibus ingenia Theristica , quae nec Religionem ullam curant , nec communi patriae tranquillitati parcunt . Vale , ac meis verbis saluta venerandum senem D. Langium , Ἀρχίατρον τιμίτατον , cujus praestitum superiori anno officium apud me numquam interiturum est . Quanquam enim μελανχολικά πάθη necdum desinat me affligere , tamen sensi illius medicamen , καὶ τὸ Φάρμακον plurimum mihi profuisse . Anno M. D. LIX , XIII. Augusti , Augustae Vindelicorum .

EPIST.

E P I S T. XXVI.

P E T R U S L O T I C H I U S ,

ABBAS SOLITARIENSIS

PETRO LOTICHIO SECUNDO,

N E P O T I .

**S**oror tua Elifabetha, neptis mea, quam tu vehementer amas, graviter aegrotat, adeo ut non semel videretur exspirare animam. In tali autem moestitia nos omnes consolatur mulieris pietas, & sapientia, & ad tradendum Deo spiritum alacritas. Parvulos, quos post se relinquit, materno affectu, quibus debet, commendat, & sapienter omnia praecogitat, ut ferreus sit, qui non moveatur, & impius, qui tam fidelis mulieris vota & suspiria non velit sibi habere commendata. Caeterum, tametsi de te fratre omnia bona sibi pollicetur, tamen non ausa est te ex Heydelberga huc vocare, veracunde tamen operam tuam post Deum implorat. Jam tuum erit in hac necessitate sororis curam, quocumque poteris modo, non negligere. Precamur te semper bene valere. Ex Solitaria, Anno salutis M. D. LX. XVI. Januarii.

E P I S T. XXVII.

P E T R O L O T I C H I O ,

ABBATI SOLITARIENSI,

P A T R U O ,

PETRUS LOTICHIOUS SECUNDUS.

**C**um Heydelberga advocatus essem ab iis, quibus negare nihil possum, Reverende D. Antistes, ac Patruae observande, repperit me adhuc tabellarius ad tria ab urbe milliaria, lectisque litteris gravissimum cepi dolorem. Eo enim sum erga sororem, ejusque liberos animo, ut, post Deum Opt. Max., nihil illis carius esse mihi possit. Navi jam uti cogor, aut curru; equo, propter vertiginem, commode insidere non possum, ita tamen dabo operam, ut quamprimum, Deo volente, domum reverfus confirmata valetudine ad vos me conferam. Nolo enim ut soror aegra in viam se det, praesertim cum domi meae familiam non alam, ut commode aegram tractare non possim. Bene vale, Reverende D. Patruae, & brevi adventum meum expecta! Eberbacchi, xxvii. Aprilis, Anno M. D. LX.

E 2

EPIST.

## E P I S T. XXVIII.

GEORGIUS CRACOVIVS,  
PETRO LOTICHIO SECUNDO.

**C**larissime Dn. Lotichi, amicorum optime! Heri per dispositos cursores ad me perscribitur, Clariss. virum Dn. Philippum Melanchthonem, quem ego non tam ut praeceptorem, sed & ut parentem colui, xix. Aprilis hora prima p. m. acutissima febris, & calculi cruciatibus afflictum, pie ex hac vita migrasse. Id tibi, pro amicitia nostra, significandum duxi ante meum ex hoc loco discessum, quod scio, te illius memoriam summa cum gratitudine colere: teque rogo, ne tu primus isthic hunc rumorem vel meo, vel tuo, nomine spargas. Mature enim satis hostibus, aliisque falsis fratribus, innotescet, qui partim triumphabunt, partim nequitiae majorem licentiam sibi dari, ac petulantiae exercendae fenestram aperiri, laetabuntur. Illud autem abs te magnopere contendo, ut tu de sanctissimi viri obitu Elegiam ad me, vel Epicedion, scribas: Nemini enim ego in hoc genere in Germania plus tribuo, quam tibi. Dignum facies illius erga te beneficiis, nam & integritati tuae, & omnium eruditorum votis ac expectationibus, mihi vero etiam rem longe praestabis gratissimam. Vale, & celeritati ignosce. Spirae, xxviii. Aprilis, Anno M. D. LX.

## E P I S T. XXIX.

PETRUS LOTICHIVS SECUNDVS,  
GEORGIO CRACOVIO,

ILLUSTRISS. PRINCIPIS AUGUSTI, SAXONIAE  
DUCIS, ET ELECTORIS, CONSILIARIO.

**L**itteras tuas, V. Calend. Maii datas, accepi postridie ejus diei, luctus & lachrymarum plenas, Ornatissime atque Amplissime Cracovi, cum mane, exercendi mei causa, extra urbem in hortis deambularem. Ex quibus tantum cepi dolorem, quantum verbis exprimere non possum, prorsus incredibilem. Etsi enim nobis hic quoque, obscuriore tamen fama, auditum erat, Philippum Melanchthonem pituita tenui ad pulmonem destillante affligi, & febricula insuper tentari coepisse, meque & laterum ejus infirmitas, & imbecillitas virium, nonnihil, ut timerem, commoveret:

Spe-

Sperabam tamen planeque mihi persuadebam, diligentia atque temperantia, qua in depellendis morbis exactissima uti consueverat, adjuvante etiam hoc tempore puri ac temperati aëris clementia, valetudinem jam illum recuperasse pristinam, praesertim cum inanis illa rumoris aura celeriter confedisset, penitusque evanuisset. Hac ego spe cum aliquantulum me sustentarem, ecce! repente alterae, multo miserabilius & tristius in eandem rationem conscriptae, quibus certo significabatur, eam febrem, quam lenius jam accedere, aut plane decessisse arbitrabamur, xiiii. Calend. Maii finem illi vitae attulisse. Quid tibi ego hic tristem & acerbum omnium bonorum luctum commemorem? Quid dicam, mi Cracovi? Amisisse nos praestantissimum virum summa virtute, ac fide, pacis ac concordiae amantissimum, quem omnes externi atque advenae, tamquam communem litterarum parentem, amabant, colebant, admirabantur, amabitque multo vehementius ac praedicabit, extincta invidia, omnium seculorum posteritas. Nescio enim, quo pacto comparatum sit, ut, quae in manibus nostris posita sunt bona, & oculis quotidie obversantur, sensim quasi obrepente satietate, fastidiamus, eorumque nos pertaedeat: ubi vero amissa sunt, animus multo ea requirat ardentius: sicut non minus vere, quam eleganter, Venusinus noster:

*Virtutem incolumem odimus,  
Sublatam ex oculis quaerimus invidi.*

Sed de his ii viderint, quibus in tantis Religionis diffidiis, ac rerum omnium confusione, doctrinae coelestis, & litterarum (sine quibus illa consistere, ac dignitatem suam tueri nequit) cura ac propagatio a Deo Opt. Max. commendata est. \* Elegiam, quam a me petiisti ut conscriberem, etsi, propter valetudinis meae imbecillitatem, neque meditationis bono satis uti, neque, in recenti acerbissimoque luctu, in Latini sermonis puritatem, ac numerorum elegantiam animum, ut par erat, intendere licuit: confeci tamen, cum aliter neque voluntari tuae, neque dolori meo, satisfacere possem, eamque ad te, mi Ornatissime Cracovi, mitto, sic tamen, ut aliquid per otium a me elaboratum propediem expectes, quod limato politoque iudicio tuo aliqua ex parte respondeat. Hoc enim unum relictum esse video remedium, quo ipsius defuncti desiderium mitigem atque consolet. Bene vale, & Clarissimis viris Joachimo Camerario, ac Caspari Peucero plurimam meo nomine salutem dicito. Datae Heydelbergae, Nonis Maii Anno M. D. LX.

\* Legitur Lib. IV. Eleg. 4. huic G. Cracovio inscripta.

PETRUS LOTICHIVS SECUNDUS,  
PAULO LUTHERO,

M. F. ILLUSTRISS. SAXONIAE DUCUM  
MEDICO, VIRO CLARISSIMO.

**A**micitia nostra, & studiorum societas, facit, Paule Luthere, vir Clarissime, ut te compellem, & impetrare ab humanitate tua cupiam, ut \* Carmen hoc in Nuptias Illustrissimi Principis Joannis Guilielmi, Saxoniae Ducis &c. heroicis a me versibus scriptum, sub nomine tuo in manus hominum emitti patiaris. Quod te haud gravatim facturum, cum caeterae mihi virtutes tuae facile persuadent, tum etiam, quod non ignorem, te non minus his nostris studiis, quae sibi ab humanitate nomen affecerunt, quam abditarum ac reconditarum rerum doctrina, quae a Philosophis & Medicis tractantur, excellere. Conatus sum maxime veterum familiarum, quae longe lateque disseminatae sunt, genealogiam breviter intexere: ex quibus non tam praecepta, quam exempla fortitudinis, constantiae, &, quod caput est, pietatis, (sine qua infirma est reliquarum omnium rerum gloria) in universam Europam redundarunt. Scribendi porro fiduciam mihi attulit singularis Illustriss. Principum humanitas, & egregium in promovendis ornandisque bonis artibus studium, quas illos, amplissimis propositis praemiis, vel iniquis etiam temporibus, fovisse, omnes mortales norunt, ejusque memoriam nulla umquam temporis oblivio delebit, nulla vetustas ex animis hominum evellet. Quid de Joanne Friderico, heroe plane divino, dicam, qui haeres avitae paternaeque gloriae, nulli umquam fortunae succumbens, altiore semper habuit animum, quam ut iis, qui in hac vita sunt, fluctibus obrui possit. Et decet profecto viros Illustres, quos a Jove, id est, Deo Opt. Max. esse, apud Platonem inquit Socrates, litterarum monumentis posteritati commendari: quod etsi ego mihi non sumam, aut ingenio tantum arrogem, (abest hoc a natura mea, abest a moribus plurimum) egregiam tamen certe voluntatem affero, & hanc otii oblectationem ut jucundissimam, ita honestissimam semper esse duxi. Etsi vero me initio & conscientia mediocritatis meae plurimum detereret, & res ipsae, varie ac concise a scriptoribus, non doctissimis illis quidem, sed amantibus patriae viris, tractatae, non solum per se difficultatem afferrent, verum etiam vix ullam sui illustrandi spem relinquerent: malui tamen voluntati eorum, quibus negare nihil possum, obsequi, quam aut nominis mei majorem deducere rationem, aut ullam colendi officii praetermittere facultatem. Usus autem sum, in digerenda historiarum serie, consilio & opera D. Michaelis Beutheri Jureconsulti, qui totius antiquitatis, & rerum potissimum Germanicarum, memoriam exacte tenet, multaque in veterum libris

\* Legitur inter Eclogas in Poëmatib. Ecl. VI.

libris vel correctione sanat atque restituit, vel explicatione illustrat. Hoc tu Carmen, mi optime atque ornatissime Paule, quod cum tui nominis inscriptione divulgavi, si quando jam Spiraë, a legitimo negotiorum tempore otii aliquid nactus fueris, etsi a maturitate absit quidem longissime, ita tamen leges, sicut in hortis, primo vere deambulantes, donec maturitatem suam fructus assequantur, rosamve aut violam decerpere possimus, floribus interea arborum, & herbescente plantarum viriditate & incremento, oblectare nos solemus. Quod ut facias, meque apud Illustrissimos Principes tuos (sub quorum patre, divino heroe, Joanne Friderico adolescens laborem etiam militarem perpessus fui) in gratia ponas, &, si quid in me veri & recti esse putas, commendes, etiam atque etiam a te peto. Vale. Heydelbergae, xv. Cal. Julii, Anno M. D. LX.

## E P I S T. XXXI.

## RECTOR, DECANUS, ET PROFESSORES

## UNIVERSITATIS MARPURGENSIS

## PETRO LOTICHIO SECUNDO.

Vacat jam apud nos, Ornatissime vir, lectio Medica, propter diutnam & pertinacem D. Doctoris Dryandri valetudinem, de cujus curatione omnes dubitamus, non credentes, humanitus fore, ut bonus vir ex ea umquam emergat. Cum autem Medicina, Dei Opt. Max. donum sit praestantissimum, in hoc mortalibus concessum, ut humani generis calamitates, depellendis morbis, & tuenda corporum valetudine, aliqua ex parte mitiget: non putavimus committendum, ut lectio tam salutaris, & ad conservandam corporis sanitatem necessaria, diutius in Schola nostra intermitteretur: Eoque coepimus cogitare de Medico aliquo docto, exercitato, & humano, quem ad nos arcefferemus. Inter quos cum tu nobis occurreris, & a quibusdam bonis viris ita commendatus sis, ut spem haud parvam conceperimus, te Scholae atque adeo Patriae nostrae legendo, & curando, prodesse posse: amore studioque erga Scholam Patriamque nostram adducti, non dubitavimus (consentiente etiam Illustrissimo Principe nostro) has ad te dare litteras, plurimum rogantes, ut profitendi munus apud nos haud gravate suscipias, & cum hoc nuncio, eo nomine a nobis ablegato, certo respondeas, quibus conditionibus apud nos admitti velis. Honesta tui habebitur ratio in loco, nostro quidem judicio non contemnendo, ubi pretio satis tolerabili vivere, &, praeter salarium lectionis, non ita poenitendum fructum ex praxi capere poteris. Quam mentem & voluntatem nostram te latere noluimus, rogantes, vicissim tuam nobis libere aperias. Vale longum. Ex Academia nostra, xxviii. Septembris, Anno MD. LX.

P E T R I



PETRI LOTICHII SECUNDI  
EPISTOLARUM  
LIBER SECUNDUS.

EPIST. I.

GEORGIUS CRACOVIVS,  
JOACHIMO CAMERARIO,

PAPENBERGENSI

**N**imis verum est Homericum illud: Νῆσόν γ' ἔπλεε ἐστὶ Διὸς μεγάλα ἀλέα-  
σθαι, vir Clarissime. Scis, Petrum Lotichium Secundum, ingenio,  
doctrina, & modestia singulari praeditum, in Italia aliquando ve-  
nenum hausisse, & aliquoties postea lethaliter decubuisse. Is morbus Cal.  
Novembris proximis valetudinem illius iterum affligere coepit, cum pri-  
die ejus diei Heydelbergae amanter, familiariterque versatus esset. Tan-  
tus autem ardentissimae febris aestus fuit, ut δεινὰ συμπτώματα per biduum  
in eo observata esse, quidam perhibeant. Εὐ κρίσει δὲ νόσος, rationis prorsus  
compos, edita pia confessione, placide vii. die Novembris vitam finivit.  
Lugubris profecto Reipublicae & Ecclesiae casus, propter excellentem  
ingenii ipsius memoriaeque vim, ac condendi, seu potius fundendi,  
carminis usum. Tam cultis enim, & bonis ingeniis Ecclesias orbari nostras  
in hac postrema mundi senecta, ominosum duco. Quae hic aguntur, credo  
te ex aliis cognoscere, me scribere piget. Coram autem sane exponere  
vellem quaedam, quae litteris committenda non sunt. Spirae, xv. No-  
vembris Anno M. D. LX.

EPIST.

JOACHIMUS CAMERARIUS  
GEORGIO CRACOVIO.

**A**cerbum nuncium attulerunt litterae tuae, Vir Clarissime, neque mihi solum, sed omnibus, quibus legendas eas dedi, mihi tamen imprimis. Non modo autem multis jam annis notus mihi fuit Petrus Lotichius, de cujus obitu scripsisti, verum, ad elaborandum & perficiendum quoque decus istud ingenii & doctrinae, non nihil allatum est adjuvanti opera studii mei. Nam meis aliquando ille primum litteris, deinde sermonibus, conciliatus praestantissimo viro D. Stibaro, & hujus est benignitatem erga se expertus, & profectus ad externos cum propinquis ipsius, summa diligentia ac fide eos instituit, & praeceptis optimis, & salutaribus monitis ad Reipubl. munera praeparare omnibus viribus contendit. Itaque & ad honestatis virtutisque amorem, laudisque verae cupiditatem convertere voluntates illorum, & bonarum litterarum artiumque doctrina excolere animos, numquam destitit. Erat Danieli Stibaro hoc maxime curae, ut patriae laboranti subveniretur, & ruinae illius quasi fulcirentur educatione liberali eorum, qui aliis recte praeesse possent. In qua parte desiderari respectum suum ad publicam necessitatem cum minime pateretur, quantum suis impenderit non est obscurum. De Lotichio quidem apud illum prudentia excellentem, & simplicis veritatis amicum, non opus multis verbis praesertim a me, & satis fuit dixisse quid esset, quo modo se Mecae-nati commendatum Horatius scripsit. Estque constantissimo favore Stibarus Lotichium, relatum in amicorum suorum numerum, complexus. Et Lotichius nomen Stibari ita celebravit, ut non tam beneficiis istam gratiam esse relatum, quam admiratione eximiae virtutis illa, quae de eo scripsit, expressa appareat. Quae quidem sunt ejusmodi, ut & auctori famam praeclearissimam facultatis Musicae concilient, & de Stibari pietate, magnitudine animi, consiliorum & actionum honestate, testimonia extent illustrissima, ut uterque veris ornamentis afficiatur, optimis & eruditissimis scriptis illis: quae legentur, donec erit apud nos qualiscunque litterarum Latinarum usus, & cultus ingenii, & odium, vel saltem fuga, barbariae. Reliquerat Stibarus ut successorem in caeteram praestantiam suam, ita benevolentiae erga Lotichium quasi haeredem, reverendae dignitatis & excellentiae D. Erasmum Neustetter, cognomento Sturmer. Qui animo suo habuit charissimum Lotichium, & sensit erga se promptissimum studium ipsius. Quem nunc in moerore & luctu esse scio, spoliatum tali amico, & extincto splendore isto, & hac spe commoditatum maximarum erepra patriae. At ille sibi jam etiam vivere, & in suas laudes crescere coeperat. Vides, quid addere congruat, o spes fallaces! Et quae παλαιά τέρατα similia exclamant in dolore. Sed (non enim commovendus dolor est,

F

quem

quem maxime reprimi posse vellemus) ista omittantur. Ac jam etiam minus affligit hic casus, ut cruciatu corporis majori hebetari solet minor. Cognovimus enim, his diebus Clariss. virum, & summum nostrum D. Georgium Sabinum vix reversum domum, migrasse ex hac vita. Convenimus eum VII. Id. Novembris, cum hac transiret, revertens ex Italia, & febre quartana laborans. Cujus παροξύσμα diem unum impendere fuit coactus, quo hic decubuit. Mediocris tum spes erat omnium de vita illius, & ipse in morbi molestia, cum de itineris sui fortuna, tum rebus Italicis, multa narrabat, & familiariter cum amicis sic confabulabatur, ut nemo tam celerem exitum metueret. Non possum autem non vehementissime perturbari Sabini morte, quod & a prima pueritia indolem ipsius adama-verim, & annis pluribus triginta, quamvis disjuncti locis essemus, singularis amicitiae inter nos necessitudo fuerit, & quia intelligo quantum boni cum ipso discesserit, quae studiorum adminicula, quae Reipubl. commoda, quae aetatis nostrae celebritas, & (quod maxima cum tristitia, dum subie patriae pietatis imago, scribimus) respiciens relictam ab ipso δόμον ἡμε-τελῇ καὶ ὀρφανῇ τέκνῳ. Sed huic vulneri remedium adhibebunt, qui pos-sunt, & debent. Nos, si non magnopere doleremus, essemus ferrei. Et tamen haec etiam ferenda sunt adversa, perpeffis leviora. Quid enim vel publice, vel privatim lamentabilius, aut omnino tristius accidere nobis potuit decessione hinc Philippi Melanchthonis? Ad quam mentionem sci-ficer quasi caput obvolvendum, & reprimenda est oratio, quae deploran-do tanto malo nulla par, aut aequalis esse possit. Tantum autem abest, ut bonis desiderium illius temporis leniat, ut majus etiam in dies existat, iis rebus atque negotiis sese ostendentibus & offerentibus, quibus con-suli, & quae explicari aeternus Deus si vellet, Philippi Melanchthonis praesentiam & administrationem nobis non subtraxisset.

Οὐνεκ νῦν φεράμεθα καθ' ἰσὶα λευκά βαλόντες  
Μηλὶς ἐκ ποταύ νύκτα διὰ δνοφερὴν.

Et quae praeterea sunt in Theognideis. His etiam amicis nostris, quos modo deploramus, quamvis alter juvenis deserit in terris, alter incipiens fenestere, (attigit enim Sabinus quinquagesimum & secundum annum) haud scio, an hoc fuerit acerbissimum in sua sibi vita allatum mortis illius nuncium, qui fuisset alterius focer, utriusque magister, auxiliator, patro-nus & perfugium omnium. Sed, quoniam necessario haec calamitas est perpetienda, ut aliquid esse in nobis probemus, quod rectum & laudabile existimatur, toleremus tam tristem eventum animo, & resistamus aegri-tudini. Neque ego de his plura nunc scribam. De caeteris autem expeto sane colloquium tuum, atque optare te scio ut hoc maturetur. Vale. Lip-siae, v. Id. Decembris Anno M. D. LX.

EPIST.

## E P I S T. III.

ERASMO NEUSTETTER, COGNO-  
MENTO STURMER,

EQUITI FRANCO

JOANNES POSTHIUS,  
GERMERSHEIMIUS.

**C**um nulla major animorum conjunctio esse possit, quam quae inter te & Doctorem P. Lotichium Secundum, summo virum ingenio, & omni virtutis gloria florentem, longo jam tempore fuit, Amplissime D. Erasme, non dubito, subitum illius ex rebus humanis excessum magno te & luctu & desiderio affecisse. Ita enim fieri solet, ut quos viros constanter amavimus, post obitum quoque eorum amissionem molestius feramus, quam videatur hominis in rebus fortuitis multum exercitata ratio postulare, eo quod amor graves habeat aculeos, qui bonis viris in amicorum recordatione justum pariunt dolorem. Nobis certe, quicumque ejus familiaritate usi sumus per hoc triennium, quo Academiae nostrae tam fidelitate in docendo, quam in capiendis de rebus publicis consiliis dexteritate, utiliter & summa cum laude praefuit, quantum tristitiae & doloris ejus insperata mors attulerit, dici vix potest. Illud tamen assidue doctorum hominum querelae, & hae quoque amicorum lachrymae testantur: quibus nunc ablatum nobis, in eam vitam, quae multo melior est multoque praestantior, translatum, partim laude & pia commemoratione, partim lamentis & complorationibus prosequuntur: non quod quietem illi & aeternae lucis fruitionem invident, sed quod, Rempublicam litterariam tam raro ornamento esse privatam, graviter molesteque ferant. Ad me quod attinet, qui illum non modo ut candidum praeceptorem, sed etiam ut carum parentem complexus sum, novi equidem: quam meae in carmine vires sint exiguae, verebarque diu de morte tanti viri (quem pro meritis nec ipsa Musa satis laudaret) quicquam edere, ne meus erga defunctum amor causa pudoris existeret. Cum tamen hunc timorem plerique amicorum neque dignum esse, qui pietatis opus impediret, & omni ratione carere, dicerent: pauca carmina, quae non mihi dulces Camoenae dictarunt, sed justus dolor extorsit, doctissimis aliorum virorum scriptis junxi, & sub auspicio nominis tui edi publice curavi: Ea etsi non prudentiae meae judicium, tamen significationem optimae voluntatis ad te deferre poterunt. Quod superest, rogo, ut, quem tua olim amicitia dignatus es, illius quoque postremas, ab amicis solutas, Exequias honorifice tuearis, & me, ut reliquos virtutis & litterarum studiosos, tuo favore & benevolentia complectaris. Vale. Heydelbergae, Cal. Decembris Anno M. D. L. X.

## E P I S T. IV.

REVERENDISSIMO PATRI,  
 PETRO LOTICHIO,  
 MONASTERII SOLITARIENSIS  
 ABBATI,  
 CAROLUS HUGELIUS.

**M**iraberis fortasse, Vir Reverendissime, cur litteras nunc ad te ego dederim, qui neque ulla tibi familiaritate conjunctus, nec nomine ipso sum cognitus. Faterer mirandum hoc esse, nisi illud magis mirum futurum fuisset, si virtus tua insignis, & spectatum Christianae pietatis studium, & Religio non me jampridem in amorem tui impulissent. Diu enim est, quod ego & amore tuae familiae, & desiderio tuarum clarissimarum virtutum incensus, toto tibi animo fui deditus, Tuamque Reverentiam omnibus meis officiis colendam mihi proposui. Sed hanc meam voluntatem quo minus tibi adhuc declararim id causae fuit, quod sperans aliquando cum tuo ex fratre nepote P. Lotichio Secundo congregi tecum, & coram tibi animum meum patefacere, me ad id tempus reservabam, quo praesens totum me in potestatem tuam tradere possem. Hoc cum tristissima morte Agnati tui ereptum mihi sit, statui, quod superest, non amplius differendas has litteras. Atque utinam occasionem haberem magis hilarem. Quia tamen res ita ferunt, voluntati divinae acquiescam. Ego gravi dolore, quem ex tristissimo hoc funere percepi, impulsus pauca quaedam Carmina, Epicedii loco, effudi verius quam scripsi, & sub auspicio nominis tui edi publice curavi. Et spero, te facile pro tua prudentia veniam daturum & aetati, quae in me tenera est, & dolori, quo nihil gravius accidere mihi potuit, neque quod minus ferre possent sensus animi mei. Nam cum ante triennium, quo tempore Colloquium in urbe Vangionum celebrabatur, cum propatruo meo Philippo Melanchthone, ex Schola Witebergenfi reversus essem, tuumque illum agnatum P. Lotichium, Heydelbergae, summa autoritate florentem, & in celebri loco constitutum, invenissem, statim eum candorem prae se tulit, eam familiaritatem mihi exhibuit, ea officia in me contulit, quae neque speravi, neque praedicare satis possum. Saepe enim me, ipsius congressus cupidissimum, honorifice & laute accepit, saepe animum meum erudito & pleno gravitatis sermone detinuit, saepe maximis de rebus quaerentem & haesitantem omni prorsus scrupulo & dubitatione liberavit. Quae quoties in mentem

mentem revoco, (revoco autem saepissime) non possum non magno, tanti viri desiderio affici, & me a consuetudine, cujus suavitatem vix primum quasi gustare coeperam, tam cito dirimi, animo turbato molestius ferre. Eum ergo amorem, quem erga defunctum habui, in te nunc, & Christianum fratrem, tamquam proximos, derivare cupio, & T. R. reverenter oro, ut hoc meum quaecunque officium benigno animo suscipiat, & me aliquo saltem favore prosequi non dedignetur. Vale. Heydelbergae, xvii. Calend. Januarii, Anno M. D. LX.

## E P I S T. V.

J A C O B U S S T R A S B U R G U S

C A N D I D O E T E R U D I T O L E C T O R I ,

S U P E R P O E M A T I B U S

P E T R I L O T I C H I I S E C U N D I .

**D**e Pallante, Regis Evandri filio, Aenaeas apud Poetam inquit:

— — — *Quem non virtutis egentem  
Abstulit atra dies, & funere merfit acerbo.*

Quibus verbis Rex pius, & amans suorum, amicum vita defunctum, praeclare primum commendat, deinde ex morte ipsius immatura suum ostendit dolorem. Sed neque indignus fuit praeconio juvenis & Princeps laudatissimus, neque vir optimus temere conqueritur amisso eo, quem ipse spectatorem vitae ac rerum in suo habuisset comitatu, & cujus opera, propter indolem praestantis animi, se utiliter usurum posthac etiam sperasset. Quid aliud nobis nunc accidit, quam hoc ipsum, cum ad caeteras miseras & publicum dolorem propter extinctas tot egregias animas, Clarissimi Poetae mors Petri Lotichii Secundi accessit, ne quid forsasse infelicitatis deesset Reipublicae litterariae. Etsi autem utrumque nobis non desit in hoc viro & virtutis admiratio, & obitus immaturi luctus: tamen hujus consideratio plus habet incommodi propter desiderium, quam illius recordatio solatii. Fuit in eo ingenium excellens, & in corpore, non admodum magno ac robusto, maxima, & usu confirmata, virtus. Eruditio autem varia & multiplex, singularis humilitas, ita ut ingenium probitas, artemque modestia, quemadmodum Poeta inquit, facile superaret. *Homine imperito*, inquit Comicus, *nunquam quicquam injustius. Qui, nisi quod ipse facit, nihil rectum putat.* Quam late autem pateat hoc imperitiae vitium, nullum vitae genus est, quod non intelligat, quam saepe

luctuosum sit rebus cum publicis, cum privatis, (si dissimulandum est; ut nunc fere solent homines scelera & ipso facto aliis imitanda obtrudere; & connivendo, ne dicam hortando, approbare) magno nostro cum incommodo loquuntur exempla. Sed nostrum videamus Poëtam. Qui cum fortuna multiplici, & magna itinerum varietate, jactatus esset, & varios hominum mores vidisset, urbes etiam lustrasset splendidas & copiosas, in tanta rerum cognitione animum instruxit exemplis, usque doctrinam auxit, confirmavit denique praeceptis totam vitam suam, ut in agendo prudens haberetur, in tractando elegans, &, cum mentis cogitata scribendo referret, omnia sic probarentur, ut ad veterum laudem pervenirent. De suo praeceptore Poëta Archia magnifice loquitur Romanae eloquentiae princeps Cicero, quem Antiochia: natum loco nobili, & celebri quondam urbe, atque eruditissimis hominibus, liberalissimisque studiis adfluente, celeriter antecellentem, omnibus ingenii gloria commendat. Haec autem, & reliqua illa, quae narrando addit, non minus de Lotichio, quam de illo, jactari possunt. Hic enim in praecipuis Europae partibus sic inclauit virtutis & doctrinae celebritate, ut famam ingenii expectatio hominis, expectationem ipsius adventus admiratioque superarit. Quod si alia etiam conferre opus esset, nobis de laude eximii Poëtae & Medici honesta & copiosa oratio non esset defutura. Sed laudare eum non institui. Quae autem prolixius hic commemorata sunt, ea expressit erga ipsum meus incredibilis amor, partim dolor privatus propter publica incommoda, quae certe, hoc etiam viro nobis erepto, tanta sunt, quanta concipere mentes possumus, non possumus nunc quidem oculis comprehendere. Quam ob rem, iis relictis, ostendendum nobis est, quid causae fuerit in componendis Lotichii scriptis, quid in collocandis iisdem consilii, ne aut sine utilitatis ratione, aut negligenter, aliquid suscepisse videamur. Cum esset ad nos allatum, vitam mortalem cum immortalis, luctuosam cum beata, terrenam cum coelesti comutasse Lotichium, moleste sane graviterque tulimus ipsius obitum, non invidia felicitatis sempiternae, cujus particeps morte factus est, sed, quod humanitus accidit, desiderio virtutis atque ingenii. Nam jucundissimo illius aspectu nunc caremus, fructu etiam hujus destituimur incomparabili. Sed aliorum etiam querelae nobis non sunt ignotae, quorum alii, tam subito casu perculsi, nobiscum in communi luctu haerent, alii ut ipsius laboribus possint frui, nihil magis optant, quam integram eorum editionem, quae relictæ alia apud alios jacent, perpetua sui nominis monumenta. Quam ob rem cum Ernestus Voegelin, meus amicus, rogaretur, ut illa praelo subiceret, facile in eam potuit adduci sententiam, propterea quod eum magni faceret ipse etiam, cum quo aliquando vixisset familiariter. Petijt igitur a me, ut se juvarem in hoc tam praeclaro conatu, &, quaecunque scirem in amicorum Bibliothecis, libenter & sedulo conficerem. Quam ob rem in hac mea qualicunque opera nec nobis discipuli nostri, nec alii etiam honesti viri, defuero. Praecipue autem magna laboris parte nos sublevarunt Poëtae clarissimi Georgius Fabricius, & Adamus Siberus, quorum ille in me cum juvando, tum ornando, (ut facile possis agnoscere praeceptorem) semper fuit occupatissimus,

hic

hic etiam, quia eruditus & bonus est, nihil unquam egit, nisi quod aut privatis amicorum, aut publicis aliorum, commodis honeste profuturum judicaret. Uterque igitur libenter in hoc negotio me adjuvit non tantum, ut alter me discipulum sua confirmaret autoritate, alter amico gratificaretur, sed etiam ut Lotichii, quem vivum amassent, mortui memoriam propagarent ad omnem posteritatem. Quam ob rem meo illis nomine primum gratias debeo maximas, sed, magnitudine meritorum victus, tantas, quantas possum, refero: deinde, quia ad communem rei litterariae utilitatem omnes suas referunt curas & vigilias, certo scio, pios & salutares ipsorum labores inspectorem & remuneratorem Deum habituros. Dixi de occasione nostri consilii, de ordine librorum pauca subijciam: Ex quibus priores duos ipse autor Parisiis edidit, reliqua, quae a nobis collecta sunt, partim ipso adhuc vivente sparsa sunt, partim ex amicorum latebris ad nos perlata. Sed cum illa omnia simul non haberemus, factum est, ut confuse illa quidem, integre tamen, imprimerentur. Nos etiam, morbo impediti, non tam potuimus exquisitè, quam fideliter volumus, nostrum facere officium. Sed propediem, ut spero, recudetur totum opus: in quo distribuendo dabimus eam operam, quae a nobis requiritur. Interea oramus viros eruditos, quibus notus fuit Lotichius, ut ea, quae ipsi fortassis reposita habent, & in his desiderantur libris, benigne nobiscum communicent. Qua in re Christianus, Petri frater, vir ornatissimus, & suam erga mortuum declarabit pietatem, & nobis probabit benevolentiam, homine erudito, qualis est ipse multorum judiciis, non indignam. Vale feliciter. Lipsiae, ex Paulino, xii. Calend. Augusti, Anno salutiferi partus M. D. LXI.

E P I S T. VI.

GEORGIUS FABRICIUS CHEMNICENSIS.

JACOBO STRASBURGO,

A F F I N I.

**P**aucos ante menses, quam e vita discessit Lotichius, ad ipsum scripsi, adhortatus, ut Jacobi Micylli, viri elegantissimi, opera poetica colligeret. Id nunc in Lotichii libellis te facere, vehementer laetor, &, ut idem studiose facias, etiam atque etiam rogo. Quicquid in mea bibliotheca est, id nunc litteris hiscè inclusum accipis: Fuit in Lotichio ingenium excellens, & morum suavitas singularis, quae tum mihi perspecta sunt, cum ipsum & Joannem Hagium in tuam patriam hinc persecutus sum, animi causa: cum inspicere metalla cuperet, in puteos ipse descendit, ac cuniculos perreptavit, & machinas sub terris admiratus est. Dicebat, se navigasse in Mari Ligustico, ac nunc inspexisse Metalla Miensensia: quas res habiturus esset tota vita, quibus se jactare vellet. Ejus Versibus simplicitate, nitore, puritate, nullius e nostris nominibus legi simili-



similes, bellae & suaves sunt Elegiae, sed in Eclogis ipse se superavit. Nisi Bononiense toxicum, quod alteri appositum fuerat, insciens gustavisset, diutius potuissimus ejus divino ingenio & studiis frui, ac sine dubio aut Philosophicum, aut Medicum, tractasset argumentum, post has florentis adolescentiae exercitationes. Sed nunc in Academia coelesti canit filio Dei, Redemptori suo, & nos, eum secuturos, expectat. Morbum tuum fer aequo animo, invidorum vero morsus prorsus invicto. Quem Deus ornat & juvat, huic incommodare potest nemo. Noli putare autem, Diabolum segnem esse, aut desidem, qui ansam habet vexandi te & in munere scholastico, & in recenti conjugio. Sed quid ille potest contritus, victus, exspoliatus, catenis traditus? Cum habeamus ad dexteram Dei patronum, omnipotentem Dominum & fratrem nostrum Jesum Christum. Conclude igitur, ut scripsi ad te antea!

*Non turbet ardentes preces  
Ignava diffidentia!*

Vale feliciter. Misena, e Ludo illustri, Calendis Augusti, Anno M. D. LXL

E P I S T. VII.

JOACHIMUS CAMERARIUS,

PAPENBERGENSIS,

ERNESTO VOGELINO,

TYPOGRAPHO LIPSIENSI.

**Q**uod significas, te exprimere coepisse in officina tua Petri Lotichii Secundi, clarissimi optimique & viri & Poëtae, Scripta, & requirere in elaborando opere praesentiam meam, equidem magnopere probo consilium factumque tuum, & absens quoque studui aliquid adjumenti ad illud conferre. Nam & institui quaedam, quamvis occupatus & perturbatus, conscribere, quae libello isti recte existimo praepositum iri & do operam, ut alia adhuc, necdum edita, Petri Lotichii Poëmata nanciscar. Si autem consilium hoc aliquis casus forte peremerit, (ut nunc adeo ea offerebantur, quae vereor ne efficere me, quod cupio, non fiant) opera tamen dabitur, ut nostrum scriptum mature ad te perveniat, vel isthic etiam reverso me, quod propediem futurum esse spero, absolutum tibi tradatur: voloque cum autoritate privilegii nostri istum libellum edi. Eamque tu praescribendam in fronte illius curabis, ut hoc tuum propositum & iste labor undique opis aliquid a me sentiat. Etsi autem mihi indicatur, institui a fratre Petri Lotichii Christiano, ut opinor, Editionem, magis hac & perpolitam & locupletem: quem doctissimum vi-  
rum,

rum, & inter elegantes Poëtas neutiquam postremum, esse scimus. Interea tamen, dum ille suum multo luculentius, & exultius, atque perfectius opus apparat, haec recte legi poterunt. Neque lectione tam jucunda fraudandi esse φλόμυσα videntur: praesertim adhuc rebus de illa altera Editione omnibus dubiis & incertis. De caeteris nunc scribi a me aliquid necesse non est. Si erunt in pretio deinceps studia nostra, & eruditio litterarum non dico florebit, (vix enim sperandum hoc arbitror) sed utcunque coletur exercendo, fortasse quid a me conatibus tuis, pro nostri ingenii tenuitate, & ista rerum omnium ad laudabiles effectiones inopia, conferetur, neque futile prorsus, & aliquid aliquo modo aliunde existet neque indignum cognitione liberali, neque ab eruditis contemnendum. Is modo status sit Reipublicae, & ea studiorum nostrorum fortuna, ut hoc in genere navari opera possit. Nam, & quae artes nunc potissimum discantur & magni fiant, patet, & quae quasi murmura, quas tempestates impendere significant, prudentiores & attenti intelligunt. Sed eventus permittantur Deo. Nos, quod honestum est & utile, id agendo serviamus voluntati divinae, cui profecto placet eruditio litterarum, & doctrina optimarum artium, cum bona placeant omnia: & pro nostra parte consumamus commodis nostrae aetatis hominum, & fortasse (nisi hoc dictu nimis gloriosum videtur) posteritatis quoque. Haec in itinere, non procul a patria, oblata opportunitate tabellarii, cum ad meos litteras mitterem, perscribenda etiam ad te putavi. Vale.

## E P I S T. VIII.

ERASMO NEUSTETTER,  
COGNOMENTO STURMER,

PRAEPOSITO,

JOACHIMUS CAMERARIUS.

Nescio qua fortunae iniquitate jam tertio accidit, ut appropinquantes & valde expetentes colloquium mutuum, aliis tamen negotiis & rebus ambo occupati congredi haud potuerimus. Quod cum Tuam Reverendam Humanitatem, praestantissime vir, moleste ferre non dubitem, cujus litteris tam amanter fuerim invitatus, mihi credas velim, id me multo gravius indigniusque pati, qui non modo, si te convenire licuisset, adversis rebus & tristi tempore meo jucundissimis sermonibus recreari, sed ope consilioque tuo adjuvari sublevarique potuissem. Quod nisi te necessariae rationes tuae abduxissent, relictis omnibus studuissem te in Francis, quod abessem propius, convenire. Sed cum, te abiisse longius, mihi indicatum esset, & cum ea, quorum causa in patriam venissem, me

G

de-

detinerent, tum alia, quae commemorare nihil attinet, morarentur, ita factum est, ut desiderium nostrum expleri non potuerit. Etsi autem majora habebam, & magis, ex me, de quibus tecum coram agerem, & a te juvarer aut consolando, aut consilio, aut re, ut ait Terentius: tamen id, quod exposui litteris proximis ad te meis, inprimis curae mihi fuisset, ut ea Carmina conquirentur, quae ad te scripisset, optimus nostri seculi & poeta & vir Petrus Lotichius, neque adhuc essent edita. Nam cupiebam Editionem, quam scirem hic institutam, accessione illorum locupletari. Nescio enim, quo pacto omnia alia ego studiis his posthabere soleo, sive illa est naturae impulsio, seu vis quaedam diuturnae consuetudinis: neque possim, ac ne velim quidem, mutari hac in parte, praefertim hac aetate, qua vorforiam capere, secundum Plautum, neque facile, neque laudabile esset. Alii igitur alia amplectantur & ament, & copiam horum illorumve exoptent: mihi, cum pastore Theocriti, grata caraque est ἡ μῶσα καὶ ὡδὴ, τὸ μὲν πᾶς εἰς πλεῖος δόμος. Neque obstiterit umquam vel objurgatio, vel admonitio, qualem accepimus fuisse Zethi, improbantis Amphionis fratris sententiam, qui ingenio excellens μεῖρα καὶ δει διαπρέπειν μορφώματι pulchrum esse censeret, & ea sequeretur, ἐξ ὧν κενοῖσιν ἐγκατοικῆσει δόμος. Sed de his alibi disseruimus, neque nunc plura dicenda sunt.

Nostrum quidem Typographus cum ea Carmina Lotichii, quae colligi poterant, jam exprimendo absolvisset, & placuisset, his nostrum scriptum aliquod praeponi, te potissimum hac compellandum occasione putavi. Persuasum enim habeo, mea abs te libenter legi, vel quia nos diligis, vel quia eruditionem doctrinae, quam sequimur, magni facis. Argumentum etiam hoc congruere soli tibi visum, quo & suavissimo amico Petrus Lotichius, & benignissimo, post mortem D. Stibari, patrono usus esset. Sane mea etiam conciliatio accessit. Sed uterque vestrum statim perspexit, Petrum Lotichium benevolentiae vestrae singularis affectione dignissimum esse. Facilis est commendatio bonorum. Neque in Lotichio multum momenti habuit vestra existimatio iudicii, & fidei, ac omnino respectus auctoritatis apud vos meae, sed ipse brevi consuetudinis usu hoc consecutus est, ut quasi deductum ad vos eum esse a me gauderetis, omnique esse modo ornandum augendumque statueretis. D. Stibarus mihi a puero notus fuit: de cuius praestante pietate, virtute, integritate, constantia, recta voluntate, odio versutae malitiae, & audacis improbitatis, & ante omnia cupiditate veritatis, & studio optimarum disciplinarum atque artium, ea alias perscripsimus, cum ederemus & Xenophontea, & nostra quaedam de Re Equestri, quae explorata habuimus, & vera esse certum est, tibi, Erasme, perspectum maxime. Qui suis propinquis, in quorum spem sumptus non parvos impendit, Lotichium praefecit praeceptorem & magistrum. Quo loco sane magno dolore perturbari sentio animum meum, cogitans frustrationem honestissimi consilii, & deplorans humanae conditionis miseriam. Quibus enim D. Stibarus quam optime consultum cupierat, & quos ad Reipubl. administrationem liberali institutione praeparari voluerat, ex eis, cum illam capeffere inciperent, & in gerendo indoles-

magis.

magis appareret, quam eluceret industria, duobus annis duo fratris ipsius filii juvenili aetate ex hac vita exceſſerunt. Quin etiam ipſe D. Stibarus, quo tempore dignitatis & amplitudinis fructum poſt multiplices labores, quibus diſtricta fuiſſet vita ejus, percipere deberet, eo non tam ſibi, quam patriae, immatura morte intercudit. Nam cſi ipſi, qui admodum puer patre mortuo ablegatus domi verſari deſuiſſet, ignotum fuit ſpatium aetatis, certis tamen conjecturis ducimur, ut eum non plures, cum deceſſit, annos, quam quadraginta novem, habuiſſe ſuſpicemur. Quae aetas quamquam non modo ad ſplendoris & gloriae autoritatem, ſed florem etiam ingenii, & honorum illuſtrem curſum, vix ſatis tempeſtiva exiſtimari poſſit: ſi tamem, & quo Reipublicae ſtatu e medio ille abierit, & qui caſus conſecuti ſint mortem ipſius, conſiderare voluerimus, ea proſecto animadvertemus eveniſſe, ut non tam D. Stibarus jucunditate vitae ſpoliatus, quam mortis grato munere affectus, eſſe videatur. Non dicam, quam parum, vel nihil, felicitatis in duplicata hac vita exſpectandum ſperandumque fuerit, neque quam multorum eventuum triſtitiā declinaverit ille obitu ſuo, cum atrociffimi facinoris unius nuncium, quo proſecto moerore conſectus fuiſſet, mortis opportunitate effugeret, ſcelerata aggreſſione nefarii latrocinii interfecto Principe, qui in maximis calamitatibus gubernans patriam pericula graviffima vitaverat, & cum quo D. Stibarus, propemodum aequali conjunctiſſime vixerat. Quo impiae crudelitatis, & horrendae audaciae non modo factō, ſed etiam exemplo quoque, quale vulnus inſiſtūm ſit animo tuo, non opus eſt comemorari a me. Ferreus autem ſit proſecto, qui non moveatur iſta immanitate facinoris, furorisque popularis, cum jam, rabie illa depulſa, autores quoque ipſos vel miſericordia tangi tam indigne necati talis Principis, vel temeritatis, vel veſaniae ſuae poenitere credam. Sed neſcio quo pacto ad haec, quae alicui alieniora videri forte poſſint, recordatio & mentio D. Stibari deduxit orationem meam. Cujus quidem non potero non meminiffe, dum memor ipſe mei, ſecundum Poëtam. Quem cognovi optimum, & in omni genere virtutum praetantiſſimum virum, ac mei amantiſſimum a prima pueritia ſum expertus. Judicoque ad Petri Lotichii laudem exiſtimationemque magnopere pertinere, quod ipſum D. Stibarus benevolentia favoreque complexus fuerit. In cujus tu, Erasme, non ſolum dignitatis & excellentiae, ſed oneris quoque ac defatigationis, in patriae ſalute conſervanda, locum cum ſucceſſeris, altero ornamento Petri Lotichii famam atque nomen auges, ut praetantiſſimis, & ſummis, atque optime de Republica meritis, duobus viris charum eum fuiſſe, judicatura ſit poſteritas, & celebratura cum judicii ſinceri veſtri & ingenuae voluntatis candorem, cum Lotichii, in obſervandis colendisque vobis, ſtudium, curam, induſtriam, fidem. Qui cum non fortuito in veſtram notitiam perveniſſet, ſed deliberans & diu circumſpiciens ex omnibus delegiſſet, quibus ingenii ſui facultatem quaſi addiceret, hoc in omni officio diligentia ſumma obtinuit, ut a vobis vero amore comprehenderetur, haberetque & patronos, & eos, qui amicitia talis viri magnopere delectarentur. Neque immerito. Quamvis enim divinam vim eximiae naturae, incredibili aſſiduitate perpetui

studii corroboratam atque auctam, mortis faevitia celeriter praeciderit. Ea tamen extant, & extabunt semper, donec legentur & erunt in pretio litterae Latinae, elogia pietatis, virtutis, sapientiae, humanitatis vestrae, decantata elegantissimis versibus illius, ut, quod maximis beneficiis vestris debuerit, id eum liberalissime perfolvisse appareat. Hoc, quale quantumque sit, non intelligitur ab omnibus, vel potius a paucis tantum, D. Stibari & tui similibus: qui gaudent carminibus, & quibus hoc cordi est:

*Dignum laude virum Musa vetat mori:*

Et quicumque sui seculi bonam existimationem, posteritatisque honorificam memoriam magni facit, ut tam vivus, quam mortuus, bene audiat atque commendetur:

*Ἀφ' ἑαυτοῦ ἀνθρώποις διεν ἔχων ὄνομα.*

secundum Theognidem. Fuit autem Petrus Lotichius talis Poëta, qualem sua aetas, & nostra natio alterum non tulit. Hoc me pronunciatum affirmare, in quam ab aliquibus partem accipiatur, non vereor. Eruditos enim mihi assentiri scio omnes. Habuerunt superiora tempora H. Eobanum Hessum, cum quo a prima adolescentia mea familiarissime vixi, & quem in suo genere regnasse docti fatentur. Hujus aetati & famae superem nuper amissimus Clarissimum virum Georgium Sabinum, cujus & facilem, & prudentem, & politam Musam Italia quoque est admirata. Multi autem nunc etiam declarant egregiis operibus & scriptis hac in parte ingenii & studii sui efficacitatem. In quibus facile eminent Johannis Stigelii, solertia admirabili, & incredibili industria & arte, exercitatione, & usu summo perfecta absolutaque, Poëmata. Sed & Eobanus, & Sabinus, si viverent, cum omnia in Lotichii scriptis magnopere probarent, tum elegantia & suavitate, atque exprimendi vetustatis similitudinem contentione, se ab hoc alicubi superari non negarent. Deque hoc nimirum sentit & loquitur prolixè Johannes Stigelius, quo melior vir ille est, & is, qui mortuo majorem etiam amplioremque laudem velit tribuere, quam meritum esse arbitretur, cum sine dubio deberi ipsi maximam atque amplissimam, sciat & praedicet: De quo plus verborum faciendum esse non puto. Non modo autem effulsit iste quasi nitor pulcherrimae facultatis, eruditionisque egregiae in Lotichio, sed multo illustrior fuit cum integritas, tum suavitas morum, & gravitati conjuncta comitas, constantia, atque virtus, humanitate ac lepore condita, & certa omnibus in rebus fides, & studium amorque veritatis. Quae tantae laudes fulciebantur & cumulabantur maxima ac sollicita pietatis cura, quam Graeci tum κρηπίδα, tum κεφάλαιον ἀρετῆς ἀπάσης, perhibere solent. Nam de arte, quam in hujus vitae cursu faciendam delegerat, salutare illa quidem, sed, ut ferunt Hippocratem dixisse, ex aliorum miseria suas percipiente molestias, hoc constat, eum fuisse Medicum Lotichium, qui & jam scientia non multis inferior haberetur, & si vivere licuisset diutius, usu exercitationeque facile superaret alios plerosque. Sed utilitati publicae, & tuae consuetudini illum ereptum Deus, cum nostro tristissimo desiderio, in melio-

meliozem locum abduxit, ut non illius quidem, sed nostra, fortuna dolenda esse videatur. Nam cum P. Lotichio quam optime esse actum, quis audeat negare? Qui receptus in beatæ vitæ quietem sempiternam, famam clarissimi nominis sui posteris reliquit immortalem. Ut autem suum cuique nascendi tempus, ita divinitus dies statutus est, quo ex hac vita discedat: qui, excipiens vitam piam honestamque, neque fugiendus, neque deplorandus est. Ἀλλὰ λόγον μὲν τῶτον ἑάσομεν, secundum Theognidem: conservantes quidem animis nostris memoriam optimi viri Lotichii, & amici jucundissimi. Quod facere te, multis illustribus testimoniis declaratur, & ego tum alias, tum modo, divulgando praeclarissima scripta ipsius, conatus sum. In quo tamen meo honori non minus serviisse me perspicuum est, cum illa edantur, quibus mei nominis mihi gratissima celebratio continetur, diligentia, inquam, & studium positum in bonis litteris & artibus, & aliqua in his tractandis colendisque navata opera, & gestum decus. Nam, ut ipse mihi assenter, quanta cum voluptate legi a me censes verum istum!

*ὦ Sacer Aonii dux, Joachime, chori!*

Maxima profecto illa est, ut met tibi, caeterisque, indicem. Quod hoc commemoretur, & praedicetur progressio in iis, quae a prima aetate mihi praecipue curae fuerunt, ac prae quibus neglexi caetera omnia. Quo credibilis est, tibi quoque minus dissimulandum, Erasme, magna laetitia affici animum tuum, conscium summarum laudum, quibus a Lotichio ornatur Amplissima Dignitas, & Reverenda Praestantia tua: & ideo officio hoc meo publicandi scripta ejus, cum hac compellatione tui, & disputationum quadam de iis rebus, quae inprimis cordi tibi sunt, & iis hominibus, quorum mentio in dolore, quem ob amissos capis, non potest tamen esse non gratissima, cum illorum verissimas laudes complectatur, & merita erga patriam, & beneficia in suos, & alienos, denique studia, operamque praeclare in hac vita positam, & felicem hinc migrationem celebret. Capitale dictum senis futilis in Tragoedia:

*Κακῶς ἀκῶειν εἰ μέλει θανόντι μοι.*

Sed vulgaris omnino ista perversitas est. Quotus enim quisque ex multitudine eam vitam degere curat; cujus memoria & recordatio mortui famam & nomen exornet? quanto vero hoc rectius: Hominum immortalis est infamia! Et οὐδὲ ὁλβιος ὁν φάμαί κατεχόνται ἀγαθαί. Sed (narrantur enim haec scienti & probanti) desino. Tu, Reverende Erasme, quod facis, pietatis virtutisque spatium decurrendo non defatigabere, & optimarum artium humanitatisque studia, ingenuo homine dignissima, pro tua parte defendes, &, qui his operam laudabilem dant, eos diliges φιλάγαθος δ' ἄμα καὶ μισοπόνηρος ὢν. Vale. viii. Cal. Septembris, Anno Christi Jesu M. D. Lxi.

JOACHIMUS CAMERARIUS  
CHRISTIANO LOTICHIO.

*En! perfecta tui promissa fratris ab ar te  
Carmina.*

**S**ic enim mutare versus Maronis compellanti te mihi, Christiane, visum, qui pollicitus essem, me operam daturum, ut divinum opus Carminum clarissimi viri Fratris tui, summa exquisitae artis cura hic ederetur. Confido autem eum, a quo illud jam elaboratum est denuo, secundum designationem ac praescriptionem tuam, declarasse diligentia sua, non modo spe commendandi officinam suam ista praeclare exprimendo, sed incitatum etiam fuisse studio elegantissimorum atque eruditissimorum scriptorum fratris tui, ut plus attentionis adhiberet, ac magis advigilaret ad luculentam hujus libri editionem. Sed hoc res ipsa ostendet. Quod autem attinet ad vacua loca in Elegiis, quae, ut significasti, vivus reliquisset imperfecta frater tuus consideratione quadam, ut non vulgares sententiae, collocatione verborum singulari, ibi reponerentur. Ea, quemadmodum censuisti, ita extant, tuumque candorem probo, qui illas veluti lacunas explere nolueris: neque existimo ferendam esse temeritatem ullius, qui id facere audeat. Nisi forte, tanquam in Veterum Poëtarum scripto aliquo complendo, experiri vires suas, & exercere ingenium hoc studio velit, suas quidem eas esse appendices testans, ut judicio eruditorum vel probentur, vel improbentur. Quod ego adolescens in Theocriteis quibusdam cum facere essem aliquando conatus, immerito reprehendi comperi. Sed haec alieniora sunt. Quanti me fecerit Clarissimus vir frater tuus, non est tibi, ac ne aliis quidem, ignotum: quae de ipso, etiam mortuo, esset existimatio mea, & antea studui intelligi, &, ut quacumque occasione demonstrem, deinceps annitar. Narrationem tuam de fortuna, quam variam incertamque subiit frater tuus in sua vita, quam pollicere, expectamus. Caeterorum quoque ipsius scriptorum, quaeso te, videas, ut, quicquid potest, conquiratur. In quo nostra sedulitas cum tua conjungetur. Neque dubito, quin facile libellus alter tantus, collectis his, exprimi possit. Quod ut separatim fiat, curabitur, ne quis interea renovandis prioribus editione gravetur. De iis vero, quae ante annum hic expressa prodierunt, cum non tam, quod facere jure poteras, conquestus nobiscum exposulasti, quam, scriptis amantissime litteris, sententiam judiciumque ac voluntatem Clarissimi viri fratris tui, tuamque exposuisti, tantum abest, ut nos offenderis, ut gratiam etiam tibi debere fateamur, praesertim hac navata opera, & laboris tui adjumento, ad hanc editionem allato. Caetera Typographus, magis adhuc diligens & assiduus, atque strenuus, quam fortunatus, si, ut existimo, te convenerit, coram tecum aget. Vale, & me non minus nominis tui, quam fraterni, studiosum esse, tibi persuade. Iterum Vale. Lipsiae, v. Calend. Sextil. Anno Christi Jesu, M. D. LXII.

EPIST.

## E P I S T. X.

## E I D E M.

**A**d tuas litteras, mihi de fratris tui scriptis missas, anno superiori respondi statim. Nuper autem nobilitate generis, virtute, sapientia, eruditione, doctrina praestans Ericus Berlepschius, cum hic me coram convenisset, inter alia, de te, & hoc ipso negotio, mecum locutus est. Tu autem, mi Christiane, velim tibi persuadeas, me ita animatum esse, ut si fratris tui, quem dilexi inprimis, & magni feci merito, bonam existimationem augere possim, nihil omnino in eo mihi passurus sim obstare. Nam, quod ad edita hic carmina attinet, in eo est operæ data amico veteri, qui ista coeperat exprimere me absente, & haerebat in opere. Nihil mihi vel commodi, vel famae est quaesitum. Atque sint modo omnia integra. Quicquid tu volueris, id facere poteris de fratris tui scriptis. Quod si illa nostro Ernesto, qui priora edidit, putaveris esse tradenda, ut hic de integro elaboretur libellus, ac novus potius prodeat, licet Ernestum tecum agere patiaris. Quibuscunque autem hic acceperit vestra, iis sine dubio stabit. De meo interim studio diligentiaque hoc polliceor, curaturum me esse, ne quid de celebritate nominis fraterni decedat, sed ut aliquid, si refici hoc possit, accedat. De his igitur omnibus tu decernes & statues: meque in eorum numero ponas, quos habere te credis amicissimos. Reverendum Virum D. Patrum tuum a me cum reverentia salutes, oro. Vale. Lipsiae.

## E P I S T. XI.

## E I D E M.

**R**eversus nuper huc ex patria, dedi quibusdam proficiscentibus ad mercatum Naumburgensem litteras, scriptas ad te, ut viderent, si qua illinc occasione ad te mitti possint: sed illae sunt ad me relatae. Scripseram autem de fratris tui clarissimi viri Poëmatibus, petens, ut de editione illorum sententiam tuam mihi demonstrares. Nam si quis est, qui ipsius nominis & famae celebritatem non modo inviolatam, sed illustratam & auctam, cupit, is sum ego, secundum te maxime. Collegerat autem noster Typographus plura scripta fratris tui, & erat prius edita quasi sub incudem revocaturus, id quod ignota voluntate tua, & priusquam sciremus, quid ageretur de his abs te, fieri non sum passus. Quare vel cum ipso, si forte ad te venerit, de omnibus ita colloqueris, ut res explicetur, vel plane perscribes nobis, quid tu institueris, & quid hac in parte velis. Persuadere autem tibi debes, me & propter existimationem fratris tui, & tuo quoque ipsius respectu, non esse adversaturum rationibus tuis. Vale. Lipsiae.

E P I S T.



## E P I S T. XII.

ERASMUS NEUSTETTER,  
 DICTUS STURMER,  
 PRAEPOSITUS CHOMBURGENSIS,  
 EQ. FRANCUS,  
 CHRISTIANO LOTICHIO.

**Q**uanta inter fratrem tuum Petrum Lotichium Secundum, & me, animorum conjunctio fuerit, Christiane Ornatissime, tibi ita notum esse arbitror, ut nulla plane declaratione egeat. Cujus etiam post obitum, qui non tantum tibi, & mihi, sed toti fere Germaniae, luctuosus & dolendus accidit, ego nihil potius curavi, quam ut ejus scripta, pro ut lectu dignissima sunt, nota essent quam plurimis. Cum itaque saepius ea de re cum Clarissimo viro D. Joachimo Camerario litteris egerim, ut tandem in publicum prodirent, isque ante biennium ultimam editionem se absoluturum recepisset, nunc autem, quo minus id fiat, nescio quo pacto moram in te rejicere videtur. Vehementer igitur a te peto, ut, quam primum res tuae patiuntur, & si fieri potest, in sex dierum spatio, te ad me conferas, & hospitium in meis aedibus capias, ut non tantum hac de re deliberare, verum etiam aliis negotiis, quae tibi honesta esse possunt, & statum tuum non parum amplificare, coram agere possimus. Erit hoc tibi utile, mihi vero gratissimum. Bene Vale. xvii. Calend. Januarii, Anno M. D. LXV.

## E P I S T. XIII.

NICOLAUS CISNERUS,  
 JUDICII SPIRENSIS IN CAMERA IMP. ASSESSOR.  
 NICOLAO RUDINGERO.

**C**um pro eo studio atque amore, quo multos jam annos me prosecutus est praestans & Medicus, & Poëta Joannes Posthius, amicus idem tuus, atque idem meus, mihi ante menses aliquot, libros suorum Carminum misisset, ut primum mihi otii quid a Judicialibus disceptationibus fuit, & diligenter & libenter eos legi. Etsi enim tantum mihi judicii in Poësi non sumo, ut, quae sint excellentis Poëtae partes, quae virtutes, me existimem intelligere: tamen magnam inter eos, qui hodie versus scribunt, & typis divulgant, perspicio differentiam, ac aliorum Poëmata mihi magis, aliorum minus probantur. Hi vero Posthii nostri  
 libri

libri ita me delectarunt, ut, cum depositis difficilioribus Juris nostri studiis, gravioribusque involutarum controversiarum cognitionibus, eos in manus acceperissem, viderer mihi, ex tristibus & severis illis Bibliothecae meae Curiaeque cogitationibus, curis & molestiis, quasi ex ergastulo, in amoenissimos veluti Hesperidum hortos divertisse. Quod igitur, pro sua modestia, & de me opinione, suorum Poëmatum jus omne in meum conferret arbitrium, illa ut ederet & hortatus sum, &, ut humanissimum esse nosti, ab eo facile impetravi. In spem autem venio, quemadmodum illa nobis voluptati fuerunt, sic aliis quoque grata & jucunda fore. Nam in iis & naturae ad Poësin facultatem, & ingenii acumen, & imitationis vim, & artis Poëticae usum videre licet. Quod si qui nos, vel ob exiguam in hoc genere studii facultatem, inidoneos, vel ob propensionem in Posthium nostrum, suspectos judices existimaverint: idem sane de Georgio Fabricio, laudatissimo viro, doctissimo homine, & optimo Poëta, sentire non possunt. At is excellentissimo & Poëtae & Medico Petro Lotichio hunc nostrum confert in disticho, quod in ejus Tetrastich. de reconditis & arcanis sensis Fabularum, ab Ovidio in Metamorphosi tractatarum, in hunc modum scripsit:

*Quatruplici celebrat mutatas carmine formas,  
Lotichio in Medicis aemulus & Melicis.*

Recte vero & probe Fabricius cum Lotichio, egregio Poëta & Medico, bonum quoque Poëtam & Medicum Posthium comparavit. Nam cum illum hic non modo in Poësi colenda, sed & professionis, vitaeque genere amplectendo, sibi imitandum proposuisset, tantum & naturae bonitate, & studio & diligentia, summaque animi contentione perfecit, ut illius & virtutes, & laudes, magna ex parte sit assecutus. Quin eidem etiam successit in clientelam Nobilissimi Neustetteri, cui libros suos, ob plurima in se merita, dicavit. Sunt autem, (ut quidem nobis ambobus videtur) sicut Lotichii versus culti, ita arguti, elegantes, docti, in quibus nihil impuritatis, nihil obscaenitatis, nihil turpitudinis inest. Si quae jocatus est & lusit in Blandinam, veteres imitatus est Poëtas, qui ficto nomine saepe eas, quas amabant, versibus suis praedicabant. At hic noster amicam nullam habuit: sed, si quam aliquando duceret uxorem, eam Blandinae nomine celebrandam putavit. Quocirca ut lusus hos excusabunt Poëtriis studiis dediti: ita, opinor, & illi nobis gratias habebunt, quod nostro hortatu haec iis Carmina liberaliter communicarit, & in publicum protulerit. Vale. Spiraë, Calendis Augusti, Anno M. D. LXXIV.

JOANNES POSTHIUS.  
JOANNI HAGIO.

**M**agnopere laetor, Hagi Ornatissime, Lotichianae vitae historiam, quam hortatu meo contexendam suscepisti, ad finem esse tandem perductam: quod sane, te uno excepto, (qui & studiorum ejus, & peregrinationum comes assiduus fuisti) praestare melius ex iis, qui hodie vivunt, meo judicio, potuisset nemo. Quod autem laborem hunc, & longum satis, nec ita facilem, inter maximas tuas, quibus quotidie implicaris, occupationes, amici causa subire non detrectasti, magnam, mihi crede, & perpetuam ex eo apud recte sentientes laudem reportabis & gloriam. Caeterum, quod in ea mei quoque honorificam fieri mentionem scribis, ago tibi gratias, ut debeo, immortales: modo in ea ipsa laudatione modum non excefferis. Vixi ego cum Lotichio, dum Heydelbergae professorem egit, conjunctissime, ita plane, ut, si frater ei Germanus fuisset, majore benevolentia me complecti vix potuisset. Quapropter illum, ut par erat, non solum ut praeceptorem, sed etiam ut parentem charissimum, observabam semper atque colebam. Quicquid autem in Poësi sum, si quid modum sum, id omne uni Lotichio acceptum me referre atque debere, libenter equidem & ingenue fateor. Et quo tanti viri consuetudo mihi fuit jucundior, eo acerbior accidit imaturus ipsius, & plane improvisus, e rebus humanis excessus. Decumbenti aderam assidue: multa quoque ipso dictante, & mortem suam quasi praefagiente, scribendo excipiebam: tandemque ejus, vita jam functi, oculus suavissimos, hac ipsa manu, innixus genibus, (humi enim jacebat) multis spectantibus, non sine lachrymis composui: & funus ejusdem, una cum septem aliis optimar. Artium Magistris, lugubri habitu, uti moris est, indutis, ad Divi Petri extra, moenia, ubi sepultus est, hisce humeris extuli. Triste quidem officium, sed tamen officium. Elegiam postea, in ejus obitum juvenili fervore a me scriptam, una cum aliis ejusdem argumenti versibus, imprimi ibidem curavi. Quae, quia ipsi mihi jam adulto, & judicio magis confirmato, non satis placebat, in Parergis meis Poëticis, Wirceburgi excusis, ut nosti, omissa fuit. Te vero ita volente, eandem recognitam ad te jam mitto, &, ut in lucem denuo qualiscunque veniat, libenter permitto, ne, famae nostrae, quam Lotichiani honoris, rationem majorem habuisse, videri possim. Porro institutum illud probo, ut nimirum & Vita Lotichii, & ejusdem Poëmata, additis etiam amicorum Carminibus, conjunctim jam imprimantur. Neque dubium apud me est, quin opusculum illud omnibus rei Poëticae studiosis futurum sit longe gratissimum, praefertim cum Poëmatum illius exemplaria jam diu a multis desiderari animadverterim. Dedicari autem haec omnia, quam Reverendo & Nobili D. Erasmo Neustettero, nemini rectius aut possunt, aut vero etiam debent: cujus.

cujus rei causas tum ex Auctore ipso, tum ex Historia tua, abunde satis intelligent legentes. Quare etiam hac in parte consilium laudo tuum. Quod superest, ut annus hic novus tibi tuisque felix sit & faustus, ex animo precor. Vale feliciter, & festinationi ignosce. Eram enim multis negotiorum tricus impeditus. Wirzeburgi, pridie Kal. Februarii, Anno Domini M. D. LXXXV. qui a morte Lotichii nunc agitur vigesimus quintus.

## E P I S T. X V.

JOAN. CHRISTOPHORO NEUSTETTERO,  
COGNOMENTO STURMERO,

ECCLESIAE CATHEDRALIUM MOGUNTINAE ET WIR-

ZEBURGENSIS CANONICO. &amp;c. EQU. FRANCO:

## JOANNES POSTHIUS.

Cum sub prelo jam iterum essent haec nostra, quae mitto, Parerga Poëtica, & quidem alterius Partis accessione adaucta, Patrum tuum, Joannes Christophore, Vir Nobilissime, Erasmus Neustetterum, virum immortalitate dignissimum, ex hac vita emigrasse, acerbissimo sane animi sensu intellexi. Cujus mei doloris causas habeo plurimas, & gravissimas. Trigesimus enim quintus jam agitur annus, cum primum in ejus notitiam bona quadam fortuna adolescens perveni, post P. Lotichii Secundi, Poëtae & Medici praestantissimi, obitum inmatutum. Huic ego cum praeceptori de me optime merito Elegia quadam parentassem, eam, adjunctis aliorum quorundam ejusdem generis Versibus, typis descriptam Patruo tuo dedicabam. Is vero statim huc equis, & viatico missus, me ad se humanissime Chomburgum invitat, aliquot dies lautissime habet, magnoque tandem donatum honorario dimittit. Ex illo tempore quot insuper & quanta, pro sua liberalitate, in me beneficia contulerit, non ignorant, qui me norunt, omnes, & cognoscet ex scriptis meis olim, ut spero, posteritas. Utinam autem praesens praesenti supremum vale dicere potuissem, nihil profecto mihi potuisset accidere optatius. Hujus enim rei causa proximis superioribus mensibus, cum filio Erasmo, (cui propater erat) difficili etiam & incommodo anni tempore, iter susceperam Chomburgum, ut, quo in loco primum olim mihi conspectus fuit & innotuit, senio jam & morbis confectum Mecaenatem consenscens ego cliens postremum inviserem. Sed nescio quod malum fatum meis votis conatibusque, in eo itinere obstiterit. Ipso enim tum ibi non reperto, domum re infecta (quod meum dolorem auget) redeundum fuit. Erat in eo ingenium excellens, memoria divina, studium indefessum: quo non tantum Latini sermonis copiam sibi comparaverat, & elegantiam singularem, sed etiam aliarum linguarum, Graecae, Italicae, Gallicae, adjunxerat cognitionem: imitatus ea in re, opinor, Daniele illum Stibarum, Eq. Francum,

virum laudatissimum, cujus domi, tanquam alterius Scaevolae, puer olim honestissime fuerat educatus: quomodo ipse te quoque puerum instituentum curavit, & aultiori auctor fuit & suavor, ut, ad uberiores ingenii cultum percipiendum, in Italiam, in Hispaniam, aliasque orbis Christiani provincias, proficisceris. Idem in amicis eligendis prudens, in amicitia colenda erat constantissimus. Neque sui tantum ordinis ac loci, (quod plerique faciunt) verum etiam alios, virtute & eruditione praeditos, homines, sua benevolentia & liberalitate complectebatur. E magno horum numero paucos hic tantum nominare licet, Camerarios, P. Lotichium Secundum, Nicolaum Cifnerum, Conradum Dinnerum, Joannem Gelchsheimerum, Paulum Melissum, Joannem Matthesium Medicum, Jeremiam Baunachium, Richardum Hemelium, Franciscum denique Modium. Et hujus quidem opera Bibliothecam suam, quam magnis sumptibus amplissimam, & omnis generis libris refertissimam Chomburgi instituit, longo tempore usus est. Ibi enim (ubi se etiam per jocum apud familiares esse quendam Regulum dicere solebat) libenter semper vixit. Ejus aedificia, & muros vetustate pene collapsos, denuo instauravit, picturis variis & inscriptionibus exornavit, atque redivitibus plurimum locupletavit: reque ipsa ostendit, quod cuidam turri inscriptum:

*Sic vos non vobis nificatis aves.*

Ibidem quoque sepulturae locum sibi, ante multos annos posito monumento, designavit, Horatiani illius memor:

*Omne crede diem tibi diluxisse supremum.*

Inde tamen non raro illum modo Herbipolim, modo Bambergam, modo alio, negotia publica evocabant: ubi omnibus expectatus, omnibus gratus erat, & instar Patris unice carus, atque id merito suo. Ubicumque enim debebat, domus ipsius bonorum ac doctorum virorum quasi diversorium erat publicum: pauperibus vero, & adversa pressis fortuna, asyllum ac penu uberrimum. In consiliis de Republica capiendis ejus inprimis requirebatur auctoritas: quae propter doctrinam insignem, & sapientiam longo rerum usu confirmatam, apud omnes plurimum valebat. Testantur id Legationes aliquot, pacis ac belli tempore longae & graves, magna cum ejus gloria & laude obitae. Quam porro fuerit Justitiae & aequitatis amans, cum in omni reliqua vita, tum vero in Provincialis Judicis munere gravissimo, quo Wirceburgi longo tempore functus est, abunde satis declaravit. Ab ambitione vero quam fuerit alienus, vel inde constat, quod eo munere, & Decanatu ibidem, qui honores sunt amplissimi, ultro se ipsum abdicavit: non quod in otio reliquam vitam vellet transigere, & sibi tantum vivere: sed ut, post patriam, cognatos quoque & amicos consilio & ope sua juvare commodius posset. Quod Emblemata quoddam, in caenaculo aedium ejus depictum, innuit, ubi candelae ardenti ascriptum:

*Aliis inserviendo consumo.*

Adulatores, ac Calumniatores, qui se apud lautioris fortunae homines plerum-

plerumque insinuare student, oderat, ut qui maxime: Idque his verificatilis, ad parietem alibi annotatis, testatum reliquit:

*Sit bonus interpret, nil mala verba nocent.*

*Sit malus interpret, nil bona verba juvant.*

Poësi sic delectabatur, ut in eadem se & legendo exercebat, & interdum, a curis gravioribus liber, aliquid ipsemet componeret. Memini, quum aliquando ad eum vesperi accedens post salutationem dicerem:

*Non invitatus venio caenare paratus:*

ex tempore ipsum respondere:

*Et, quia sponte venis, gratior hospes eris.*

Sed quorsum haec, inquis, quorsum! Non ideo sane haec scribo, quod meo testimonio tanti viri laudibus aliquid accessurum, aut tibi, ultro in virtutis stadio feliciter currenti, hac Patruum virtutum commemoratione, calcar addendum censeo: sed, quod antiquae, & diuturnae cum illo consuetudinis recordatio me magnopere delectat, tibi, ac Patri tuo Sebastiano, Praefecto Hasfurtenfi dignissimo, fautori meo honorando, eandem fore gratam & jucundam, omnino mihi persuadeo. Illo igitur ex humanis rebus, communi lege naturae, nuper ablato, Poëmata nostra ad te, virtutum illius vivum exemplar, jure quodam haereditario, jam veniunt. Quae ut grata tibi esse patiaris, & patrocinio tuo, ubi opus fuerit, defendas, meque ac meos tibi commendatos habere digneris, etiam atque etiam te oro atque obtestor. Quod superest, ut Deus Opt. Max. tibi quisque omnibus omnia semper prospera & felicia largiatur, ex animo precor. Myrtilleti, Kal. Januarii Anno Domini M. D. xcv.

# E P I S T. XVI.

## ERASMO NEUSTETTERO, COGNOMENTO STURMERO,

ECCLESIAE. BAMBERGENSIS ET WIRCEPURGEN.

SIS CANONICO, AC DECANO CHOMBUR-

GENSI: EQU FRANCO:

JOANNES POSTHIUS

*Quod Rhodanum, & Tiberim vidi, camposque feraces,  
Quos refuso Scaldis turgidus amne rigat.  
Quodque Macbaenias tracto baud inglorius artes,  
Lingua peregrinos quod mea docta sonos.*

H 3

*Muneris*

*Muneris esse tui, Sturmere amplissime, norunt,  
 Qui Tiberim, & Scaldim, qui Rhodanumque bibunt.  
 Ergo tibi nostrae merito offero carmina Musae  
 Quaecumque, illis quae mihi nata locis.  
 His conjuncta leges, numero quae dispare lusi,  
 Postquam me reducem Francia dives habet.  
 Quaeque mihi Austriacis distavit Pboebus in oris,  
 Romani custos qua sedet Imperii.  
 Si sperata Deus mihi fecerit otia, forsan  
 Et graviora istis, & meliora, canam.  
 Interea longam feliciter exige vitam,  
 Et solito vatem dilige more tuum.*

Wirzeburgi, Anno M. D. LXXX.

E P I S T. XVII.

JOAN. CHRISTOPHORUS NEUSTET-  
 TER, COGNOMENTO STURMER,

CATHEDRAL. BAMBERGENSIS PRAEPOSITUS ET

SENIOR, ARCHIEPISCOPALIS MOGUNTINEN-

SIS CUSTOS, ATQUE HERBIPOLENSIUM

ECCLESIAE JUBILAEUS. &c.

EQU. FRANCUS :

CLARISSIMO VIRO,  
 JOANNI PETRO LOTICHIO.

**N**on tibi, ut videre licet, Vir Clarissime, fatis fuit nostro nomine bonum illum Augustinum Crynesium summa nuper humanitate, quae tuae familiae innata est, lautoque convivio, una cum aliis eruditissimis convivis, Trancofurti excepiſſe, id quod summis apud nos extulit laudibus, nisi etiam grates, ob craterem dono missum, epistola docta adaugeres, ipsumque eleganti adornares carmine. Quale donum illud boni consules, donec nostri singularis erga te affectus clarius signum detur. De optimi quondam nostri Patruſi Erasmi Neustetteri fel. recordationis Elogiis colligendis, ni fallimur, vir eximius Janus Gruterus, dum vixit, idem cogitabat, ut nomen tanti Mecaenatis ab oblivione vindicaret. Si laborem hunc in te suscipere placuerit, laudanda tua erit voluntas, modo  
 ne

ne onus hoc a gravioribus Aesculapii studiis te avocet. Quod de Centuria, vel Millenario Carminum innuis, ne dubita, id omne, quod a te ad nos pervenerit, semper fore gratissimum. Celeberrimo scriptis editis viro Melchiori Goldastio, si istic, a nobis plurimum salutis: Cujus, si hanc civitatem transire contigerit, alloquium nobis gratum erit. Hisce te salvere, & bene valere jubemus. Dab. Bambergae, d. xxx. Octobris, Anno. M. DC. xxvii.

## E P I S T. XVIII.

JOAN. CHRISTOPHORUS NEUSTETTER,  
COGNOMENTO STURMER,

PRAEPOSITUS BAMBERGENSIS. &c.

JOANNI PETRO LOTICHIO.

**N**imium gratus es, Lotichi, dum exigua Neustetterorum, in te tuosque collata, beneficia tantopere extollis, & pro illis tanta facis, quanta ego non modo rogare, sed ne optare quidem unquam, fuissem ausus. Misisti ad me duplicem Musarum Divarumque chorum, quorum alter carissimi Patruī mei laudes canebat, alter in me ornando fuit occupatus. Nae ego tot subito cantatricibus, divina quadam harmonia concinentibus, distractus, ac pene raptus in ipso Parnasso versari mihi videbar: neque cui potius aures animumque intenderem, in pari omnium excellentia, potui statuere. Audivi deinde singulas accuratius, ut, quae alteri palmam praeriperer, cognoscerem: sed pleraeque sic excelluerunt, ut me de sententia dubium relinquerent, & adhuc sub iudice lis sit. Ac primo quidem choro, laudes Patruī mei personante, mirum in modum sum delectatus, quod eum, qui inter homines jam dudum esse desit, intelligerem etiam nunc inter Charites Deasque vivere, atque illarum beneficio vitam novam in animis hominum, aut potius immortalitatem, nancisci. Gaudeo certe, ac miror, tam memores gratasque Divas esse, ut, quod vile atque exiguum obsequium jampridem receperunt, tam sera apud nepotes recordatione meminerint, & constare venturae posteritati velint. Non refragor laudibus Patruī mei, quem in omni vita nihil, praeter rectum & honestum, spectasse, cum propria experientia, tum aliorum testimoniis, didici: quem proinde nunc, a Deo ad praemia evocatum, cum coelitis aeternum gaudere ut opto, ita spero: verum alteri Musarum choro, quem mihi praekonem adornasti, ut per omnia assentiar, non possum adduci. Vereor quidem te Apollinem, in pleno Musarum confessu & concilio, erroris infimulare, sed vereor & illud, ne amor in me tuus Musas fecerit in me praedicando liberaliores, quam mea vel tenuitas patitur, vel



vel modestia. Equidem certe ut, quod res est, ingenue fatear, earum laudum, quas plenius tibi decantarunt, vix umbram in me reperio: ita tamen Divas tuas veneror, ut eas non assentatrices existimem, sed sapientes Magistras, quae, qua posthac lege vivendum sit, fideliter praecipiant. Harum igitur impulsus hortatu enitar, in posterum diligentius, ut, si omnino in me collatas laudes assequi non possim, saltem ad eas propius accedam, ut aliquando dare queas veritati, quod nunc humanitati largiris. Quod denique Petrum Lotichium, Patrum tuum, Poetarum Germaniae Principem, novis Additionibus auctum, sub meo nomine redivivum producere paras, veterem illum tuum amorem, ex quo caetera in me fluxerunt obsequia, agnosco & amo. Sed etiam atque etiam vide, num tanto Auctori minus idoneum Patronum elegeris. Temerarium iudicarem, tam gravem in me suscipere provinciam, nisi probe nossem, illum magnum superioris seculi Apollinem alterius non egere patrocinio, qui suis se viribus ac nominis fama facile tueretur, neque aliena opus habere luce, qui sat clarus est sua. Quapropter hac nominis mei inscriptione Auctori me non lumen dare, sed lumen ab eo accipere, mihi videor. Age igitur, quod agis: ego vicissim faciam, ut re ipsa intelligas, te apud minime ingratum hominem laborem tuum collocasse. Caeterum unum in Epistola dedicatoria obrepfit, quod emendatum cuperem. Scribis, me adolescentem apud Regem Hispaniarum Philippum Tertium floruisse. Non fuit is Philippus Tertius, sed Secundus: Quanquam & Philippo Tertio, tum temporis Principi, ejus Filio, & postea Successori, non fui ignotus, qui suo me alloquio nonnunquam dignatus est. Vale. Bambergae, die XVIII. Septembris, Anno M. DC. XXX.

E P I S T.

\* S U P P L E M E N T U M  
E P I S T O L A R U M  
P E T R I L O T I C H I I S E C U N D I .

P E T R O L O T I C H I O ,

A B B A T I S O L I T A R I E N S I ,

P A T R U O S U O ,

S. P. D.

P E T R U S L O T I C H I U S S E C U N D U S .

**A**dventus *Nicolai Hernii* nostri magnae mihi voluptati fuit, Reverende D. Antistes, patruae observande! Jamdiu enim optabam de statu rerum vestrarum fieri certior. Quod haecenus nihil scripsi ad ea, de quibus Hanoviae deliberationem instituimus, in causa est, quod partim tutum non esset ea omnia literis committere, partim etiam, quod aliorum adhuc consilia exspectarem. Ego brevi, Deo volente, coram omnia exponam: decrevi enim, ubi Wirceburgum venero, ad vos excurrere. Author etiam Nicolao fui, ne illic discederet, antequam istuc venissem. Mirum enim est, quam perversa sit ratio docendi in omnibus fere Germaniae Academicis. Illustrissimi nostri Principis obitum magna in Aula mutatio secuta est. Sed de his omnibus coram. Deus Opt. Max. Dign. T. quam diutissime conservet incolumem.

*Heydelbergae, 22. Martii, M. D. L. IX.*

I D E M E I D E M .

**Q**uod serius, quam promiseram, scribo, Reverende D. Antistes, Patruae observande, causa est, partim, quod haecenus, ex quo a vobis discessi, Heydelberga fere semper abfui, partim etiam, quod ii, quos consului, amplissimi, gravissimique viri, de tanta re accuratius, ac diutius, deliberandum censerent. Videtur autem tota de successore tractatio intricatior

H \*

\* Absolutis jam a Typotheta Lotichianis Epistolis nacti demum sumus Petri Lotichii Abbatis Solitariensis Opuscula, a Joh. Petr. Lotichio Marpurgi Cattorum anno 1640. in 8o. edita, ubi a pag. 164. usque ad p. 178. leguntur hae Petri Lotichii Secundi ad Patrum Abbatem Epistolae, unde excerptas hic inserui illas, quas in editionis hujus collectione omissas videbam, ne quid desideraretur. Reliquae a Camerario ad Lotichium scriptae, desumptae sunt ex Epistolis Camerarii, Francof. apud Wechelios editis, Vol. I. Lib. V. pag. 491. & seqq.

cator esse, & spinosior, quam ut ita facile explicari possit. Expectamus Spiraë Electorem Moguntinum, Coloniensem, & Trevirensē, qui de Ecclesiasticis in posterum constitutionibus deliberaturi dicuntur: ea fortassis consultatio, ubi eventum suum sortita, & promulgata fuerit, planiorem nobis viam ad ea, quae volumus, aperiet. Inprimis autem necessarium est, ut Scholae conservatione, & institutione juventutis, bonam apud homines famam, atque auctoritatem, non solum tueamur, verum etiam muniamus contra malevolorum hominum consilia, & obtestationes. Qua in re quantum Christianus frater studio, diligentia, atque assiduitate, usui patriae esse possit, non ignoro, & ipsum etiam cumulate, & prolixè facere confido. De reliquis proxime, idque, Deo volente, brevi. Interea Bambergium nostrum D. T. etiam atque etiam commendo. Veretur hoc unum, ne, si se obliget, quod aliis accidit, è medio studiorum cursu revocetur. Cogitandum autem nobis est, atque etiam enitendum, ut tales aliquando homines habeamus, qui eruditione, atque auctoritate apud alios, ultra mediocres homines, aliquid possint, atque polleant. Quod de Bambergio, si ita pergere poterit, futurum, plane confido, atque etiam spondeo. Nam & amans est patriae, & in bonis literis cum laude versatus, optimisque & modestissimis moribus abunde mihi satisfacit. Bene vale, Reverende D. Antistes! D. Sigfrido affini, & Christiano, fratri, eorumque conjugibus, ac liberis, plurimam salutem.

*Heydelbergae, xlii. Novembr. M. D. lxi.*

### I D E M E I D E M.

Cum rediret Bambergius sine literis vestris, Reverende D. Antistes, Patruè observande, hoc uno nuncio recreabat me plurimum, quod affirmabat, D. T. bene valere: quod ego intelligere jam diu maxime desideraram. Retulit idem mihi, D. T. Herbipolim accersitam esse. Necessario igitur has literas mittendas esse, duxi, ut ex D. T. cognoscerem, cujus negotii causa id mandatum accidisset. Vocor & ego Herbipolim, ab hominibus, quibus nihil denegare possum & omnino his diebus iter ingrediar. Vehementer igitur a D. T. peto, ut, si quid illic ex usu vestris rebus esse possum, quamprimum significet. Dabo operam, ut D. T. cognoscat, neque voluntatem, neque efficiendi etiam facultatem, mihi defuisse. Hac de re D. T. literas expectabo. Deus Opt. Max. D. T. nobis quam diutissime conservet incolumem! *Heydelbergae, in summis occupationibus, Calend. Octobr. M. D. lvii.*

### I D E M E I D E M.

Cum Wormatiae essem, Reverende D. Antistes, Patruè observande, convenit me doctissimus vir, D. Heroldus, cujus Tabulas de successione stirpis Palatinae, ad te misi. Omnino aequum est, ut D. T. illum

( 64c. )

illum honorifice & excipiat, & remuneretur. Tabulae si nondum sunt redditae, tamen post nundinas reddentur. Alteras ad Generosum D. Comitem Hanoviae, Philippum, misi, una cum literis, ad Erhardum Crispum scriptis. De colloquio libenter scriberem aliquid, nisi interpellaret. Cogor enim illico abire, a Comite Westerbergensi vocatus. Deus Opt. Max. Dign. T., quam diutissime conservet incolumem! Bene vale!

*Wormatiae, x. Septembr. M. D. LVII.*

## I D E M E I D E M.

**V**alde eram occupatus, cum rediret Wendelinus noster, cujus rei ipse mihi testis est, Reverende Antistes, Patruè observande! Brevior igitur sum in scribendo, quam constitueram, quod & D. T. boni consulat, etiam atque etiam rogo. Nicolaus Hornius officium suum facit diligenter, meque colit, & observat, non dubito eum D. T. satisfacturum. In Bambergio pecunia ista optime collocata est. Factus est Baccalaureus his diebus, & egregium ingenii sui specimen dedit. Scholam istic efflorescere, vehementer gaudeo, cum patriae primum causa, tum etiam tua. Novi enim sollicitudinem tuam, & in promovenda literarum studia desiderium. Meae res mediocres sunt, ita ut facile contentus sim. Speramus tamen, propediem futuram reformationem Scholae, quae, ante Melanchthonis adventum, nulla omnino futura est. Deus Opt. Max. D. T. quam diutissime nobis conservet.

*Heydelbergae, iv. Junii M. D. LVII.*

## I D E M E I D E M.

**C**um Fridericus noster ad T. Dign. proficisci statuisset, etsi non ignorarem, quam gratus tibi adventus ejus futurus esset hoc tempore, Reverende Antistes, Patruè observande, tamen ei hoc a me enixe flagitanti scribendi munus, in causa praesertim honesta, denegare non potui. Cupit is nunc conjugii foedere aliquam sibi vitae, fortunarumque sociam, adjungere, quod sine D. T. consilio, atque consensu, aggredi, atque tentare, minime omnium in animum inducit. Dignus mihi semper visus est Fridericus benevolentia D. T., cum propter animi moderationem, tum etiam observantiam erga nos singularem. Fratris quidem Danielis consilium hoc est, ut sacris prius initiatus, domoque exaedificata, tale aliquando consilium capiat. Sed haec omnia a D. T. sententia pendent. Accepit heri a Philippo Melanchthone, & Camerario, literas, copiose ad Illustrissimi Principis Palatini Cancellarium, Minguitium, scriptas. Deus Opt. Max. pater Domini & liberatoris nostri JESU CHRISTI, D. T. quam diutissime nobis servet incolumem!

*Solitariis, xv. Januar. M. D. LVII.*

H \* 2

IDEM

## I D E M E I D E M.

**B**inas a te literas accepi his proximis diebus, Antistes Reverende, observande Patruae, ex quibus animum tuum erga bonas literas, minime quidem mihi ignotum, quasi in nummo expressum, vidi, atque deosculatus sum. Semper in ea fui sententia, sine humanitatis studiis, quibus juvenus non solum ad mansuetiorem vitae rationem, atque modum, informatur, verum etiam ad pietatis studium accenditur, nullam neque Ecclesiae, neque Reipublicae administrationem diuturnam, atque felicem, esse posse. Hujus porro loci ea est conditio, ut his studiis aut contemptis, aut neglectis, consistere non possit. Nam, ut multa hic praeteram, quae literis tuto committi non possunt, hoc tantum dicam, multorum, eorumque amplissimorum, virorum oculos in hoc Collegium esse coniectos, qui, tanquam ex altissima specula, omnes actiones, omnia consilia, atque studia, ancupantur, penitusque cognoscunt. Vehementer igitur gavissus sum, postquam acrem illam, paternam tamen, atque ab optimo animo profectam, admonitionem, intellexi, cui ut satisfiat, sensus omnes meos intendam, in eamque unicam rem defigam. Etsi enim multorum hominum acerbitas, & sinistrae, seu perversae potius, opiniones interdum plus valeant, quam aut pudor meus, aut ea moderatio, quae a natura mihi attributa est, testatum tamen relinquam in animis hominum, me nullius rei magis fuisse studiosum, quam boni ordinis, atque disciplinae, & propagationis studiorum, atque literarum. Ego Dign. T. omnia debeo, quaecumque in me sunt, sive ingenii, sive animi, ornamenta, & propterea nihil aliud cogito, nisi ut iis tantis, ac tot beneficiis tuis non solum non indignus fuisse videar, verum etiam ea aliquando illustrem, atque exornem. Sed de his satis. Mandata omnia tua diligenter curabuntur. Quod superest, etiam atque etiam a D. T. peto, ut has meas literas, tuis adjunctas, ad Secretarium Principis Palatini, una cum Melanchthonis, & Camerarii epistolis, per tabellarium proprium, transmittat, ne ego Clarissimorum virorum commendationes neglexisse videar, qui ultro omnem mihi benevolentiam suam obtulerunt. Si accederet Generosi Dn. Comitum commendatio, quasi cumulus quidam, nihil esset rebus meis accommodatius. Ego, cum propter anni tempus, atque tempestates, tum etiam, propter valetudinis imbecillitatem, itineri me dare non potui. Puer, qui cum Friderico venit, una cum fratribus, apud matrem Lindebergae moratur, quos, si ita videtur, huc accersam, ut ludum literarium frequentent: cum nulla sit amplius pestis, vel levis saltem, suspicio. Deus Opt. Max. Dign. T. nobis quam diutissime servet incolumem!

*Solitariis, xxiii. Januar. M. D. LVII.*

## I D E M E I D E M.

**E**t si nondum reversus erat tabellarius, quem miseramus, nec conjectura ulla consequi possemus, quid de illo ageretur, Reverende Antistes, Patruae observande, tamen Wurtzelio nostro, justis de causis istuc pro-

( 64e. )

proficiscenti, non potui non aliquid literarum dare, quamvis nihil sane accidisset scriptione valde dignum. Literas meas velim diligenti alicui tabellario committi, qui eas non solum Heydelbergam perferat, verum etiam responsum expectet. Occupatissimi sunt Principes his temporibus, & propterea modesto homine & prudente opus est, ne nimia festinatione totum negotium inturbetur. Ego multis jam literis Wirceburgum vocatus sum. Sed in Academia malo esse: & in tali Academia, qualis jam est Heydelberga, nempe Schola Christiana. De schola nostra mihi curae est. Ubi Dignit. T. literas accepero, scribam plura. Deus Opt. Max. per filium suum Jesum Christum Dign. T. quam diutissime conservet incolumem!

*Solitariis, ultimo Januarii, M. D. LVII.*

I D E M E I D E M.

**E**X literis tuis, Reverende Dn. Antistes, & Patruē carissime, benevolentiam erga me tuam, animumque vere paternum, perspexi: de quo licet dubium mihi nunquam fuerit, tamen eo magis gavissus sum, quod tam liberaliter, tam amanter, polliceris, te studiis, & commodis meis non defuturum: quod quidem ita esse, immortaliter gaudeo. Ago autem Deo, aeterno Patri, & ejus filio, Jesu Christo, Mediatori nostro, gratias, quod te in tanta temporis atrocitate, & perturbatione, nobis conservavit, & conservat incolumem: quod ut faxit diutius, precari non desinam. Ego, quamprimum inde literas accepero, in Italiam, in primis Pisas, proficiscar, quae urbs Hetruriae maxime floret bonarum artium studiis. Opto autem voluntatis erga me tuae perpetuitatem, ut per te sublevatus, honori aliquando patriae, & amicis, esse possim. De rebus meis ex Stibaris audies. Mare Mediterraneum magna classe tenetur, nos tamen hic tuti sumus, Deo sit laus: qui D. T. tueatur, & conservet quam diutissime incolumem!

*In Montepessulano, x. Februar. M. D. LIII.*

I D E M E I D E M.

**J**amdū nihil ad te scripsi, Carissime Dn. Patruē, quia in illis locis sum, unde omnia tardissime perferuntur, tum etiam, quia & raro tabellarii contingunt, & plurimum negligentes sunt, ut tuto illis vix quicquam committi possit. In nundinis Francofurtensibus fasciculum literarum invenies apud Christianum Wechelū, Typographum Parisiensem, ex illis de omnibus rebus meis cognosces. Jam vero scias, me, Deo laus, optime adhuc valere, & Lutetiae mansurum esse per hanc hymem: aestatem in alio loco transigemus. Varia hic nunciantur de tumultibus Germaniae, de quibus literas vestras copiosissime expecto. A Christiano fratre nihil adhuc literarum accepi, sed Witebergensem Scholam dissipatam esse judico. Tu vero

( 64f. )

vero Patruë, & Domine humanissime, ut te in his motibus incolumem nobis conserves, valetudinem tuam diligenter cura. Matrem, & omnes alios, saluto plurimum. D. Sigfrido, affini, scribere non potui. Bene vale, & me tibi commendatum habe!

*Lutetiae Parisiorum, xvii. Januarii, Anno M. D. LI.*

I D E M E I D E M.

Quod brevius, praeter consuetudinum meam, praesertim ad D. T. jam scribo, Antistes carissime, cum turbulentissima haec tempora, quibus tabellarii in viam se cum literis tuto dare vix possunt: tum valetudo etiam mea facit, qua jamdiu adversa, cum summo periculo, usus sum, quod in causa est, ut ad scribendas literas sim pigrior. Probe tamen (laus Deo) videor mihi convaluisse, quamvis subvereri mihi interdum in mentem veniat, ne morbus, ut solet, recurrat. Vos omnes adhuc bene valere, D. Philippus, M. Beuthero referente, mihi Calendis Maii indicavit. Quod quam libenter audierim, dici non potest: quoniam & meam salutem cum tua conjunctam videam, tum etiam, quia hac tristissimae Germaniae ruinae, studiorum periculossimae interneciones, bonos viros, & amantes patriae, & virtutis, ita afficiunt, ut & ista morte, si liceat, subterfugere malint, & in discrimen etiam vitae non raro incidant. De rebus meis omnibus adolescens hic praefens cum modestus, tum inprimis eruditus, certiores vos reddet. Is mihi in morbo meo diligenter omnia humanitatis officia, & cumulate etiam, praestitit. Rogo, ut eum commendatum habeatis, ut sentiat, pro isto beneficio meas ei literas profuisse. Velim, ut quamprimum hinc liberer, Antistes carissime! nec enim vel in hac urbe in otio, absente Melanchthone, me esse, nec eventum obsidionis, si eo res deducatur, exspectare consultum videtur. De omnibus rebus Udalaricus vobis significabit. Eundem de Melanchthone interrogabitis: quod ad breviter mihi est aptius. Consilium tuum, quid statutum habeatis, avidissime exspecto. Bene valeat T. D. in Christo, qui vos omnes quam diutissime servet incolumes!

*Raptim Magdeburgi, xvii. Maii, M. D. XLVII.*

E X

E X E P I S T O L I S  
JOACHIMI CAMERARII.

VIRO DOCTISSIMO PETRO LOTICHIO

MEDICO ET POËTAE EXIMIO

JOACHIMUS CAMERARIUS S. D.

**L**itteras tuas, mi Petre, accepi: etiam tuam discipulorumque tuorum epistolas & Georgii nostri ad Stibarum scriptas legi. Susplicatus ille fuit, te non libenter istinc demigrare. Id quod de tuis litteris non potui intelligere, cum ostendere videreris te Pisas cupere. Idque significavi Stibaro. Quem quod magni facis & colis, mihi magnae est voluptati. Noster vero Georgius quid dubitat? aut cur non vult Medicinae arti tecum operam dare? Nunquam diligenti curatione nostris hominibus magis opus fuit, quam & nunc est, & deinceps fore videtur. Ita graviter & periculose omnis generis & conditionis sexus plerique apud nos laborant. Sed hoc alterius esse artis opus dices. Est scilicet. Verum tamen & ista vestra praeclara est & salutaris meo quidem iudicio. Etsi jam quidam hanc de veterum praeceptis ac libris cognosci vetat, ac aliam viam ostendit contemplationis naturae & magicae facultatis. Sed haec nihil ad nos. Erhardum hortabere, ut non tam se aliquid in nostris litteris te magistro profecisse gaudeat, quam cogitet quantum etiam nunc restet ad id absolvendum quod institutum est. Nam si nunc remittat aliquid de diligentia & studio, uno die facile perdidit eam spem, quam longo tempore vix est assecutus. Nuper fui apud sororem Stibari aegrotantem domi suae ex gravedine & destillatione, quae admodum erat sollicita de salute filii. Itaque litteras jussi mihi illam tradere ad ipsum, recepitque me curaturum esse ut perferrentur, quas tuis inclusi. Placet autem cum Stibaro tum matri curari, ut ille quamprimum in patriam redeat, de quo scribitur ad Georgium. Caetera igitur jam vestrae diligentiae erunt. Tu velim mihi saepe litteras tuas mittas, quarum mihi lectio est gratissima. Tuos etiam discipulos ad scribendum hortabere. In his regionibus neque quid fiat significare possum, neque conjicere quid futurum esse videatur: nisi generaliter secundum Graecum versum, κακῆς ἤτ' ἀρχῆς γίνεται τέλος κακόν. Nihil vera ratione inceptum est, nihil agitur quod probari possit. Apparatus bellici ubique magni. Interea tamen & deliberationes & tractationes de pace usurpantur. Hic me retinebat nunc etiam respectus non tam mei quam meorum, καὶ καρδοκία quaedam τῶν μελλόντων. In quo magis sententiam amicorum sequebar quam meam. Vale. Id. Martii. Omnes tuos saluta verbis meis. G. Gabrielo nescio quid commentatus verbum inisi, ejus generis quo eum maxime video delectari. Iterum vale. Norimbergae.

IDEM



## I D E M E I D E M.

**N**eque temporum tranquillitas ea est, neque offertur opportunitas, ut concedatur mihi saepe litteras ad te dare. Nam & occasionibus hoc officium indiget, & aliqua animi quies ad eas scriptiones, quales nostras esse cupimus, requiritur. Ferme anno toto vagatus sum, & quam mustela mutavi domum. Et quanquam familia nostra adest, tamen hospitem hic magis jam quoque ago quam civem. Et redire enim ad Academiam cupio, & hic retineor respectu meorum, & itinera perhibentur esse periculosa. Quae privata incommoda reip. calamitas affert. Cujus quicumque autores iunt (nihil enim pronuncio, & certa fata Germanos agunt, neque hic mihi furor caecus est, neque vis acrior, ut ait Flaccus, sed profecto culpa, de qua longum esset scribere) sed autores tamen tanti mali, impietate & scelere se alligant, & sunt in impunitate & fortunae prosperitate ipsi miserrimi. Veneratio Dei aeterni & preces religiosae nobis relinquuntur. Nam, ut vercor, ἔπω πάντων ἐπὶ πείρατ' ἀέθλων ἤλθομεν, ἀλλ' ἔτ' ὀπισθεν ἀμέτρητος πόνος ἔσται. Nunc strenue quasi opere conducto a civibus vastatur patria, tanquam pomum ἔριδος objecta illa quidem praedae & direptioni valentioris. Neque ullius ratio aut cogitatio exitum prospicere aut definire potest. Interea & studiorum cultus deseritur, & Ecclesia perturbatur, & via aperitur barbariae, qua eo perveniatur, ut ad extremum intereant universa. De te & discipulis tuis cupio ea cognoscere, quae maxime expeto animo meo, id est, & recte valere vos omnes, & illos te amare, & ipsos proficere discendo, & existimare nihil esse studio pietatis ad Deum, & ad homines virtutis, praeclarius, aut melius, aut magis expetendum. Georgii autem vestri cupiditatem ad sacrarum litterarum lectionem deferri, & hac incitari animum juvenilem, neque patrono vestro improbatur, & mihi admodum placet. Itaque, ut opinor, nihil hac illi in parte adversabitur. Ipse modo videat ad quam partem applicet animum suum, neque ulla specie quamvis venusta patiatur averti voluntatem & studium a veritate. Est autem iste cursus lubricus, & πολλάκι τὴν γνώμην ἐξαπατῶσ' ἰδέαι, secundum Theognidem. Ipsi quidem & caeteris tuis omnibus salutem dici cupio verbis meis, inprimis Erhardo. Georgius Gabriel una cum Paulo & altero Lochnero in Burgundiam se contulit. Ita enim visum fuit D. Stibarō. Ad quem nuper μεμολυτῆντα in Hercynia hinc excurri. Sed haec te jam cognovisse existimo. Quid tuae Musae agant, scire cupio. Meae quidem quamvis percussae & trepidae, non possunt tamen non facere, quin aliquid etiam invita, ut dicitur, Minerva, moliantur illae quidem magis quam elaborent. Te quam felicissime valere cupio. Vale. Norimbergae. 9. Calend. Novembris.

IDEM

PETRI LOTICHII  
S E C U N D I

V I T A,

A DIVERSIS AUCTORIBUS

D E S C R I P T A.

PETRI LOTICHII SECUNDI

V I T A,

A U C T O R E

JOAN. HAGIO, FRANCO,

A D

ILLUSTREM VIRUM

ERASMUM NEUSTETTERUM, ETC.

( 67 )

JOANNIS HAGII  
P R A E F A T I O

A D

ILLUSTREM & MAGNIFICUM

V I R U M

ERASMUM NEUSTETTERUM,  
S T U R M E R U M

COGNOMINATUM, EQ. Fr. &c.

Cum me ad contexendam historiam Lotichianam Lotichii amicus summus, ejusdemque laudum summarum haud dispar aemulus Joannes Posthius pridem impulisset, eaque spe accendisset, facturum scilicet me rem cunctis Lotichii cultoribus cumprimis & acceptam & gratam, praecipue vero tibi magnifice, nobilissimeque Erasme, ceu Lotichii cum fautori, tum patrono maximo, in cujus utpote corde atque ore adhuc incolumis memoria redivivi illius vigeret atque spiraret, ut ad me scribit idem ille. Eum utique laborem ego, ut ne quid dissimulem, tot tantosque viros gratificando atque obsequendo mihi ut conciliarem ac demererer, neutiquam detrectandum recusandumve existimavi, subique illum sane cum audacter, tum alacriter. Eam historiam narrationemve Lotichianam utcunque exaratam ac perfectam primum, postmodum ubi cognoscendam ad eundem Joannem Posthium misissem sane pridem, accidit, me imprudente, rerumque ignaro, ut eadem ad manus quoque tuas veniret: Qua perlegenda, horis succisivis, rudi licet admodum atque impolita adhuc, intelligebam voluptatem nonnullam cepisse te, ac pariter jussisse, ut ea revisa, castigataque studio nostro, Paulo potissimum Melisso ex Italia propediem revertente censore & arbitro, in publicum proferretur, ac fieret communis multis. Quae voluntas, amplissimaque auctoritas tua semel perspecta nobis, tantum apud me ac nobilissimum pariter Laelium meum Melissum habuit pondus, ut, cum intelligeremus eam operam tibi praecipue non displicere, sedulo in eam curam incumberemus atque in expolienda ea elaboraremus, satisfacere equidem parte aliqua, aut saltem probare tibi studium nostrum adniteremur. Eam nunc recognitam, ad incudemque revocatam studio communi nostro publice sub nomine tuo, auspicioque praecipue tuo adparere multis sane de causis, atque exire in hominum manus sic te jubente curavimus. Primum, ut quod tibi viro principi non generis modo nobilitate ac dignitate summa, sed

quae potior, verior, aeternaue laus est, gloria Musarum, literarumque elegantiorum studiis atque ornamentis maxime illustri placuisset, aliis non displiceret, ac cavillis juxta leviusculis & futilibus, ac Criticis etiam severioribus via & aditus omnis intercluderetur. Nam qui Lotichium non solum in studiis Gallicis intime, familiarissimeque cognoveras, verum eundem etiam postea liberalitate munifica tua, patrocinioque prolixè ornaverās, foveras, auxeras: rectissime omnium te de historia hac Lotichiana nostra judicare, ac judicio tuo caeteros quoque homines non feros refragari minime par esse arbitrati sumus. Deinde cum a flagitantibus amicis, Lotichii maxime studiosis, (nominatim ac cum primis Posthio atque Melisso claris Poëtis primis impulsoribus, deinde ac non minus etiam Georgio Mario Medico populari & affine, multum & colendo & honorando, qui etiamnum Lotichium haud secus ac parentem grata memoria pie complectitur, ejusque per Gallias quodammodo perpetuus, conjunctissimusque usque comes & socius fuit;) inire haud vulgarem gratiam, iisque me dare ac morem gerere exaranda historia hac propositum fuerit: jure tibi, ut communi cum Lotichii, tum bonarum omnium Musarum summo patrono ac Mecaenati venerando, deberi commendatiunculam hanc de Lotichio nostro & opellam meam judicavi. Adde etiam, quod opportunitatem aliquam hujusmodi mihi dari, & occasionem in gratia aliqua apud amplitudinem tuam me ponendi, summisseque declarato studio aliquo & officio meo commendandi, maximo vero opere ego gavissus per me sum, habuique id plane loco beneficii coelestis singularis atque fortunae. Porro autem, (etsi jam omnis calumniosa mala sugillatio sub hoc pulchro (ut opinor) patrocinio conticescere, ac linguam tenere iussa est,) si cui ego in hac pertexenda historia, (in qua Lotichii vitam, descriptam effigiem nobis quandam adumbrare, repraesentareque hominis vere Philosophi, hoc est literarum, virtutumque egregie studiosi, simul est cernere, ad aemulandum juvenibus studiosis haud ignobili exemplo propositam;) videbor amore magis, qui oculis captus Poëtis fingitur, quam judicio vero ac recto in Lotichium cumulatiores laudes contulisse, quam homo ille juvenis adhuc viridi in aevo merebatur, ei ego paucis ingenue, libere ac vere volo responsum: Existimare non minus, me hercule haud vulgaria, nec mediocria virtutum praeconia, laudesque Lotichianas persecutum esse, ac ferme tantas, quanta in virum bonum & laudatum, Christianumque Philosophum cadere possunt; verum a me nihil de eo confictum laudum falsarum, ementitiisve artificiosis fucis huc arcessitum ornatum quempiam extraneum & vanum; (quod nescio sane an vituperare est magis, quam laudare;) praeter genium elegantem tuum (cui ego, ut laudum Lotichii maximarum maxime conscio, testique locupletissimo ac dignissimo, judicium omne permitto, ob idque Lotichianam narrationem hanc dedico; etiam aliorum nobilissimorum ac doctissimorum hominum de Lotichio mortuo pulcherrima atque amplissima testimonia publica, luctus & lacrymas, adpello, quae in funere ipsius quae in Epicediis; quae in Epitaphiis observata sunt, historiae nostrae admodum consonantia veritatemque illius maxime corroborantia. In iis quidem quae supersunt  
adhuc,

adhuc, ac publice extant, perquam luculentis monumentis amicorum, ac discipulorum moerentium funeralibus, videre profecto est, magnum omnino Lotichium fuisse, raraeque virtutis & magnae laudis virum, dignum, quem tot clari & principes viri lamentis & lacrymis sint persecuti. Falli me quidem potuisse vel amore ejus, quem ego plus oculis meis carum habui, vel opinione mea de illo, haud inficias ivero, ni tot praestantium virorum honestissima de Lotichio judicia ac documenta idem magnifice comprobarent. Quae tamen omnia facile vincit autoritas tua amplissima consentiens. Eaque propter simul nunc publicanda ea, historiaeque nostrae adnectenda ad calcem, in fidem scilicet narrationis nostrae, testimoniumque liquidae veritatis judicavimus atque procuravimus. Quid quod illud etiam (pace aliorum bona quod sit dictum) adseverare de Lotichio nostro vere non dubitem ac confirmare, nullum me meorum in vita nosse & literis communibus, quos quidem habui & plurimos & honestissimos, sodalium, de quo fatis functo meminerim ego, extitisse honoratiora judicia, de quo auditas ampliores laudes, ingenii divitis praeclaras dotes magis admirarentur omnes, de cujus vita, moribus, totaque disciplina praeclatius sentirent ac loquerentur, minus detraherent, minus culparent, magis laudarent omnes. Itaque a me, vere dixerim, nihil tam magnifice de Lotichio nostro dici potuisse, ut frater de fratre loquitur apud Comicum, quin id omne virtus summa superarit sua. Denique cum virtute nihil sit M. Tullio teste amabilius, fatebor etiam lubentius atque cupidius provinciam hanc conscribendae narrationis Lotichianae a me susceptam fuisse: quippe quod eam mihi haud plane infrugiferam, sterilemve complurium bonarum, eruditarumque amicitiarum quasi segetem sperare liceret, atque promittere. Nec me usque huc quidem opinio plane fefellerit mea, nec, spero, fallit de caetero. Idque propterea; nescio sane, an gratiae etiam eo nomine debeantur merito maximae Lotichii mei optimi caris manibus describendis, felicitique animae, quae mihi ad tot inclytas Poëtarum, aliorumque ac veluti Musarum Charitumque necessitudines & amores fores ipsas quodammodo aperuere quam liberaliter. Quod si in amicitia utilitas quoque aliqua spectanda venit, de quo disputat Cicero in Laelio suo, profecto Lotichii amicitia mihi multo fructuosissima, uberimaeque extitit ad hominum plurimorum literatorum studia, favores & amicitias comparandas. Verum enim vero, quod mihi de Poëta omnium judicio excellentissimo atque elegantissimo commentandi has partes sumpserim non Poëta, haud (nisi me animus fallit) vitio vertent, aut valde reprehendendum factum optimi Poëtae, sed veniam dabunt potius seu studio audacis senectae, & amori redivivo meo, qui amico antiquissimo & optime merito Lotichio parvulum saltem aliquid rependere, atque amoris nostri monumentum aliquod relinquere in vita persuasit, juvenili sive errori meo, seu timiditati, sive verius etiam ignavae molliciei, diffidentiaeque non ausae Pieridum sacros recessus adire, & Aonios montes scandere, cum existimatio mea juvenilis de Poëtis esset, *Eos nasci*: Etsi me quidem incredibile studium Lotichii, indefessique labores haud fugerent: Ac me si non virum Musicum, & saltem philomusum suum, hoc est, Poëtarum

amicum agnoscentes, atque in parte aliquae amicitiae cum Lotichio ponentes studium meum operamque, amicis postulantibus; navatam haud omnino improbabunt. Quod superest, Inclyte Maximeque Sturmere, breviter complexus te obtestabor, qua possum animi summissione ac veneratione maxima, ut lucubrationunculam hanc, Lotichii nomine & amore tibi oblatam ac dicatam, fronte serena accipias, dato ocio a gravioribus Reipub. negotiis ad repetendam caram, antiquamque memoriam multum adamati Lotichii tui, lectionem ejus in manus quandoque resumam, ac me juxta ac meos, quos in patria habeo fratres, amicos & cognatos, non alienos a literis, solita qua literas, qua homines literatos gratia, humilitate, favore, patrocinio tuo complectare, ac tueare clientes tuos. Vale Aënidum decus, & patriae ornamentum Sturmere. Ex Novoforo Noricorum, 10. Cal. Octob. Anno nati Christi c10 10 xxxiv.

## AD JOHANNEM HAGIUM MEDICUM ET PHILOSOPHUM,

**H**istorico texens, Hagi doctissime, filo  
*Vitam, facta, genus, fataque Lotichii:*  
*Rem facis Aëniis gratam, acceptamque puellis,*  
*Perpetui & famam nominis inde feres.*  
*Sic etenim raros numeraberis inter amicos,*  
*Quorum sancta viget tempus in omne fides,*  
*Et talem optabit sibi postmodo quisque sodalem,*  
*Qui simili celebret seque, suosque modo.*

JOAN. POSTHIUS, Medicus & Poëta L. F.

## AD EUNDEM HAGIUM.

**R**umpe moras, Hagi, scriptamque fideliter abs te  
*Ulterius vitam ne preme Lotichii.*  
*Illius hoc orant manes, oramus amici,*  
*Praecipue ante alios Neusteter orat eques.*  
*Quanta apud Almannos meruit Cameraria laudem*  
*Penna, Melanchthonium fida referre decus:*  
*Lotichii ex obitu tantam ipse mereberis olim*  
*Narrator verae sedulus historiae.*  
*Quam bene dispersita opera est, tibi sic dare vitam*  
*Funera, tu vitam das uti funeribus.*

P. MELISSUS, Comes Palat. & Eques, Civis Rom.

A D

## A D E U N D E M.

**S**cripsisti mihi proximis diebus,  
*Vitam Loticbii tui Secundi*  
*Per te graviter ac pio labore*  
*Confectam, atque domi diu retentam,*  
*Exire & populi venire in ora,*  
*Inpulforibus optimis amicis,*  
*Culto Postbto, & inclyto Melisso:*  
*Auditu mihi quod fuit suäve.*  
*Detentus satis est diu libellus,*  
*Dignus prodeat, ac typis notetur.*  
*Ne porro monitoribus repugna,*  
*Sed dimitte avibus bonis. Habebis*  
*Hostis si quis erit, tuos patronos.*  
*Gratum manibus hoc erit Secundi,*  
*Gratum nec minus optimis amicis.*

GEORGIUS POBLINGERUS, P.L.



PETRI



# PETRI LOTICHII SECUNDI,

POETAE FR. MEDICI AC PHILOSOPHI CLARISS. VITA,  
STUDIORUM FORTUNA, ET MORS,  
EXPOSITA PER

J O A N N E M H A G I U M, F R.

AD ILLUSTREM, ET MAGNIFICUM VIRUM

ERASMUM NEUSTETTERUM,

COGNOMENTO

S T U R M E R U M,

EQUIT. FR.

**P**ermultorum (quod extra controversiam est ac in propatulo) cum multa laude usque adhuc usurpata sermonibus hominum nobilium atque eruditorum, ac manente & vigente etiamdum celebri memoria & fama Petri Lotichii Secundi, ceu elegantioris aetate nostra Poëtae, ac nescio an nulli secundi, nec non juxta desideratis, magnopereque etiam deploratis ingenii magni & foecundi, uberrimis ac pulcherrimis fructibus jam maturis veluti cadentibus morte heu immatura, infelici fatali casu, Parcarumque severiorum nimis quam immutabili lege more meo misere peremtis ac interceptis: Cum me item sermonem forte nuper habentem, de eodem Petro Lotichio Secundo, aequali perfamiliari veteri meo, familiarem & varium audivisset Georgius Poblingerus homo literatus, atque ingenii cumprimis humani cultique, amicus meus, in professione superiori, animi gratia a nobis suscepta, adjuncto nobis tertio pro vehiculo in via comite ac duce jucundo & docto, Georgio Lunio vicino meo: Tum me rogare coepit ille majorem in modum, ut qui antea & poëmata Lotichii legisset, & carminum ejus perstudiosus esset, uti, quando ille mihi Lotichius meus a puero notissimus esset, ac longa consuetudine & usu amicitiae, studiorumque inprimis societate conjunctissimus, aliquid de divino (ut ipse judicabat) Poëta, elegantissimoque ingenio cognoscendi gratia, ipsi de vitae ac studiorum ejus curriculo & fortuna, pauca scripto comprehensa, pro humanitate studiorum atque amicitia impartiri non grarate vellem per ocium, ac commodum meo domum reversus. Quod impetravit id ille a me haud multum aegre, promissique illi adeo in re honestissima postulata, operam meam, animo non tam lubenti, quam cupido, utpote

utpote in qua nescio labor intervenire meus posset major, an major voluptas, si in recolenda memoria veteris amici amico gratificarer novo. Ac jam jam totus in eo eram, ut promissa adparere facerem pro postulato, quoad ejus fieri posset, quam brevissime. Verum in ea cogitatione ego dum sum: Ecce nescio quis genius (bonus opinor) suggerit animo meo universae vitae meae, cum Petro Lotichio Secundo actae in literis, communionisque studiorum omnis, incredibiliter mihi dulcem recordationem. Unde & hominis amicissimi desiderium mirabiliter renovatum mihi fuit, & accensus ardor quidam atque cupiditas, repetendi memoriam temporum praeteritorum notitiae nostrae, ac sodalitatis primae, atque adeo recognoscendi prima (ut sic dicam) incunabula studiorum nostrorum juvenilium. Ac subiit nescio quo modo, tum juxta simul ea nova cognitio animum: Quod si mihi in vita, temporeque melioris aevi Pythagoreum illud aureum, ac nescio an valde etiam Christianum: quid feci, quid peccavi, quid eorum, quae facere debui, omisi, observasse (ut fit) minus religiose contigisset; Id nunc succedente tristiore, at cogitantiori senectâ semel universim, mente tardiuscula licet, complecti, in animumque revocare fascesse. Quae proinde mecum mente dum revolve, ac in Lotichii angustiis heu dierum limitibus (Dii quoniam sic voluistis magni) circumscriptam vitam inspicio, videor equidem mihi nescio in quos helperios hortos florum, fructuumque omnigena gratia ac copia undique vernantes, undique abblandientes aridentesque intueri. Non ficta loquor. Quid enim, vel Lotichii amicis communibus arbitris, in Lotichio erat non gratiosum, floridum, non venustum, amabile, pulchrum? Cum animus ejus fere esset (ut sic loquar) in floribus & amoenitatibus Thessalicis usque Tempaeis. Quarum rerum liberiori usu ac cottidiano cum fruerer adolescens olim, minus commovebar, nunc aetate grandiore provectus requiro eadem recogitans, haud hercule nullo cum desiderio. Earum proinde rerum simulachra, quae mihi longo satis usu amicitiae altius mente adhuc insidebant impressa, necdum erant temporis diuturnitate oblitterata, sopita quasi excitare, in memoriamque revocare animus avebat; ac sic accuratius aliquantulo, ac plenius Lotichii vitae historiam descriptam, quae quidem mihi maxime nota essent, cum amico flagitante communem facere; itaque non tam alieno, quam domestico desiderio satisfacere.

In id vero ego dum studco, tu primus mihi venisti in mentem, qui in mente mea ante scriptus eras, clarissime Posthi, quem in re proposita, cupiditateque mea explicandae narrationis Lotichianae praecipue interpellarem, utpote quem ego noram & Lotichii nostri cultorem maximum, & genuinum ejusdem in omnis verae laudis, & virtutum possessione successorem ac haeredem maxime legitimum: Quique me ob Lotichium ipsum nuper amare non obscure coeperas, nec non amicitia tua dignum judicaras. Quod vel eo argumento didici, quod literis rudioribus meis adpelatus primus, nulla cunctatione, & ad eas rescripsisti, & animi benevolentissimi adversum me, in Poëtam vero nostrum summi etiam amoris significationem dedisti: juxta ingenue ostendens sententiam tuam ejusmodi scilicet. Si rem ullam unquam, hanc certe facturum me cum tibi, tum cun-

etis Lotichii amantibus cumprimis gratam atque acceptam: Nec interea me destitisti subinde cohortari etiam, ut in institutae historiae pertexendae curam, cogitationemque non segnīs, non ociosus incumberem. Quae cohortatio tua, mi Posthi, fuit apud me sane tanti, quanti debuit, ac currenti sponte sua addidit non solum calcar, sed & animos. Nam, ut ingenuē dicam, quod res est, fateor, me, ubi de eo officii genere ab amicis sum interpellatus primum, post amore, desiderioque tacito amici amicissimi Lotichii, quasi reviviscentis in pectore meo, ad hoc capeffendum amicitiae munus, redintegrandamque memoriam antiquissimam, cottidie accensum atque incitatum ultro magis ac magis: At deterritum contra ingenii mei in hoc genere inexercitati, rudiorisque ac nullius eloquii & doctrinae conscientia peculiaris, si ad alios complures homines nobiles & doctos, quos & habuit amantes sui in vita Lotichius, ac familiariter junctos, & nunc mortui memoriam sanctam, aeternamque conservantes, idem sui reliquit quamplurimos, commentatio ea mea perveniret: Nec vero veritum minus, ut ego argumento huic de Poëta excellenti ac praestanti Lotichio non Poëta, non Orator, sed Boeotus magis, magis Arator (sic enim materni generis mihi appellatio est) aut denique amicorum honoratorum queam expectationi in hoc genere aliqua ex parte satisfacere.

Porro autem non ignorabam etiam Christianum Lotichium, Petri fratrem, superiori tempore conatum, atque haud scio an pollicitum etiam narrationem fuisse vitae universae, ac fortunae variae fratris sui Secundi plenam atque integram: Qui quidem unus omnium id & poterat felicissime, & plenissime. Caeterum officium hoc ultimum fratri frater in vita anne praestiterit, ut ab illo plane expectabat, maximeque contendebat Clarissimus ac doctiss. Joachimus Camerarius, venerandae nobis memoriae senex, seculi nostri, gentisque nostrae, atque adeo Germaniae universae immortale decus: an vero (ut suspicor) cum morte Christiani illud quoque bonum nobis intermortuum, relictumque sit, ego quidem plane nescio. Quamvis scire me plura rerum, eventuumque Lotichii Germani sui Secundi in studiorum ratione ac cursu, quod erat intentionis nostrae, institutique praesentis nostri magis proprium, si ego adseverem, haut mentiar: Qui illum per omnem usque adolescentiam in optimarum artium studiis, etiam in longinquas terras, ceu fidus, individuusque Achates sim secutus: Rerum domesticarum, lariumque interiorem noticiam uberrimam, Christiano, animo perlubenti concedens. Proinde anceps animi, consiliique sic multum cum essem, mutare propositum, ab inceptoque desistere ob commemoratas causas non prorsus inanes aut futes saepenumero in animum induxi meum: Quod honestius scilicet facere me arbitrabar consulentem pudori ac famae meae, mecumque (quod dicitur) habitantem vela contrahere, a scriptioneque manus abstinere & calamum, quam turpiter abuti ocio videri & literis cum infamia. Quid, quod deposui etiam saepiuscule de manibus totum, vel sola interpellatus imbecillitate valetudinis meae? Quae mihi, nescio quo modo nuper (sic scilicet volentibus, nutuque suo rursus bene vertentibus bonis Diis) ut est satis notum amicis, tantum non omne lumen ingenii, omnem voluptatem studiorum, oblectationem-

tionemque pristinam, liberalem ac literatam, visa fuit extinguere, non mediocriter, me hercule, retardavit laborem omnem coeptum meum. At vicit demum, Posthi, sententia, & cohortatio tua, vicit redivivus priscus Lotichii stabilis amor, pervicit obsequendi magnum studium, dataque sancta fides perpulit vero non minimum etiam, vel sola autoritas dicti Joachimi Camerarii, desiderantis historiam aliquam vitae, fortunaeque variae P. Lotichii, frustrati vero expectatione sua de Christiano fratre Lotichio. Nec vero existimavi pertimescendum mihi vehementer periculum, si de amico ad amicos scriptionem hanc, pertexenda Lotichii historia susceptam, perficerem, vel refragandum non tam voluntati honestissimae tuae, quam plurimorum Lotichii amicorum communium pari cupiditati, studioque magno noscendi plenius aliquid de Poëta Lotichio nostro, vel recusandum id denique officii, per mihi amatis defuncti Lotichii manibus piis, cui debere me pietatem omnem, omne ingenium meum, atque animam etiam meam, ut qui me etiam sub humo pulvis amare non desierit, nisi ingratissemus sim, intelligerem. Nec vero denique si eloquentiam ad narrationem Lotichianam justam non adferrem, tergiversandum ob id mihi: Quam si adferas in hoc genere, non est aspernanda; si non adferas, sat fuerit, si desint caetera, expositionem hujusmodi non esse mendacem, nec a Philosophia usquequaque abhorrentem: utque verborum deficiat splendor, orationisque bona & ornata copia: at virtutibus illustribus ac veris laudibus Lotichianis utique non putavi defuturum orationi suum lumen, dignitatem, decus. Sic igitur, ut dictum est (quoniam jam longius praefando progressa oratio est) nunc describetur Poëta noster Lotichius, ac quae scilicet, ut constat, in vita nullus delectavit fucus, aut inanis strepitus, sed multo magis candor simplex, ingenui mores, sincera mens, sic veris depingetur ac nativis coloribus suis sine strepitu, sine mendaci fuco, sicuti virgo illa pulchra apud Terentium, cui nihil adjumenti ad pulchritudinem erat, capillus passus, nudus pes, vestitus turpis, ipsa horrida. Itaque ad narrationem pertempestivum accedere.

Nascitur Petrus Lotichius Secundus Solitariensis, Anno Christi incarnati crio. io. xviii. postridie Cal. Novemb. loco Deo ac rebus divinis sacro, paucis milliariis a Francorum Vado ad Moenum sito, solo amoeni, frugifero, bonorumque inprimis ingeniorum feraci, ubi forte ejus boni gratia conditum est Monasterium, sicque pariter appellatum a Carolo Magno Solitaria, ut esset scilicet Deo & Musis sacris sacer recessus ad proferendam, excolendamque territorii illius congenitam bonitatem. Est autem (ut ad me scribit perhumaniter vir clarissimus Joachimus Struppius Medicus, Lotichii popularis & sodalis vetustus, bonus:) Solitaria, illustris Hanoici comitatus oppidum, situm ad Drusi montem (ut etiamnum incolae nuncupant) intra patriam suam Gelnhusam, ac dioecesin Fuldensem: Supra quam Solitariam habitur ille amnis piscifer & peramoenus Cynthius, a Poëta passim suaviter decantatus, qui infra Hanoiam, comitatus praefati metropolim bene validam, Moeno demergitur: Ortus sui principia trahens non procul a patria nobilissimi Equitis Franci, ac Poëtae & Oratoris clarissimi, Ulrici Hutteni Stoltzenburgo vocato & Soda, ubi olim Sali-nae exitere.

Parentibus prognatus est non fortuna quidem magna, sed probitate & virtute antiqua hominibus, cum tellure commercia innocua habentibus, victumque ex arborum cultura justum sibi quaeritantibus. Quos (nisi ego fallor) ob id fortunatos nimium esse cecinit Maro. Eos quidem, licet de plebeia sorte hominum, studia literarum tamen & humanitatis & coluisse, & amasse, filiorum trium liberalis ac diligens institutio satis clare loquitur. Patri Ludovico Lotichio nomen fuit, quod cognomen post, praeceptor communis Philippus Melanchthon, accentus concinnioris gratia, & euphonias, in Lotichium transtulit, in Petro Lotichio Secundo discipulo percommendato.

Porro autem fratres habuit Lotichius noster Christianum minorem se, de quo modo verba facta in prooemio, & Georgium natum minimum, ambos cantare pares, & respondere paratos: Si fata illos, Deusque siverent. Nam ut de Georgio minimo dicam primum, hic impuberibus annis item Francofordiae loco atque exemplo fratris Secundi literis bonis egregiam operam navans, expectationemque de sese haud modicam excitans, in prima quasi herba (quod dicitur) ac vere ceu flos tener (heu) occidit ante diem: Gloria Musarum (ut de puero divinae indolis, summaeque spei fratre Germano, charissimo, cruda morte perempto, scribit Poëta noster plorans lamentabilem in modum) summa futurus, ac cui jam lyrae cordi, jam modo carmen erat. Christianus vero aetate medius, qui cum mihi quoque familiaris amicitiae usus, consuetudoque, disparis licet saporis, in Saxonibus fuit, causa fratris sui Secundi, ingenio quoque idem praeditus plane Poëtico non malo, at opinione quidem mea leni minus & tractabili, fratris Secundi gloriam & studium secutus, studio pari in versibus componendis, non parem, laudem tamen suam adeptus est apud doctos, specimenque dedit non nullius industriae Musicae; ita tamen, ut tu videres, natura veluti & moribus animi, sic carminis suavitate a fratre Secundo longo intervallo relinqui, ac sapere nescio quid horridiusculum & ingenium & carmen illius magna utrique correspondente aequalitate. Caeterum is nobis fatis ibidem nimis properantibus e medio sublatus est ante diem, ac mortem fratris Secundi consecutus non longo intervallo, ut accepimus, in patrio solo clausit extremum diem suum, cum scholae Solitariensis monasterii gubernationi praefuisset patrui ordinatione per tempus aliquod. Atque hi primi ortus & natales Lotichio nostro exitere: Quos ille quidem sortitus per se haut ita claros, lumen familiae suae intulit; praeluxitque, ut M. Tullius de se glorians jactat, virtute sua maioribus.

Quid dicam de Petro Lotichio patruo coenobii ejus antistite, sene Venerando ac perdocto, ad cujus discretionem Secundi nomine nuncupari Poëta noster judicio suo & voluit & postulavit adolescens admodum? Viro insigni pietate, omni genere laudis, virtute, sapientia, doctrina praestante, qui non solum familiam & natales obscuriores suos, sed quod vere immortalis, aeternaque laude dignum est, Dei gloriam veritatis coelestis, quod est verbum Dei viventis, propagatione illustravit, juvitque religionis opus, quantum quivit maxime. Praetereo hoc loco prudens feriem longam Abbatum ejus Collegii sapientum & doctissimorum, qui pietate, doctrinaque

strinaque eminentes, certare litem illam Hesiodiam honestissimam cum vicino collegio Fuldensi, eruditionis ac sapientiae gloria toto orbe celeberrimo, non dubitare: Unde loco huic monasterii Solitariensis lumen, claritasque adfuit. Ac sic Lotichius noster quasi ex mediis montibus Aoniis nobis prodit, velut in gremio Musarum natus, atque educatus inter Gratiarum. Quid, quod Lotichium ego memini in adolescentiae annis apud nos sodales suos, quasi juveniliter exultantem, ac tantum non sese efferentem, saepe numero iactare, Ulricum Huttenum, Equitem Fr. popularem suum, ceu haut procul a patria Solitaria progenitum, ut est praedictum, ad Cynthii fontem delicii sui, ceu virtute heroica atque ingenii gloria magnificum, maximeque clarum, nec non idem de magnitudine animi, ac styli invicti celsitudine praedicare multa solitum plenis (quod ajunt) buccis. Ac, ut tria verba non inania de Huttenica nobilissima gente Francica addam hoc loco, manet etiamdum in ea gente hodie, veteri instituto, ac, quasi lege, recepta consuetudo, cum illustribus priscis virtutibus ac rei militaris gloria humaniorum item studiorum cultum Musarumque decus conjungere, ut memoria proxima nostra in Mauritio Hutteno praefule Aureatensi, viro egregie sincereque docto, ac virtute summa, observavimus, nec minus idem nunc in nepotibus deprehendimus, ut praeclaris virtutibus caeteris, sic literarum laude ornatissimis ac praestantissimis Bernhardo & Georgio Ludovico Huttenis fratribus, de quorum patruo Philippo illud memorabile (quod in Epistola quadam Joach. Camerarii senioris felicitis memoriae ad dictum Georgium Ludovicum scripta, olim ab eodem mihi in arce Francopurgo, Bernhardo habitata, amice tradita ac nuper publicata per Joach. Camerarium filium doctissimum, Medicum Noricum, commemoratur) eum, licet multarum linguarum peritia excellentem, ac potentissimorum & principum in Republica virorum amicitia & gratia florentem, dicere tamen aliquando non dubitasse; cuncta se illa bona sua, si fieri queat, commutaturum libenter esse cum ea facultate eruditae doctrinae, quam in Joachimo Camerario animadverteret. Perhonesto oratio, votumque magno nobilique viro dignum.

Porro autem ubi Lotichius noster infantiae suae annos, hoc est, secundum physicos, Medicos nostros, septenarium primum complevit, quibus ille ferme matris carae haesit in ulnis ac complexibus, quam ille haud illiberalem sortitus est annorum puerilium formandorum magistrum, ignarus adhuc maximorum ac pulcherrimorum bonorum suorum, intus ceu seminum delitescens, puer, in quo indoles haud rustica eluceret, traditus est mox a parentibus agricolis, patrui magni & sapientis viri ductu atque auspicio magistris, artibus ingenuis, disciplinisque bonis & liberalibus erudiendus ac formandus: idque Solitarii primum, ubi fundamenta prima jecit earum laudum maximarum, virtutumque eximiarum, ad quarum culmen progressu aetatis, studioque adhibito feliciter pervenit. Erat quippe ibi schola tum, vigilantia cura, dicti patrui Abbatis doctissimi Petri Lotichii, haud perperam constituta: Cujus quoque viri domus tum, ceu Musarum domicilium erat ac receptus, commune quoddam hospitium hominum literatorum & doctorum: Quorum consuetudine (pares

namque cum paribus veteri proverbio) Abbas ipse doctissimus cumprimis maxime delectari, praemiisque etiam ad se invitare adsolere. Quem ego vidi adolescens senem Marpurgi Hessorum, sic bonis literis nobiscum ac studio praesertim Theologico, non per se solum praeclaram operam navantem, verum etiam in optimarum artium studiis, maxime vero literarum sacrarum, bona ingenia complura cum sumtu liberali suo foventem, tum vero exemplo proprio, ac convictu domestico cottidiano invitantem atque excitantem, atque in iis una Petrum Lotichium Secundum ex fratre nepotem. Quem vero virum atque antistitem venerandum Petrum Lotichium nos una nobiscum versantem in Academia sic coluimus, sic observavimus atque suspeximus, ut non solum haberent alumni studiosi adolescentes exemplum pulcherrimum domesticum ob oculos quasi positum, quod intuerentur, quod contemplarentur, quod ad capeendas alacriter cum disciplinas honestas, tum virtutes aemularentur, verum etiam universitas ipsa, ac discipulorum & docentium pariter frequentissimi coetus, confessusque honestissimi ac nobilissimi illi assurgentes, in illum vultus, oraque obverterent sua. Adsolebat vero is, ubi intentionem studii remittere vellet, animumque relaxare curis, plurimum perfamiliariter uti (gaudent quippe Musis bonis semper jungi bonae Gratiae, & amant sua alterna solatia Camoenae,) Joanne Draconite Theologo, ac Johanne Hildenbrando Jureconsulto, popularibus, ambobus Francis, ambobus viris doctissimis, humanissimis, optimis. Fuerat hic Hildenbrandus a Draconite, sobrino suo, post multam sollicitationem, ad consummanda studia sua Juris jam olim relicta, ac diu intermissa, ad Academiam Wirceburgi ex summorum honorum publicorum, quasi medio cursu, cum satis bene multa familia, retractus: Qui post semel facta mutatione loci & fortunae foris exceptus, exercitusque multifaria aerumna, vitam exegit plenam laboriosae peregrinationis cum liberis, potissimum apud Saxones externos, nullo certo ferme lare, extorris a patria, exemplo aliquo, haud rudis communis vitae hujus malorum, Jacobi patriarchae.

Sed ad Lotichium nostrum revertamur, quem Solitariis in patria Grammatices elementa, ac pietatis prima rudimenta facile, celeriterque arripientem, inque literis puerilibus praeter caeteros proficientem, nec non de sese spem aliquam non vulgarem ostendentem antistes patruus ubi animadvertit, pueri generosa indole delectatus, illum de caetero sibi cura peculiari educandum, atque in studiis liberalibus ac bonis literis provehendum liberaliterque instituendum quasi adoptavit. Itaque eum adhuc puerum ista indole atque aetate idonea ac tenera majoris profectus gratia ad vicinam scholam Francofordianam, in qua tum humaniores literae ac disciplinae egregie vigeant gubernatore Jacobo Micyllo, transmisit, atque in ejusdem doctissimi Micylli familia collocavit: Qui tum ei scholae praefectus magna celebrique fama juventutem optimis tum moribus, tum literis Latinis pariter ac Graecis in ea urbe informabat: Ratus scilicet illum perquam idoneum agricultorem & magistrum excolendo huic tam felici ac liberali ingenio, magnaеque puero spei fore. Nec plane illum fefellit opinio sua: Sub hoc enim magistro, bonoque Musarum duce, Lotichius

tichius puer, tanto studio atque ardore animi, tantaque celeritate ac facilitate percepit disciplinas cum Graecas, tum Latinas, ut facile aequalium suorum gregem praecurrens multis (quod dicitur) parasangis exuperaret, non solum oratione componenda soluta, sed etiam ac praecipue numeris ligata, ac plerique omnes judicarent Lotichium, ut erat, singulari ingenii felicitate, adeoque vi quadam divina praeditum esse.

Enimvero provectus sic Lotichius cum aetate, tum studio sub praeceptore Micyllo paulatim prodere arcanam illam & latentem naturae vim, atque exercere, ostendereque inclinationem suam, sive appellare libet magis, naturalem quasi impetum ad studium poëticum, cui sic postmodum totus deditus adhaesit toto vitae tempore, ut quicquid extra carmen & versum ageret, quasi aliud agens ageret. Quod verbum Lotichio ferme erat in ore persequens, ac sic ille de sese, deque studiis suis loqui familiariter solebat. Sicque Lotichio post, ut dictum est, in exercitanda poëtica tempus, studium, cura omnis consumebatur, ut illum non factum, sed Poëtam natum, aut a Philosophiae studio saltem excitatum, vel si cum Pythagora magis etiam loqui liceat, commonefactum diceres. Cui rei vel hoc satis evidenti argumento esse possit, quod ego accepi illum puerum admodum, ac per aetatem fari vixdum ac proloqui puerilia verba potentem, ruri saepe libenter esse, atque in agris & sylvis errantem inter pastores (vera narro) cantare, nescio quae, Pastoralia, ac numina sylvestria solitum; ac jam veluti Maronacae sylvestrem Musam tenui meditari avena occipientem.

Atque hoc loco commemorare obiter haud alienum fuerit, quod de origine Poëticae Aristoteles memoriae prodidit. Cum enim (ait ille) natura insitum sit nobis canere, & Musica quadam agi, primum quidem coepta est cantu quaedam imitari rudi & agresti, mox ubi id delectaret, adhibita majori cura & studio tandem & ars facta est, & nata Poëtica.

Talis igitur nobis, ac natus taliter studio Poëtico & Musico Lotichius noster clare ostensus cum sit, bona hercule fortuna, quin imo (quod verosimillimum est) divino casu contigisse putandum est, illum in talis magistri, nempe doctissimi, cultissimique cum Poëtae, tum Philosophi Jacobi Micylli scholam primo tempore tradi ad excitandos veluti sopitos Musices igniculos occultos, eliciendas, expoliendasque felices naturae reconditas opes, ac tacita congenita bona maxima adhuc teneris in annis: In quibus quanti referat recte adfuefieri, recte institui ac condocesfieri, praeter experientiae cottidianae documenta ob oculos nostros obversantia, sapientum veterum elogiis atque exemplis illustribus, in iisque cum maxime Lycurgi Lacedaemonii de duobus catellis diversimode educatis, quae juvenuti doctrinae, disciplinaeque causa communiter in scholis, ac non inutiliter consuevere tradi, luculenter est demonstratum: Quippe cum ipse, quem dixi, magister summa laude Musices claruerit, nec non linguae excelluerit utriusque Graecae, Latinaeque pari facultate perquam eleganti, ut taceam interim disciplinarum omnium, artiumque Philosophiae cunctum orbem, *ἐγκυκλοπαιδείαν* vocant, egregie absolutum ac perfectum: Cujus viri industriam, ingeniique solertis ad Graecas potissimum Musas inclinationem,



tionem, ac dispositionem admirabilem, vel ex alieno accito nomine Micylli, si quis forte ignoret, aestimare valde liceat : Quod (ut ex praeceptore olim communi Joanne Lonicero, Graecas tum literas docente Marpurgi Hesperum doctissimo Philosopho & post Theologo Micylli praecipuo amico accepi) non illi patrium gentiliciumve fuit, sed natum ex actione quadam scenica Luciani Galli cum eximia dexteritate quadam & elegantia administrata : Id erat Francofurti : in qua ille, Micylli, heri somno occupati, somniantis suavissimum somnium, at galli obstrepentis domestici multo molesto cantu solito expergefacti, iraque perciti personam tam decenter, venuste, doctèque gesserat cum multo auditorum adplausu, (interfuit ei actioni tum quoque Lonicerus, ejus-rei veridicus testis) ut illi id cognominis post manserit toto tempore vitae suae cum summa ingenii & industria suae commendatione & laude, mansurumque est forte cum familia ad seros nepotes, longamque posteritatem. Quod nominis Micyllus ipse bonus in filiis, ad quos scilicet gloriae Paternae haereditas pertineret, mutare post nec voluit, nec fortassis etiam potuit, ac licet ipso mortuo, superest tamen ac vivit, vigetque aeternum. Quo nomine praecipue Julius Micyllus, clarus hodie & doctus principibusque viris honoratus Jureconsultus vocari gaudet, qui scilicet ut patrium cognomen retinet libenter, sic haud degener egregiam etiam virtutem ac decus patrium non solum praeclare tuetur, sed etiam juris scientia accumulatur : Cui puero Lotichius noster etiam pia carmina inscribit, deducitque ea fide & pietate ad Christum religiose solum agnoscendum, colendum, venerandum, quam ille a pio & sancto parente Micyllo sene puer hauserat.

Caeterum addendum unum adhuc de Jacobo Micyllo; fuisse illum unum de numero hominum illorum nostratium doctissimorum ac clarissimorum Philosophorum, qui tum studia Graeca in Germania nostra cum omni politiori doctrina, ac literis humanioribus, barbarie pulsa, certatim excitare. Cujus ordinis facile principes primariique duces, ac *κερυφαίαι* extiterent post Erasmus Roterodamum incomparabilem virum, nostrae gentis gloria Joachimus Camerarius, nosterque Melanchthon, duo vere luminaria magna, ac viri magni, immortalitate digni.

Sed haec de Lotichii pueri praeceptore Jacobo Micyllo haecenus in transcurso recitalle sat sit, nec fuerit abs re dixisse.

Ad Lotichium redeo; qui tali praeceptore usus, rectisque studiis, atque omni liberali doctrina institutus in pueritiae annis tantus ac in tantum nobis Poëtam evasit. Quem praeceptorem, dehinc Lotichius pro meritis gratus discipulus, ceu parentem alterum suum agnovit, tota vita omni pietate coluit, observavit, jactavit denique & amavit, ac mortuum senem in Christo redivivum immortalis carmine, quod in manibus doctorum est, pie condecoravit.

Porro autem habuit Lotichius in primis adolescentiae annis alterum quempiam mihi hoc loco neutiquam silentio praetereundum ducem, ac formatorem studiorum Poëtices non ignobilem, Joannem Pedionem Rhetum Poëtam L. qui post Oratoriae & Poëticae facultatis professor factus est Ingolstadtii. Qui quantus Lotichius noster futurus esset, quidve esset a sum-

mo

mo illo ingenio expectandum, vel unus omnium maxime vidisse videtur, ac id declarasse epistola quadam ad illum scripta sua: Quam ego a Lotichio mihi benevolentiae & amoris ergo in primis cognitionis nostrae temporibus donatam, atque adservatam usque huc cum diligentia in musaeo meo inter *κειμήλια* caetera mea praecipua, hoc est, doctas doctorum hominum & amicorum ad me epistolas: cum ob argumenti cum narratione nostra Lotichiana instituta convenientiam, sententiarumque & verborum gravitatem adnotatione hoc loco non indignam, non ineptam aut supervacaneam censerem, adde etiam quod vel visam vel lectam eam esse putarem nemini, existimarem autem iis, qui rerum ac studiorum juveniliū Lotichii noscere quippiam cuperent, lectionem ejus fore non injucundam: recensere integram volui, quae ad hunc sese habet modum.

## JOANNES PEDIONEUS

RHETUS PETRO LOTICHIO S. P. D.

**L**iteris tuis ut respondeam, etsi nulla alia me causa impulisset, ut quem modo cum perturbatis undique rebus omnibus suspensum de meo statu, tum a libris, ocioque illo literario alienum atque avulsū prope ipse tu animadvertisti: tamen quod partium esse mearum putavi, pro studio erga nostrates omnes adolescentes pari, proque amore meo quodam peculiari erga te feci. Siquidem id & tu rogare & meum hoc officium postulare videtur. Itaque quod mehercule prius feci, jam quoque faciam, hoc est, excitabo te, uti illa ipsa via, quam me autore suscepisti, discendi veram eloquentiam, atque optimas artes, eo usque contendas, ut quandoque ad summum laudis nomen atque fastigium nostris hominibus pervenisse videaris. Idque sic velim statuas, ut si ad eam ingenii tui vim ac felicitatem parem adhibeas industriam, sis omnes tuas actiones, studia, aetatem, hac una cogitatione corroboraturus: Quam prae aliis maxime commodam vitae, ac fructuosam studiis majores nostri judicarunt. Etenim si non solum homines Philosophi, sed Dii ipsi immortales a brutis animantibus sola quidem orationis vi atque potestate mentis nos esse diversos voluerunt: quo quidem is facere mihi rectius videtur, qui quod accepit a caeteris donum, sua, (cum id Dii ipsi jubeant) cura, suo labore perficiat, nec solum loqui posse contentus sit, sed ultra etiam loqui ornate ac splendide discat, seque vere non hominem, id est, mortalem ac fragilem, sed immortalem, & quasi Deum virtutis actione se fingat. Ea vero cum aliis multis rebus constant, tum praecipue summa, ipsumque gloriae culmen in eloquendi ratione consistit. Quam quidem etsi plurimi diversis modis ambiverint, eloquentiam dico, ejusque aliquam quisque partem adumbraverit, pauci tamen veram illius, vivamque imaginem ad hunc sane diem repraesentarunt: idque non tam aliquando naturae vitio, aut ingenii imbecillitate, quam parum prudenti hujus rei arduae moderatione atque judicio, quo quidem destituti fuerunt. Hinc caeterae dotes, quamvis amplissimae, imminui, confundi atque turbari ipsique illi ardore magis ani-

L

mi

mi rapi, quam spe effectus frustrari. Sed cum porro tribus praeccipue modis se mortalibus ea dicendi ratio infundat; usu, ardore, imitatione, iisque tanquam ducibus constet eloquentia; eam tu viam potius aggredi, eam rectius doctissimi norum hominum sententiam sequere, qua ad summum pervenire posse confidas. Nam cum ista tibi naturae facilitas est, tum illa quidem felicitis ingenii vis atque potestas, ut nihil omnino tam in arduo positum, tamque sublime esse videatur, quod non assequi posse te sperem, non facile te in mediocritate quasi desperato successu, non in satietate, quasi confecto cursu patior consistere: sed in altum te velim efferri, quo te voco. Itaque quod a me his paucis diebus audivisti pluries, id & mehercule jam repeto atque inculco, uti unum prae omnibus aliis eligas, quem maxime studeas exprimere in consuetudine & dicendi bene & scribendi. Eum equidem unum esse ac maximum omnium M. Tullium dico: qui omnes in oratione virtutes, omnes dicendi nervos, omnem vim, copiam, venustatem ita persecutus est, ut non homo quispiam Arpinatum civis, sed quasi Deorum immortalium consilio, Jovisque Opt. Max. gremio lapsus in terram, civibus, imperio Reique publicae Romanae divinam induxerit linguam. Cujus quidem majestatem atque virtutem non Capitolium dico solum incredibili admiratione complexum est, sed & exterae nationes, gentes, civitates, ipsique adeo Graeci homines in hujus unum conspectum ora obvertebant sua, hujus sermone extremi totius orbis incolae, populi incogniti, remotissimae gentes suspensae velut ac victae conquieverunt. Quare sic statuendum tibi est, ut hunc unum imiteris atque effingas, a quo maximos speres studii tui fructus. Nec sane ad hoc languidior tibi animus adferendus est: tanquam obsequio solum rem tam arduam iri confectum putes, aliis profecto, aliis opus est. Etenim cum videas infantem non tantum parentis (quem quidem agnoscit) vias atque vestigia conari, linguam exprimere, mores ac gestus, totum denique habitum ac statum effingere, donec similitudinem aliquam veri hominis adeptus puer suis fulciri membris, suisque corroborari viribus incipiat, inde paulatim a majoribus acceptum sermonem discat exequi lingua, iis demum ipsis nimirum verus apparebit parentis sui filius. Quae quidem eo tibi ob oculos a me sunt posita, ut videas atque discas, quantum imitatione natura vel adjuvari, vel promoveri queat. Idque omnino, quantum valeat, re ipsa experiri. Hoc certe velim, ut Ciceronem ipsum, tanquam linguae tuae parentem ac magistrum agnoscas, eum unum admirare, diligas, amplectare, denique & exprimendo similitudinem aliquam non quidem ut simius hominis, sed ut filius patris assequare. Ex eo igitur si quid petendum sit, uno tanquam perenni linguae thesauro, Romanique sermonis fonte haurias. Proinde cum ingenium tibi sit ad optimas artes & liberales disciplinas, maxime vero cum ad Poëtarum studia, tum eloquentiae natum atque dispositum, velim, imo te rogo atque obsecro, ut eo ipso constanter utare, te exerceas, eamque ad metam, quo pauci pervenerunt, totum vitae curriculum, omnem operam, studium, laborem impendas: quo expectationem non modo non fallas meam (quod profecto minime omnium convenit) verum etiam vota, si libet, nostra vincas. Vale. Solitariis.

Vixit

Vixit hic tum Pedioneus Poëta apud Petrum Lotichium antistitem Solitariensem, tanquam communem, ut dictum est, hominum doctorum Moecenatem, qui domum suam non solum patere hominibus literatis pati facile, sed eisdem hospitium etiam liberaliter, comiterque offerre excitandi praecipue gratia, ac juvandi communia studia adolescentiae, de quibus ille, dum vixit in statione ea ac dignitate Ecclesiastica, meritus est praeclare.

Porro Lotichius noster Solitariensi patrio in solo, ac schola monasterii, primum, deinde apud optimum & doctissimum Micillum Francofordiae alterum septenarium in primis literarum rudimentis, artibusque & exercitationibus puerilibus, ubi sic feliciter decurrendo consummavisset, praeterque caeteros in Philosophiae studio promovisset, a patruo Abbate Petro Lotichio, quem honoris causa libenter nomino, cum jam ex ephedibus excessisset, Marpurgum Hessorum clarum tum hominum doctorum studiis, discentiumque sane pulchris ac honestis coctibus ire est iussus.

Venit eo Lotichius adolescens, Anno Christi c10. 10. XLIV. Eodem ego illum sum haud multo dierum spacio consecutus, comitatus Joannem Hildenbrandum Jureconsultum ad studia legum diutius intermissa revocanda, ut superius praelibatum est, retractum ex Republ. Herbipolensi per Joannem Draconitem Theologiae Doctorem publicum, famosum in Academia pariter & Ecclesia, sobrinum suum, laude studiorum, linguarumque cum primis diversarum peritia adprime tum florentem & clarum. Apud hunc tum Lotichius vivebat, ego apud illum. Itaque facile invicem cognovimus, dileximus, confociati sumus, itaque una familiariter viximus, tanquam in una domo viveremus. Erat quippe utraque herilis familia, quasi una & una domus, unaque haud ita post multo domo apud dictum Hildenbrandum herum meum juncti uterque sumus.

Atque initio quidem mox post adventum nostrum ego & Petrus Lotichius Secundus cum popularium suorum Solitariensium bonorum juvenum studiosorum complurium caterva, qui duce ipso, quasi antesignano, Petro Lotichio Abbate Solitariensi, eodem tum tempore studiorum causa Marpurgum venerant, una scholae Marpurgensi apud Mag. Rectorem de more nomina nostra dedimus, una ritu communi scholastico & academico veteri initiati sumus in aedibus Draconis. Ejus introductionis & sodalitiis pars una quoque fuit, annis jam lapsis totis quadraginta:

*(Tam cito tot laeti praeteriere dies,*

*secundum Lotichium nostrum:)* ludicris longis mihi amoribus, seu verius adolescentiae erroribus familiariter junctus, Petrus Bloroccus, popularis, vir integer & bonus, ac bonus fodalis, Amasius dictus, qui nobiscum post in contubernio communi domestico semper vixit. Quibus se postmodum adjunxit frater germanus suavissimus, carissimus & optimus, optimeque de me ac meis meritis Melchior Hagius, ambo tempore hoc patriae cives cum honesti & spectati, tum honorari atque ornati pariter literis & fortunae bonis, quorum operae atque industriae hodie usus Reipub. patriae Erebitanae haud inutilis existit.

L 2

Cae-

Caeterum ea consuetudo domestica inter me & Lotichium eam conciliavit amicitiam, quae aetate usque nobiscum accrescens tempore sic vires sumsit, corroborataque fuit, ut, altero licet fato suo peracerbo e vita, e medioque, nobis sublato atque adempto, vita mihi cariore ipsa, Lotichio, perduret ea tamen adhuc immota aeternaque, atque cum historia hac quodammodo renascatur, ab interituque vindicetur. Adeo (ut est apud Euripidem) dulce τὸ σύντροφον. Verum praeter eum usum domesticum, quod animos nostros caritate mutua, amorisque vinculo firmo connectebat, illud reor vel maximum fuisse, rerum scilicet omnium, ac morum voluntatumque cum benevolentia parem utrinque consensionem; unde amicitia & conflatur & denominatur; hoc est, ardorem discendi quendam summum, solumque amorem literarum. Eramus uterque uno quasi tempore, eodem utinam sidere felici, nati (non enim toto mense Lotichius me junior fuit) ille postridie Cal. Novemb. ego pridie Non. Octobris, eodem supra anno dicto xxviii.

Sic igitur annis, animisque pares uno tempore sic volentibus bonis diis Marpurgum venimus, una in Marpurgensi dulci ocio, ac studio conjunctissime, suavissime, familiarissime, nulla offensione interrumpente, viximus, una adolevimus, una seria, ludicraque tractavimus, summa perpetuaque amicorum consensione, saepe in ripa Lani errantes soli, viridi in herba taciti ambo confedimus cum libellulis nostris, saepe sole ardente in fluminis alveum nos conjicientes, unaque nandi artem addiscere periclitantes, in qua ille facile caeteros excellere, una corpora nostra refrigeravimus. Semel mense Octobri die ac sole haud sane ferventiore, non refrigerii hercule gratia, sed audacia aut provocatione quadam juvenili concertantes invicem, in notum amnem gelidum certatim salientes, atque undis nos mergentes per ludum, subito gradum revocavimus frigore horrentes, litoreque corpora vestibus foventes. Saepe colles arcis urbi pendulae imminentes, atque umbrosa cacumina densa, dum aestus se meridianus frangeret, una subivimus, saepe sero vespere Lanum ultra, remotiora ac fontes gelidos, grata Nympharum cubilia & tophos & antra lustravimus, nunquam farcinula nostra vacui & codice. Namque Lotichium nostrum cum unum teneret studium poeticum, instinctu, impulsuque naturae suae, nescio quo pacto subito, subindeque ac celeriter capiebat urbis taedium & satietas. Itaque simul atque ab acroamatis publicis, studiisque necessariis ocium fuit datum, ocyus adjuncto sibi sodali, ac me ipso plurimum, arreptoque juxta & sinu reposito Nasone, aut Tibullo suo cum pugillaribus rura nota adire, raro solus solitudinem accedere: Ubi sic requiescere & animo & corpore, sic recreari atque affici, Musaeque nescio quo afflatu commoveri sic visus est, ut quasi Deo quodam suggerente carmen effunderet facile, facillique (quod dicitur) Minerva. Quod verissime Poëta noster de sese canens ipse testatur his versiculis, quos adscribere hoc loco non piguit:

*Ruris*

*Ruris amatores vates sumus, urbe relicta,  
Concitat afflatu nos Deus ipse suo.  
Scilicet occultas dant ipsa silentia vires,  
Carminaque ornatu versicolore nitent.*

Ac rursus alio loco nescio an multo suavissime :

*O dulcissima solitudo ruris !  
O sylvae virides ! avete nymphae,  
Et fontes, & agelluli feraces.  
Vos ignobilis ocii voluptas,  
Et nostri requies laboris estis,  
It secura dies, soporque mollem  
Totis noctibus irrigat quietem.  
O vere ter & amplius benigno  
Ortus fidere, qui sibi ipse notus  
Sic degit placide, videtque tecto  
Fumum, dum salit ater ex avito!  
Hoc vitae genus est beatioris.*

Hinc Turrius in Fracastorii Naugerio : Dicam (inquit) nec inane quiddam existimato, quod dicam. Hunc certe aërem, quem spiramus, manes diversi incolunt, qui praesertim hasce solitudines & nemora & fontes habitant, ubi & Dii degere non abs re Poëtis dicuntur; manes nostra corpora ingrediuntur & egrediuntur, ac diversimode movent. Nunc enim arbitror Virgilii manes, qui haec loca incolunt, vexare Naugerium, me vero Philosophi alicujus eorum, qui melancholiis capi consueverunt in vita, aut Democriti, aut alterius tristioris. Sed haec abstrusioris cujusdam, & alterius Philosophiae sunt, de quibus non dicenda mihi plura. Reliqua sunt magis in propatulo. Ruris enim & agricolarum voluptates, de quibus modo dictum est, etsi capiunt delectantque doctissimum ac sapientiss. quemque, atque auctore M. Tullio in Catone suo majori, videntur ad sapientis vitam proxime accedere, Poëtarum tamen judicandae sunt esse maxime propriae. Cum namque Poëtae arcana vi quadam naturae, vel potius numine quodam excitentur ad omnem naturae rerum pulchritudinem, excellentiamque sermone proprio describendam, ac quam proxime repraesentandam; quid mirum Poëtas libenter relictis hominum coetibus, urbanoque strepitu, sectari & adamare ruris remotiores recessus, solitudinum quaerere silentia, ac habitare libenter propter muscosos liquidos fontes, lene strepentes aquas & rivos, amnium perennes cursus, lacus vivos, dulce recubare sub tegmine fagi, sub nemorum umbris, moras facere libenter specubus in cavatis, & antris frigidis opacis, juxta volucrum habitare vagos lapsus & cantus, vitamque adeo agrestium & pecudum pastus, quasi in innocuo patentique aëre, ac naturae ipsiusmet veluti conspectu & gremio. Hic scilicet curis molestiisque soluti, & vacui libere trahunt coeli salubrioris haustus, divinosque bibunt spiritus. Ubi ad carmen fundendum incitati faciles, ac quasi enthusiasmo rapti impelluntur, de pote-

itate sua exeunt, canentesque ac quasi furentes evadunt. Sed de ruris ista arcana voluptate poetica, quae me etiam scribentem moratur longius, nimis multa. Unum verum enim vero in hac rustica nativa quasi libertate ac simplicitate innoxia immorantes coronidis vice audiamus adhuc, si placeat, disertis & doctis Fracastorii Veronensis Medici & Poetae canentis, pulchrum, scitum & venustum (nisi fallor) carmen, dignum hoc loco & peraccommodatum subjungi:

*Sed quid, si est angusta domus, dum pulvere & omni  
Munda sit dum sit, nullo turbata tumultu,  
Nescia curarum, nullius conscia culpa,  
Alta ubi per totum sit pax, & amica Camoenis.  
Ocia, & integri per alta silentia somni,  
Et bona libertas aderit, quae rura beata  
Praecipue insequitur, simplexque incedit & exlex.  
Hic ubi si paulo digitus sit inunctior, aut si  
Potanti insonuit cyathus, vel si pede utroque  
Non steteris, nemo objiciet, nemoque sedentem  
Arguet, hoc illi si fors super incubuit crus,  
Stare, sedere, esse ex libito & potare licebit.*

Sed de Poetarum vel naturae sequacibus moribus, vel innatis arcanis motibus tantum modo dixisse sat sit. Neque vero mihi fas sit amplius dicere de tantis, utpote quos divinos, quasi Deo tactos & vates majores dixere, ac Linum & Orpheum Poetarum antiquissimos Deorum filios prodidere. Divinos vero appellari merito Poetas autor est M. Tullius, qui scilicet soli eam dicendi divinitatem invenerint, qua & Dii per oracula ad homines loqui sint dignati: quos ob id Graeci bonarum omnium artium inventores, & hos secuti Romani eadem, qua Imperatores corona laurea ornandos existimaverunt: quibus denique ab eodem M. Tullio palma omnis elegantioris doctrinae tribuitur. Qui addit & hoc: E doctis antiquissimum genus esse Poetarum, a quo omne dicendi genus, omnes excellentiae & pulchritudines sermonis, numerisque ac versibus complexa oratio manaverint.

Sed semel revocetur oratio a Poetarum latissimis campis, & honesta ac liberali illa voluptate ruris, hoc est, contemplationis naturae rerum nudae ac liberae, in qua tam feliciter poetae vivunt, ac quasi Deorum vitam agunt, quaque adeo, ut Cicero etiam ait, nullius satiari animus philosophantis potest.

Earum porro voluptatum maxime, ut ita dicam, naturalium Poeticarum non prorsus expers est terra Haemica, sylvis, montibus, amnibus, vallibus pulchre interfecta, viretis inprimis & hortorum amoenitatibus abundans, itaque Musis bonis haud in amoena diverticula, ingratosve recessus praebens. In quibus etiam quondam clari doctique personuere vates indigenae. De quorum genere numerari possunt, ac recenseri primo jure loco, Helius Eobanus, Hefsus cognominatus, Poetarum rex aetate superioris sua dictus; post hunc Euricius Cordus Simefusus, Medicus & Poeta non

non incelebris, pater Valerii nostri, vita longiori, ob speratos magni ingenii pulcherrimos juvando mortalium generi, Medicinaeque cum primis illustrandae fructus, dignissimi, mortui ac sepulti Romae in aede D. Mariae de anima, regione Parionis, eodem anno scilicet, quo ego & Lotichius primum Marpurgi invicem cognovimus, ut supra dictum est, XLIV. His adde Nicolaum Alceplium Barbatum dictum, Poëtam Lyricum & Jureconsultum, olim Lutetiae Parisiorum scientias liberales professum, virum cum primis gravem, festiviter doctum, & honestum, Joannis Beuteri clarissimi Jureconsulti, praeceptoris olim mei venerandi socerum. Hac classe fortassis non indignus reponi Reinhardus Hadamarius juventutis Marpurgensis informandae dux primarius & Poëta, praeceptor noster. Huic denique Musarum choro haud immerito adnumerandus, hocque loco appellandus mihi es vel antiquae amicitiae jure ac nomine praedulcis Alte, quo homo suavior in omni vita & sermone non fuit, ac qui, attestante idem Lotichio, totus eras amabilis, magnus ac vere altus nobis futurus: Ex cujus juvenis ore jam melle dulcior fluebat oratio, ut de sene Nestore Pylio canit Homerus: Si te fata, Deusque longius superesse ad corrigenda, faciendaeque mala damna, errataque liberalioris juventae, quem ad finem certe conatus honestissimi tui spectabant, sivistent. At tua te, Alte, bonitas, ut Lotichius de te jocans inter sodales nimis vere dicere adsolebat, non sivit esse bonum. Idem Vates fata tibi futura vera praecinebat, futurum scilicet, ut in Italiam profectus temperatam, mutatione morum facta periculum vitae subires. Ac sic evenit. Non multo enim post, quam Bononiam adpulit ob legum studium, in agro Bononiensi diem suum obiit juvenis sub Etruscis Apennini humatus jugis, paulo ante me & Lotichium Latium ingressus. Sed hoc veteri necessitudini & amori, memoriaeque amici amabilissimi, amantissimi Joannis Alti, Poëtae Hassiaci Franco-pergii, sit pro pietate datum haecenus, quem Lotichius pariter noster non dilexit minus, quam oculos suos, & mortuum deploravit versibus flebilibus & modis.

Jam modo Marpurgum redeamus, quod cum ob gloriam ingeniorum nobilissimorum, tum celebritatem frequentiamque studiorum liberalium maximam, jam olim etiam meruit nobile adpellari. Ibi Lotichius, Poëta noster, ubi Vatum praenominatorum Hassiacorum vestigia infecutus, & feliciter satis aliquanto tempore more suo luisse, & in Philosophiae studio non poenitendo cum fructu versatus esse, ac progressus fecisse potissimum in oratoria atque Poëtica, est visus patruo Petro Lotichio Abbati, ac patri alteri pientissimo; ejusdem jussu atque consilio, autoritateque Marpurgoreliecto abiit in Saxonias ad audiendos praecipue ac cognoscendos aevi nostri principes Philosophos, inque omni scientiarum genere & doctrina politiori incomparabiles Philippum Melancthonem & Joachimum Camerarium. Quippe horum duorum virorum clarissimorum celeberrima fama excitavit homines nobiles & docti quamplurimi passim ex Italia, Gallia, Hispania, Pannonia, ab ultimo usque septentrione, imo Graecia ac tota Europa certatim advolare in Saxoniae oras, id temporis ad cognoscendam raram doctrinam, atque audiendos excellentes philosophos haud fecus ferme,



ferme, quam olim Athenas Romana juvenus ad audiendum Cratippum, vel ad philosophos Pythagoraeos audiendos in ultimam Italiam Plato, magnam Graeciam ob id dictam. Cum iis igitur summis viris & philosophis nostris sic vitam instituere, sic se ingenii industria, morum elegantia ac modestia eximie commendare, sic denique in caris semper Musis ac literis mansuetioribus cum laude & admiratione omnium versari, ac progredi feliciter, ut ab illis praecipue diligeretur ac coleretur, & amicitia dignus indies magis atque magis haberetur: Suspicientibus in eo non tam ingenii singularis bonitatem ac facilitatem, carminisque culti praestantiam, quam vel cum primis morum probitatem & candorem, egregiam virtutem, ingeniumque maxime pudorem. Qua re sane Lotichius noster, quibuscunque cum viveret, sic sese facile cum commendare, favoremque & gratiam hominum conjunctorum sibi mirifice conciliare percallere, ut ceu incantamento quodam id ab illo fieri Georgius Marius Medicus vetustus Palatinus honoratus, & ego olim ludentes, ac quasi uno ore consentientes adsereremus, nec ab hac sententia nostra admodum discrepare aliorum judicia, quibus ille familiariter notus fuit, erat animadvertere. Sed de hoc uberius differetur in posteriori parte historiae de animi moribus.

De genere vero carminis Lotichiani quid sentirent magni illi & illustres Philosophi nostri, quidque tribuerent in facultate Poëtica fatis clare, evidentique commonstrant de Lotichio honestissima, amplissimaque testimonia & judicia publica literis prodita.

Verum enimvero in Lotichio juvene maxime omnium illud, si bene ego commemini, suspicere, praecipuaque laude dignum ducere, invetustatis scilicet similitudine aliqua adumbranda, repraesentandaque in omni oratione & sermone studium mirificum, ingeniumque solers & sagax. Quod aemulandae, exprimendaeque sapientis, cruditae ac probae antiquitatis cum in eloquentiae studiis, tum moribus formandis studium in illo sane tanti fecere, laudibusque vexere illi optimarum omnium artium, ac virtutis antiquae magistri, ut id laudabili exemplo Lotichii publice commendare studiosae juventuti, ac proponere in scholis non dubitarent ad imitandum. Atque ob eam rem, nisi me fallit animus, vel cum maxime, perfectamque in Lotichio non minus raram virtutem, voluntatem egregiam, ingenii dexteritatem admirabilem, dignum illum post censuerunt, quem in studiis rectis & praeclaris inceptis priscae eloquentiae, ornarent, proveherent, commendarentque principibus viris, ut post paulo edocebit progressa oratio.

Exitit vero in eo genere officii praecipue ante alios Joachimi Camerarii philolotichii, qui tum bonas artes Lipsiae publice non obscura fama tradebat, in Lotichium cum vivum, tum mortuum animi propensi, caritatisque affectio prope singularis, ita ut quemadmodum cuperet cum omni bona fortuna, honoribusque honestatum & auctum viventem, sic vellet mortuum quasi a morte vindicatum, ac redivivum, dum scilicet unus omnium maxime perficere laboravit studio & cura sua, ut divina carmina (ut vocat ipse) illius post mortem, atque ingenii excellentissimi monumenta hominum luce digna judicata, in hominum memoria sempiterna adservarentur. Quae quidem cujusmodi sint, ut doctis auribus suavia grataque,  
ac

ac legentibus jucunda existant, quasi dulcia bellaria, suum relinquo cuique iudicium liberum, nec mihi praeter aurum quasi quandam (ut sic dicam) approbationem vulgarem, ac delectationem quandam, fumo in hoc quicquam ad iudicandum. Camerarii unius doctissimi jam expositum iudicium nobis fuerit instar multorum ea hominum memoria dignissima existere.

In Leucorea postmodum urbe & Academia, ubi Philippus Melanchthon regnum literarium tenebat perfrequenti auditorio, innotuit ac conciliatus est facile (ut mittam caeteros quamplurimos homines doctos, quibus tum ea schola florens vigeat maxime) clarissimis Poëtis, ac cum primis Georgio Sabino Philippi genero, Joanni post Stigelio, adde his, tertio, Georgio Fabricio, qui nescio hercule vir doctior ne, an humanior, meliorque fuerit, adnumerandus prioribus duobus profecto jure optimo. Scilicet existit ea bonarum Musarum Gratiarumque naturalis quasi copulatio quaedam ac vinculum necessarium. Is Fabricius Petrum Lotichium & me abeuntes ex Saxonibus, ac Misena discedentes, quo Lotichius mecum salutandi Fabricii causa venerat, cupidos speculandi fodinarum metallicarum Mariae-purgensium vicinarum subterraneos puteos, cuniculos, moles ac molitiones, laboresque immanes, perquam humaniter profecutus quasi manu ducere ac reducere magna sollicitudine & cura. Qua inspectione fabricarum & machinarum metallicarum sic Lotichius affectus est admiratione, ut adseveraret habiturum eas res tota vita, quibus se iactare vellet non minus quam navigantibus maris utriusque Italiam supra, infraque ingentis, atque Oceani. Mihi vero (ut id obiter quoque addam) tum descendenti cum caeteris in puteum, nisi Deo praesentissimo me servante, haud procul aberat periculum lapsus ad profunda tartara, Plutonia regna, obtemere scilicet atque incautus dimissas ex superioris proximi descendentes, ac manus forte pede proterentis, subito utrinque orto terrore, scalas, praesentissimo vitae discrimine. Quae res magnum viro optimo Fabricio iniecerat metum. Nam is erat, nisi valde fallor, qui proxime me consequebatur descendendo, manus planta feriens. Atque haec conversatio Petri Lotichii cum Georgio Fabricio me comitante praecipua, quod sciam, fuit, caque sane dulcissima: Qui Lotichium tum & me primum advenientes Misena, ubi illustris scholae nobilium gubernationi praeerat, accipiebat sane percomiter & eleganter, vivebatque ille post nobiscum per triiduum admodum jucunde, colloctionibus suis eruditis & lepidis nos plurimum oblectans, delectatus ipse contra mirifice Lotichii praesentis Musae atque ingenio, quem post etiam amare, colere ac suspicere nunquam desit dum vixit.

Caeterum de Lotichio nostro quae caeterorum praedictorum hominum doctorum, Poëtarum dico celebriorum suffragia, qui calculi honestaeque sententiae fuerint, nihil attinet commemorare, cum typis ac monumentis eorum, semper victuris, illustribus expressa, traditaque sint, ac nota publice Lotichium (ut semel dicam) equidem memini cum aetatis nostrae optimis ac doctissimis quibusque Poëtis non comparari solum, verum etiam cum Vatibus antiquis posse, ac nonnullis etiam forte anteferri, nisi ego vehementer fallor, communem, consentientemque vocem omnium

M

fuisse.

fuisse. A quo honorabili pronunciato haud (opinor) magnopere discrepabunt nostrae item actatis Vatum elegantiorum complurium de Lotichio non obscura placita. Nam ut Posthium mittam hujus chori principem, ac in quem, si Pythagorice loqui liceat, Lotichii animam migrasse dixeris, adde & alios egregios Vates seculi nostri doctissimi, eoque nomine perfelicis, audiamus, si libet vel unius oloris Francigenae Melissi vocem & carmen: Qui circa annum Christi c1c. 15. LVIII. carmina Lotichii aliqua, in quae ille tum bona fortuna inciderit, legisse primum adserit; inter alia fuisse Elegias. Lestis illis mirifice ac incredibiliter affectus Melissus adfirmare non dubitat, nullius unquam Germani sic sibi placuisse Elegias, atque unius ac unici Lotichii, ob suavitatem venustam, plane divinam atque incomparabilem. Quod idem ille Epigrammate ad me hoc loco non praetereundo expressit, testatumque fecit, &c.

*Hoc vere tibi confirmo, vexillifer Hagi  
Inter amicorum fœdera Lotichii.  
De grege Teutoniae Vatum mihi nullius unquam  
Impariter junctos tam placuisse modos.  
Quam quos nec Musis lufit, nec Apolline larvo  
Lotichius Clariae flumine lotus aquae.  
Duza mihi testis, Duza inclytus arte canendi,  
Quo nemo Batavum clarior ingenio est.  
Ac cur non placeant dulcissima carmina nobis,  
Cur non fit melli Lotichiana chelys?  
Quando Lotichius dulcedo est ipsa, novoque  
Musae ardent dicti nomine Lotichides.*

Eodem spectat Epigramma illud ejusdem ad Lotichium in Euterpe:

### AD PETRUM LOTICHIIUM S.

*Alloqueris Veneri Loton-quid Petre sacratam,  
Succis ut imbuat suis  
Versus tuos suavissimos.  
Quin tua sunt dulcia mage dulcia carmina Loto:  
Nemo negaverit, nisi  
Gustata cui non Lotus est.*

Sed ad rem. Mota postmodum sunt bella toti Germaniae funesta, Saxoniae Joanni Friderico, Hassiae Philippo Landgravio ducibus, arma inferente Carolo V. Imp. Anno Christi c1c. 15. XLVI. Unde dissipati pulcherrimi coetus docentium atque discentium Martio classico. Iis igitur temporibus turbulentis ac periculi plenis ob arma frementia, & Martis pavorem Melanchthonem praeceptorem profugientem, locaque tuta petentem cum inbelli grege Lotichius una comitatur Parthenopolim. Ubi praeter spem omnia armis personare, ac repleri periculo & metu, totisque adeo turbari agris, itaque etiam bonis Musis pacis alumniis minime dari locum bonus

bonus Melanchthon cernens, ocyus pedem inde movens commigrat, magis quietas Musis suis sedes quaerens. Quid Loricarius? Pietate is magna, magnis animis praeditus erga communem patriam, temporique serviens, commilitonibus plerisque caeteris cum praeceptore, communique duce Mel. urbe profectis, in Parthenopea resistit urbe militiaeque nomen dat. Belli militiaeque socios habet Melchiorum Zobellum acri ingenio & virtute juvenem Suevum, Joannem Altum, Varum Acontium, parte majori Poetas, ac sodales veteres bonos & doctos. Militiae vero operam dum dat Poeta noster:

*Insanisque agitur violenti Martis in armis,  
Ac simulat rigidis moribus esse ferox:*

animo quam (Dii boni) patitur iniquo, ac dum abest amicus, sylvis solis solus queritur, lamentaturque a caris avulsus Musis vivere. Quod ille vel veteri mihi adamato, hendecasyllabo ad me olim scripto, militiae suae temporibus luculenter declaravit, quod recitare hoc loco ut superfederem, facere non potui, nec fuerat importunum, alienumve admodum.

*HAG I prime sodalium meorum,  
Qui dum nos aleret novem Dearum  
Dulcet Lanus in ocio, solebas  
Mecum ducere saepe non inertem  
Fultus cespitis florido quietem:  
Qua fagi, corylique, populique,  
Et densae salices utraque ripa  
Frondosae fluvium comis obumbrant.  
Quid dum bella rument nefanda, rerum  
In Martis geris urbe! me nivali  
Longo tempore detinet sub arcto  
Fati saeva necessitas acerbi.  
Hic tabesco gravissimis peresus  
Curis (heu!) sine te, miserque vivo  
Inter tela licentiamque ferri,  
Divisus procul a meis libellis,  
Et nunc vel situs hos araneosus  
Foedat delicias meas, vel igni  
Hostis tradidit: hoc fleam necesse est,  
Hagi prime sodalium meorum.*

Idem vero Musis & ocio suo semper multum adamato restitutus quam gaudet, quam exultat, triumphat? Quod ille ad amicos scribens his aperte versiculis testatum, notumque fecit, qui hic adscribi jure quasi postularunt,

*Pegafides, requies curarum sola mearum:  
Vos ego, quod superest, tempus in omne colam.  
Vos, date Castaliae, Vatum pia numina, vestro  
Plena, sacerdoti, pocula rursus aquae.*

M 2

Nec

*Nec mihi fit damno, quod me lacrimosa coëgit  
Praelia deserto Mars Helicone sequi.  
Non ego supposui tectis insontibus ignes,  
Facta nec injusta est dextera caede nocens.  
Et licet ad magnos victoria flexerit hostes,  
Arma tamen caussa pro meliore tuli.*

Item:

*Vos quoque sum lituos inter veneratus & enses,  
Quodque fuit vacuum tempus ab hoste, dedi.  
Deque tot amissis etiam nunc pauca supersunt  
Carmina militiae tempore facta meae.*

Sic militavit Poëta noster una pariter sub signis fieri Martis, Musarumque castris (neque enim est revera inter rei militaris, literarumque studium ea, quam falso vulgo putant, discordia, sed consensio potius summa, atque occulta quaedam naturae conspiratio, ac vinculum necessarium: Quod Alexandri Magni, C. Julii Caesaris, aliorumque magnorum heroum veterum, quemadmodum aetate superiori Caroli quoque Magni, omnibusque adeo omnium seculorum exemplis fortium, literatorumque ducum & Imperatorum evidenter demonstrari queat) semper Musas bonas colens, semper similis sui, ingenuas semper puer deductus per artes. Adeo vero etiam in tractatione armorum ipsa, militiaeque duris laboribus & disciplina, Musas, amores suos amabilissimos, non est oblitus, ut nullo non loco ac tempore, atque in noctis etiam excubiis asperis & meditaretur & fingeret animo secum carmen tacitum, ac ubi vacatio cunque a militaribus muniis daretur & ocium, solitudinum nemorumque latebras notas quaereret ac repeteret, ad ingenium suum rediens, ubi versus conderet elegantiores, ac cum Musis suis commertia haberet. Adeo verum existit illud, quod Poëta noster elegia quadam ad Melchiorum Zobellum canit haud inscite:

*Difficile est tacitos naturae abscondere motus,  
Ponere difficile est quae placuere diu.  
Scilicet ingenuas mansuescunt corda per artes,  
Nec rigidos mores esse Tbalia finit.*

Talis scilicet miles decebat vel Magnum eundem Alexandrum, vel Persarum regem magnum, vel horum similes bellatores bellicosos & fortes, qui conferri a Deo imperia atque transferri non ignorent juxta Prophetam, ac, veluti orbis domitorem eundem Magnum Alexandrum admonuisse ferunt Aristotelem praeceptorem suum, regna contingere & dari, bellaque geri & πρὸς ὄβριον, ἀλλὰ πρὸς εὐεργεσίαν, hoc est, humanae societatis conservationem, non dissipationem vastationemve. Ad quem finem consequendum, ut cum maxime miles hujusmodi fuerat idoneus, qui non tam urbes noverit oppugnare, manum cum hoste conferere, ac contra hostem acriter pugnare, cuncta vastare, ruere, perdere, quam civem, civitatemque conservare, pro multitudinis innocentis vita & incolumitate stare ac vigilare,

lare, periculumque etiam non recusare, adde etiam quod in bellicis occupationibus atque expeditionibus non fuerit indoctus bellorum casus, inclinationes, militumque ac ducum virtutes, resque praeclare gestas notare, ac literarum monumentis commendare. Sic scilicet (opinor) cum humano genere praeclare ageretur, sic Cyrus, sic Magnus ille Alexander, sic Romana virtus orbem terrarum edomari, ac regna stabiliri norat, non vi, sed benevolentia, iustitia atque prudentia. Sed haec longius a proposito. ac quid Marti cum Musis?

Perfunctus Lotichius belli militiaeque laboribus, atque expertus grave Martis opus fortiter, appaerente rursus spe aliqua publicae quietis & pacis, accepto ab Imperatore suo publico militari diplomate, ut vocant, missionis honestae ac comaeatus, ex Saxonibus pedem referens, Erfordiam concedit, hospitium antiquum & amicum hominum literatorum, ibidemque requiescens in gratiam redit cum amicis suis veteribus, id est, ut ipsemet interpretatur in quadam epistola, cum libris suis, studiaque intermissa cupidus revocat. Inde ille ad me tempora militiae suae perscribens ac significans, inter caetera haec ponit verba: *Scias me in tanta gladiatorum licentia & patriae tumultibus militem fuisse, atque in bybernis in Saxonia vixisse miserabiliter & calamitose. Ea enim est denique vera virtus, mi Hagi, non solum bis artibus, quibus nos vagimus, ad magnas res gerendas, uti ad ostentationem, sed veram fortitudinem declarare in patriae periculis, ac religionis propugnatione.*

In eodem recessu ocii dulcis Erfordiani (fuit id anno Chr. c15 1c. XLVIII. Materno Steindorffero ejusdem belli socio, ac commilitoni fortissimo, modo vero rursus in communibus studiis juncto, e vivisque in pace sublato, Lotichium miles & Phoebi sacerdos pie ac religiose canit ad tumulum, iustaque persolvit.

Sedatis belli tumultibus, redditaque Germaniae & Saxoniae feliciter, praeter opinionem, supraque etiam spes hominum communes, pristina pace ac mediocri tranquillitate, benignitate, beneficioque praecipue Dei Opt. Max. maxima, eximiaque ac memorabili virtute & clementia Caesaris Caroli V. sapientissimi ac temperantissimi, nec non etiam pientissimi principis, abhorrentis ab omnibus immoderatis & violentis consiliis: Melanchthonem revertentem ad *μυσημνας* suas, veteres sedes Saxonicas ex vicina Hala, quae illi cum turba sua, turbulento illo difficilique tempore, fatis tutos receptus, atque hospitium commodum praebuerat perliberaliter, comitatum Musis suis Lotichius non longo temporis intervallo consequitur ad consummanda studia sua coepta artium Philosophicarum. Cumque eodem Melanchthone postmodum perpetua amicitia junctus vixit conjunctissime ac jucundissime, fuitque illi usque commendatissimus & carissimus ceu filius, ob excellentiam ingenii & virtutum suarum, ac carmen cumprimis elegans, quo Melanchthon semper apprime est delectatus, dum vixit. Sic ex Vangionum scribit urbe ad Camerarium. *Mitto carmina Lotichii, ut scias etiam hic nos habere vicinas Musas.* Itaque illius ornandi provehendique nullum praetermisit studium, magisteriique (ut vocant) gradu atque honore Philosophico ornatum post commendavit Joach. Camerario.

merario amico. Idque temporis ego fere literis Lotichii crebris ac seris excitatus, ad eum in Saxoniam veni, cumque eo in literis nostris temporis aliquid jucunde, illico illi conjunctus consuetudine & usu domestico, nec ab illo unquam sejunctus.

Inde ille post a patre Abbate revocatus domum, ac literis scriptis & acceptis Lipsiae Joachimi Camerarii commendatus nobilissimo, literisque ac dignitate clarissimo Danieli Stibaro Eq. Franco, ordinis Canonicorum Wirceburgicorum primario (Cui quippe cum seniore Camerario perverusta, atque in studiis adolescentiae humanioribus contracta & conjunctio & familiaritas, ac post in omni vita constans & dulcis amicitiae usus intercesserat) in patriam revertit ipso brumae tempore admodum difficili & laborioso. Quo itinere nimirum, ut ipse ad me scribit ex patria, aeger illico, multas aerumnas, nives profundas, ac coelum frigidissimum, adde etiam inhospitales Thuringos male est perpeffus. Addebat & in literis, tabellarium comitem, ex lapsu improvise in profundam fossam ita nivibus fuisse adopertum, ut ex pago proximo manum rusticarum advocare necesse haberet, ut oppressum ac tantum non praefocatum nivium mole liberaret revocaretque ab Orco.

Itaque domum ipse redit corpore pessime affecto multis languoribus & morbis, quos in via coelo nivofo, brumali, rigido contraxerat. Quem tum advenientem pius Abbas, patruus, senex, lacrymis laetitia obortis amplexatus, salvum magis venire jussit cum gaudio, quam cum ante paulo miles ex Saxonibus rediens domum horridus, longamque humeris gerens hastam sancti afficit ante ora parentis: Ad quem conspectum insolentem & novum senex venerandus lachrymas item tenere haud potuit.

Ac sic fere arbitror hoc loco Lotichio terminari septenarium aetatis tertium, quo ille in Academiis Germanicis tempus & spacium aevi melioris, aetatisque tenerioris decurrendo exegit adolescens suae.

Hinc corpore curato, ac firmata valetudine sua, Solitariensi dulci solo patrio, Wirceburgum Franciae metropolim ad Moenum patriam meam celeriter cum literis praedictis Joachimi Camerarii ad Maecenatem novum, Daniele Stibarum, contendit. Qui usu parvo consuetudinis, Lotichii ingenio, doctrina, moribus ceu ex unguibus leone, quod dicitur, cognitit exploratisque, praeter commendationem Camerarii non vulgarem, sic illum post judicio suoapte gravi amare coepit per sese atque amplexari (virtus quippe M. Tullio autore sibi ipsi commendatio existit) sicque hominis delectatus est ingenio culto, modesto, liberali, discreto, pariterque moribus pulchre compositis, ut illum & cupide ac libenter in familiam suam adseiceret, & amicitia dignissimum judicaret sua.

Hinc illum propinquis suis & gentilibus Stibaris agnatis adolescentibus, in quibus scilicet spes melior & indoles eluceret, praefecit magistrum & praeceptorem. Inde illum in Galliam primum ad Academiarum Gallicarum explorandos status mittit solum propter tumultus in Italia. Sic enim ille ad me scribit anno Christi cto. 15. l. Quo itinere item plurima passum quaerit a sceleratis quibusdam in Burgundia, ac nescio quid gravioris periculi accidisse sibi ibidem narrat in die Paschatos. In iisdem literis addit

dit ac submonet amicum quendam, virum bonum & doctum, sed nimis quam apertum & probum Theologum, ut maneat in Germania, nec veniat in Galliam, si nolit comburi.

Exploratis rebus per Galliam, Gallico itinəri continuo se accingit Lotichius cum nobili comitatu Stibarorum frequentium, ac Francofurdi subsistens, cumque mercatoribus Gallis se coniungens festinanter ad me scribit ex mercatu epistolum, quod ego ob brevitatē & leporem non duxi hoc loco praetermittendum:

*SALVE, mi Hagi. Propter subitam meorum comitum profectionem ad te scribo brevius. Mercator sum, mi Hagi, Gallicum lexicon in manu semper est. Tu autem, quando sequere? Sequere mi Hagi, non poenitabit consilii te mei. Nova ad te scribo haec. Medicum me factum esse. Jam enim curo equos claudiculos, illos pesto, lavo, purgo. Quid multis? Nunc est major, equi, quam mihi cura mei. Vale Hagi, vale. O utinam, sed vale.*

Nicebatur scilicet Lotichius me ad se primo tempore in Galliam crebris, amantissimeque scriptis literis attrahere, quarum una postrema (opinor) ex Gallia missa ac vixdum incepta, his verbis cladebatur epistola: *Sed quid ego haec ad te, qui es in via?* quod risum mihi quidem certe movere, cum nondum animus, nedum pes esset in via. Sed haec obiter nimis multa.

Illud mehercule haud possum ullo pacto praeterire hoc loco silentio, dissimulareve, quod fateri me necesse est, non pridem semel poenituisse spreti consilii & amoris amantissimi Lotichii de profectione scilicet Gallica, idque vel tres potissimum ob causas.

Primum ut celeberrimum, atque amicorum & sodalium non paucorum vocibus, Italiae etiam pulchrae praelatum, Galliarum regnum, aspiciem, pulcherrimum, amplissimum, potentissimum, bonisque omnibus (forte etiam malis) adfluens, studiorum imprimis liberalium, atque optimarum omnium artium domicilium, praecipue Massiliam pulchram ac vetustam Graecorum Ionum coloniam, primam exulum sedem & portum.

Deinde multo magis, ut aspicerem Mompelii divinos agros & hortos Medicos, qui Lotichio tam gratos, amabilesque recessus praebuere. Cuius loci studio Medico a naturae genio. Deoque praecipue attributi magnificas opes, gratias & amoenitates prolixè, ac multis verbis nobis olim cantare nostri, vulgo passim nascentes per provinciam lauros, terebinthos, oleas, nardum suaveolentem, stoechadem, rosmarinum, thymum ac citrum, Lotichioque adamatam Lotum & Myrtum, idque genus alias plantas, ac res, nostris hominibus novas & raras quamplurimas, quibus ager Narbonensis totus feliciter abundat. Ubi.

*Nec virides defunt victorum praemia palmae,  
Albaque morus adest, nec habet monumenta cruoris.  
Sive tui Thyse, Pyrame sive tui.*

Item:

*———— nata corallia ponto,  
Atque ipsa concubis ostrea tecta suis:*

Ut poetam nostrum ipsum loquentem faciam, pro eo ac studio mihi est  
facere libenter. Ter-



Tertium nec minimum erat, id scilicet, ut viderem hominum doctorum, ac studiosorum ex orbe toto confluentium quasi mundum, ac scientiarum omnium locupletissimum emporium regium, Lutetiam Parisiorum, ingeniorum tot nobilium, longis jam annis retro lapsis, longaque ab origine Caroli Magni fundatoris primi, autore ac hortatore doctissimo Alcuino ejusdem doctissimi Imp. Rom. praeceptore Anglo, inclyta fama, laudibusque adfluentem, ac ad aetatem hanc nostram tantum non florentem. Ad quam non minus, quam in Italiam memoria superiori ex Graecia oppressa impia tyrannide Mahometica, exules Graeci advolare consuevere: Inter quos numeratur praecipue Hermonymus Spartiata, & ante illum Gregorius Typhernas Graecas Musas ibidem certatim excitantes. Lutetiamque nobilitantes: Quam item Albertus Episcopus Ratisponensis Suevus propter ingenii & doctrinae excellentiam Magnus cognominatus, & Jacobus Stapulensis Philosophi celeberrimi quondam, ac nuper Wilhelmus Budaëus Galliae immortale decus, Bartholomaeus Latomus, Joannes Fernelius, Ruellius, medici, Joachimus Perionius, Petrus Ramus, Turnebus, alique item innumeri summi Philosophi, Oratores, Poëtae, Galliae praeclara lumina illustrarunt.

Proficiscitur itaque Lotichius noster nobili Stibarorum agmine stipatus, egregiis juvenibus, atque in iis praecipue magna virtute excelsisque animis Gabriele, Erhardo, atque Dimaro, in Galliam munificentia liberali Danielis Stibari Moecenatis, adjuncto sibi in via socio & paedagoge hypodidascalo Georgio Vischero Argentinenfi, homine cumprimis docto, comi ac humano. Ac principio quidem petunt, ut par est, toto orbe celebratam Parisiorum urbem, ubi confedere tempore aliquantulo ad audiendos & cognoscendos doctissimos Philosophos, nobilissimos Oratores, Medicos, Jureconsultos. Inde veluti multitudini cedentes, ac se subducentes una comitant omnes in quietos & exoptatos recessus Mompelianos, regna ac hospitia medica. Ubi (Dii boni) quam feliciter secundum vota jucunde, suaviter degunt, ac transmittunt multas horas beatas in tranquillo ocio, studioque ac rure beato. Postremum inde digredientibus, cum adlubuisset ociofis vicinam Tholosanam scholam visere, atque inde montibus Pyrenaeis superatis, & Atace rapido flumine in vicinas Hispanias quoque trajicere, causa videndi gentem & nationem ad quidvis audendum magnanimam & cordatam. Verum illis Narbonam profectis progredi ultra negatum est ob ea, quae tum in urbe Narbonensi bellicosa agi, quaeque illis imprudentibus offerri, ut mox ulterior sermo explicabit. Inde igitur sese ad notas sedes & fortunatos Mompelianos recessus referentes, ibidemque aliquid temporis in studiis ponentes ac requiescentes, inde ultimum perlustratis Galliae Narbonensis clarioribus urbibus Nemauso, Arelate, Massilia, Avenione Lugduno & aliis per Allobrogum fines, Rhodanique fontes, ac gentem Helveticam invictam, liberam, in Germaniam revertunt, atque ad Daniele primum Stibarum Moecenatem in calidis Badenfibz aquis valetudinem suam curantem aegrum salutandum cum reverente & officiosa observantia accelerantes divertunt: Qui nuper in patriae periculis & tumultibus legatus profectus ad conciliandos armatos duces,

in

in via lateris alterius resoluti perdiderat usum: Eam Hippocrates apoplexiam parvam, nostri hemiplegiam vocant: Cujus viri permunifica liberalitate, ac sumtu ingenti, quadriennium jam in studiis Gallicis libere vixerant, ac doctissimos quosque per Galliam homines & audierant & cognoverant. Erat id anno Christi cix. ix. lrv.

Porro autem quid Lotichio primario duci & magistro cum discipulorum nobilium grege in Gallicis dictis peregrinationibus discriminum, adversorumque casuum memorabilium hinc & inde obtigerit (Quod nescio an narrationis hujus facile pars fuerit prima) cum ex nemine melius, quam ex Georgio Mario Medico nuper Palatino doctissimo, amico paterno prisco, aeternum mihi ob merita sua colendo cognosci posse, ut qui pars una generosa societatis illius, itinerumque ac studiorum Gallicorum, nec non discriminum communium Lotichii usque socius, consorsque fuerit, ejusdemque perpetuo contubernii, per me satis scirem, exploratumque haberem, diu instando perfeci apud illum, ut narrationem ille tandem ad me mitteret plenam casuum memorabilium praecipuorum, ac maxime notabilium discriminum Lotichii per Galliam, adnotatam perquam diligenter, amanter & officiose, quantumvis illo tum haud ita bene firmo & valente, haud hercule absque gemitu & vulnere mala multa praeterita memoria repetente, quae a me nunc, memoratu praecipue digna quae sunt, nec aspernandae cognitionis, referuntur ordine, ut vel hoc dicatur exemplo ex Erasmi sententia, non minimam existere eruditionis partem peregrinationem ad parandam sapientiam.

Primum igitur ante abitionem ex Lutetia proficiscuntur una omnes unius contubernii, numero undecim aetate haud pares, una cum Schirnagelio Ulmensi animi gratia, ac studio aliquo ac desiderio non parvo inspicendi ostia Sequanae Parisios alluentis, ac sese circa Rothomagum exonerantis in Oceanum, navigiis partim, partim pedestres facientes iter ad lubitum, tandem Rothomagum veniunt, ubi regia justitia, ac celebre emporium totius Normandiae.

Inde cupido incescit eundi ad littus usque Oceani, ac non illis vicinior locus Diepa oppidula & portu, quo decem horis vento secundo trajicere licebat in Angliam, ac collibuisse sane, pueri ni junioris inter ipsos nobilis aetas tenerior, illum quasi inter piratas relinquendi, metus ac periculum eos a proposito absterruisset. Vident ibi naves Compostellam Hispaniae currere, alias in omnem Oceani plagam divagari, mirantur aestum maris admirabilem, insolentem: ad cujus etiam conspectum ac considerationem stupuit magnus Philosophus Aristoteles: clare oculis ipsorum expositum in accessu & recessu reciproco certarum horarum, ubi (malum) decumanus pene Marium nostrum bonum improvise obruisset. Conducunt scapham juvenes animis ardentes in vasto Oceano navigare, ac id contueri liberior, duobus laboratoribus nautis, hominibus impuris sese temere committentes. Qui cum in agitatione venti insurgentis plus semper in altum veherent repugnantes ac nolentes, & jam maris furentis procellas vix atque aegre ipsi remis innixi frangerent, quin undarum undique impetus in juvenum capita reverberaretur, retrovehi illi serio contendunt, pugnant,

gnant, imperant. Id facere conducti naucleri duo vero renuere, quibus amiserat scilicet, prius hospites nobiles, ac spectatores maris novos non reducere, quam argento satiati spolia quaeque bona ipsi reportassent. Proin nihil restare, nisi ad arma venire, ac serio periculum cum periculo evadere, jam jamque pugna quasi navali inita dux fortis & bene animatus Lotichius pius, alterum principem consilii mali manu fortiter prehensum praecipitem in mare dare luctando conniti, usque dum cursum mutare illi occipere, ac dicto parere. Neque vero tamen portum desideratum, unde illi solverant, contingere, illis dari altius progressis, propter ventum magis ac magis contra insurgentem.

Inde igitur retrogradientes per inhospita loca, nocte sera ad tabernam adpellunt littoralem infestam, hospitem ibi nacti probum aequae, ac nautis ductoribus simillimum, cui illi scilicet cauti merito diffident. Itaque coenati militares ceu disponunt excubias alternas. Erat scala effracta cubiculum penetrans ad parietem. Ibi tum nocte intempesta media silenti latronum quispiam gladium scintillantem proferre ac monstrare, quid animi haberent juvenes pauciores cordati, cum puerorum nobilium turba quasi multa, cupiens cognoscere. Quod ocyus animadvertentes vigilantes studiosi milites strepitu facto cum ensibus prouunt se foribus suis, ac latrunculos subducentes sese, ac continentes tacite, metu periculi majoris taciti & ipsi relinquunt in auroram. Qua se roseo jubare mane laeta ostendente, milites studiosi maritimi abire Caci hospitio ardentem, laeti equis verdariis conscensis ad loca securiora volantes properant, ut statione Parisiis tuta & exoptata nocte sequenti cubarent. Sicque itinere maritimo suscepto, navalique praelio cum latronum periculo ac metu fortiter nobiles peregrinatores nostri, speculatores Oceani cupidi, atque ostiorum Sequanae inquisitores nimis quam studiosi perfuncti, Diis immortalibus gratiis sedulo actis, in Parisiensi studio post lubentibus animis requiescere: Experientia magistra jam edocti, quid sit Comicum illud: *Felix, qui mare nunquam est ingressus.*

In quo sane casu, marisque discrimine non plane contemnendo, non (opinor) obscure adparuit Lotichii ducis magna virtus, pro commisso nobili coetu, proque sociorum salute & vita in Oceano fortiter contempto periculo cum perfidiosa gente nautica, ac verius piratica dimicantis. Eam virtutem antiquam & fidem Lotichii in tuendo capite suo & sociorum non ingratus agnoscit, & celebrat etiamdum multis sermonibus Marius meus, nec dubitat etiam in pluribus casibus vitam servatam debere fateri, nominatim ac particulatim in Sequanae insulae natatione una temeraria: Qua se scilicet pro demulcendo calore aestivo lavantem ac natantem cupiditate & oblectatione juvenili, jam quantum improvise raptum gurgite amnis, atque undis demersum, vix crines exerentem, Lotichium una tum lavantem ac nantem secum (erat vero is natator agilis ac doctus tergo ac ventre) properanter manu auxiliatrice valida porrecta levatum, subiectoque firmiter brachio prehensum, jam in brevem labascentem ad portum retraxisse magna fide & cura, ac in securo positum tantum non exanimem capite in terram conversum, pedibus erectis, undas revomentem, vitae restituisse.

Quod

Quod ob benefactum Lotichium Marius superstes mortuum benefactorem & servatorem suum & appellare non dubitat & colere venerarique magna aeternaque pietate & memoria perseverat. Quorum etiam ob memoriam meritorum, virtutumque meritissimas laudes non destitit idem nuper laborare apud principem Ludovicum pientissimum suum, Elect. Palatinum Lotichio impetrare Epitaphium honorabile, quod scilicet ille (ut idem Marius ad me eadem epistola) poni sibi ab inferiore aliud vix pro virtute meruisset sua. Verum morte praeventus subita, inopinata, immatura, luctuosa, princeps optimus, malorum certe publicorum non minus, quam morborum gravissimorum accessionibus frequentioribus, ac quasi decumanis fluctibus obrutus, fractusque, quemadmodum alia multo maxima, arduaue, in quibus scilicet patriae communis incolumitas maxime vertebatur & salus, cum Dei gloria conjuncta, quod perquam cupiit, perficere ac praestare reliquit. Cujus ob memorabilem pietatem, virtutem, justitiam, vigilantiam, caritatem erga patriam, ac Rempub. turbatam Christianam, meritaque ingentia, immortalia, semper apud Germanos non degeneres & ingratos honos suos, nomenque suum, laudesque manebunt. Sed ad Gallicas redeo peregrinationes.

Lutetia rursus discedunt omnes pariter semel, pedestre iter instituentes ad lubitum, quod equis ire nolentibus (ut Itali loquuntur) recreari facile possent, uno duntaxat equo contenti ad ferenda onera, viaeque impedimenta & sarcinas. Fuit omnis ea profectio majorum ac minorum nobilium, Lotichio magistro duce, milliarium nostratium ad quinquaginta ex equo tam dulcis, unanimis, concors, modesta, laeta, indefessa, diligens, in ordines, officia, atque excubias alternas distincta, ut Deo Opt. Max. custode secure ambulant ac procederent, & exterorum omnium caritates, favores, beneficentiasque prolixè experirentur; Una tantum sylva circa Molinarum urbem latronibus rursus obviam se ferentibus; qui conspectos illos observare foras proripientes se, ac viatores nobiles praetereuntes, ac stantes ad arma paratos immane contuentes illudere hujusmodi verbis: Ex undecim tres esse forsàn, qui Marte congregi audent, ac manus conferere, caeteros fabulam, ac pedum fuga magis depugnatuos. Ubi illis a latronum vicinorum infesta manu haud periculum defuisse, ipsi post ex civibus & hominibus proximi loci cognoverunt.

Lugdunum bonis avibus ingressi, perlustratis, atque cum ocio ac diligentia inspectis hinc inde bibliopoliis magnificis, ac coempta librorum bona copia, octava post die inde solventes navim conscendunt, Rhodanoque nobili flumine vestri Viennam Cretensium Coloniam veniunt, ubi primum lubentes gustant provinciae Galliae nectar, carmine Poëtae celebratum.

Inde celeritate fluminis, ut pericula non desunt, nihil sentire incommodi, nisi ubi confidentiores aliqui, ut Germani viderentur, autores perfecere, ne supra urbem ante celeberrimum ac potentissimum pontem Sancti Spiritus de more ad litus exponi vellent. Namque ibi tum forte nauetae puppim ad definitum pontis jugum dirigentes negligentius atque incautius, amnis rapidi impetu ad vicinum proximum transitus inusitati jugum

lagitta velocius transvolant, ruuntque simul per faevas undas, murmura & spumas, ut seipsum nemo exaudiret, nautae, manibus ad coelum expansis, ad genuaque procidentes, Divam Mariam, nostri, Dei filium & Mariae, Christum Iesum, in auxilium vocantes acclamarent, mortem praesentissimam, ad saxum minimum si navis impegisset, subituri, atque interituri omnes monumento uno.

Inde Avenioni vero lactiores, viribus refumtis & animis, itinere pedestri bidui spatio post Nemausum, inde ad aras Asclepiadeas, ac post demum adpellunt Mompelium, sive magis libet appellare Pelium montem. Cujus loci & genium & opulentiam, ac rerum imprimis Medicarum miras, exuberantesque commoditates, Marius cum sociis extollere nunquam quivere satis, atque Italiae etiam praepondere non dubitavere, nisi Neapolitanum coelum & solum cum eo haud injuria conferas. Sed de hoc superius sermonem habuisse, sat sit.

Studia vero eorum ibi quae fuerint, quae exercitationes Philosophiae, praecipue naturalis, artisque Medicae, nec non Oratoriae & Poeticae praeclarae, & a Lotichio ipso vivente cognoverunt saepenumero amici, & sunt ab eo partim perscripta ad amicos, quae sunt in medio.

Porro autem famulo ibi cum uterentur Gallo cum ob linguae imperitiam, ejusdemque commoditatem addiscendae, tum ministerii gratia, quod opus eo omnino esset ad coemenda necessaria mensae cotidianae privatim institutae securitatis causa: evenit Quadragesimae tempore (ut vocant) cum exteris, Germanis praesertim, quemadmodum & per Italiam, esse carnes magistratus licentia permetteretur, atque illi ipsi nostri libertate ea freti liberiores illuc vitam viverent; famulum Gallum insolentiores factum, objurgantibus ac reprehendentibus licet illis, carnes saepenumero domum ferre propendentes vestem subtus. Quod cum alii, at imprimis e regione illis habitans leguleius Clericus non obscure notasset, tacuit continuitque se tamen anno integro, ad alterius vero revertentem (ut vocant) carnium privationem rem ad collegium & inquisitores defert tandem: Vocantur non omnes simul, sed juniores primum, mox alii, vix ut deliberandi spacium daretur ad respondendum. Discipuli culpam (culpa modo & scelus magnum putandum si id est) moniti atque instructi transferunt in praeceptores & magistros. Inter caeteros convenit, Deo rem committentes, ingenue factum fateri. Biduo auditis junioribus cum in una, eademque recta ac simplici responsione perseverarent, nec adferrent quid novi, accersuntur grandiores, audiuntur nunc seorsum, nunc simul, praetendunt & allegant publicationem regiam. Eam vero illi non nescire quidem se dicere, scandalum vero datum incusare. Rem serio illi ubi vident magis atque magis severe agi, quo animo fuisse putandum est in territorio illo religioso peregrino, a patria Germania procul, inque severitate disciplinae Ecclesiasticae! At quid illi? Consilio inito male conciliatum famulum Gallum, multa nocte graviter monitum a sese dimittunt. Quod ut benefactum, sic majorem illis invidiam, molestiamque creare. Quinta jam luce ad disputationem collegii citantur de carniū esu, ac quaestionibus consimilibus. Instant illi de publicatione regia, ac securitatem ni concedant, missuros  
ad

ad regem regiamque aulam, ac per Rheingravium interpretem & legatum datorios responsa. Esse hos illi adolescentes nobiles Germanos examinatos, agnatos. Ac tum remittere paulum visi illi disputationibus urgendis ac videri famulus ob id praemissus. Quem nactus quis dubitaret continuo Vulcano sacrificaturos? Itaque ad poenitentiam in scandalo publico serio illi advocantur subeundam; proponitur formula, alba veste per plateas nudis pedibus ire singuli ardentibus facibus, coram summo altari missam audire, absolutionem petere, atque hoc modo multam debitam magistratui & clero pendere ut parent, cautius de caetero ambulantes. Quid nostri autem? Inter metum spemque medii positi, numinis tamen supremi auxilio animati facturos se horum quicquam absolute pernegant, eo, ingenui quod essent, liberi, liberis parentibus Nobilibus prognati, nec vero admissuros in se & familiam suam ignominiam istam, aspersurosve gentilitio nomini suo huiusmodi infamiae, servitutisque maculam, clamitantes libertatem studiosam, nobilitatem literarum, regiam denique publicationem, promulgationemve indigne violari, contumeliaque affici, cujus magis erat amplianda gratia & favor, velle studiis suis & rebus salvis, mansioni parere ad responsa regia publica aulica.

Est scilicet hoc nescio quomodo quasi a natura, & primorum patrum origine, genti nostrae proprie insitum atque ingeneratum, impatientior servitutis esse, ac pro re nulla pugnare, quam pro libertate magis atque iustitia. Unde & appellationis Francorum rationem originemque, deductam esse vulgo loquuntur & autumant.

Consequentibus porro sexto ac septimo diebus decreta severa domo non egrediundi paulatim relaxari, veniaque dari ob amorem dignitatemque Teutoniae gentis. Iustitiae id fuisse, quod fecissent illis adferentibus, ne subditi Regii de juris inaequalitate, iustitiaeque haberent scilicet, quod jure conquererentur, remitti illis factum gratia Ecclesiae, ea lege tamen, ut cautiore, modestioresque de caetero existant, ac scandalum citra vivant, tum etiam (in quo uno obtemperatum) ad nosocomia & xenodochia publica pauperum eleemosynas, coronatos singuli singulos dependant.

Caeterum comperimus Carolum Clusium, cui notus Dominicanus ordinis inquisitor erat, ob familiaritatem, quae illi cum Rondoletio, apud quem Clusius vivebat, ingens erat, non minimam causam extitisse, cur mitius cum Lotichio & suis ageretur. Dominicanum scribit Clusius virum minime malum fuisse, qui Musica, cujus peritus erat, plurimum cum delectaretur, frequentissime ac familiarissime Rondoletianas aedes, in quibus persaepe ac singulis prope diebus exercitia Musica animi relaxandi gratia a meridie per totam aetatem fieri adfoleant, adire consueverat. Quod igitur solvissent, suae quoque spontis, arbitriique fuisset.

Bene precati nostri discedunt, conditione ea, quod non nisi sub auctoritate publicationis Regiae victuri dehinc sint, ac soluturi quisque, quod esset hilaris datoris, qui Deo dilectus sit. Stupere illi ad animositatem nobilium juvenum, hospitum Germanorum, multis modis ipsis perspectam ac probatam. Clementiam quoque nobiles Franci nostri haud parvi pen-

centes, Deo ac Regio nomini gratias permagnas agunt, ac habere promittunt, quod impune ac honeste evaserint.

Exemplum notandum adeuntibus Gallias, cautionis ergo, haud secus, quam navigaturis providenda magis pericula, latentiaque saxa, atque indicanda ab his, quibus naufragis portum contingere, ac pericula evadere liberatione divina contigisset. Adde quod nomina singulorum, Inquisitionis albo notata, inscriptaque relicta ab illis sunt, monumenta perpetua futura omnibus Germanis, cautius ambulandi apud externos & Gallos.

Porro autem non multo post tempore, cum biennio jam, atque eo amplius forte in Academia Mompeliana vixissent una conjunctissimi omnes, una mala cuncta oblata fortiter perfuncti, mensa duntaxat ex parte ad tempus ob multitudinem divisi, cum Lotichio Daniel & Erhardus Scibari; Dimarus, Marius apud Canonicum Jacobum de Mausis, caeteri in contubernio communi cum Vischero Paedagogo: lubere denique animis ipsorum, itaque placitum magistris ductoribus in feriis Academicis transferre studio alio, ac paulatim progrediendo, proficiscendoque fructum ac cultum aliquem ampliore studiorum capere, rursusque ad maritima loca excurrere partim Philosophiae naturalis, ac Medicae uberioris cognitionis causa, partim Academiae inspiciendae inclytae Tolosanae. Erant cum Lotichio Marius, & alii item suorum quinque (minoribus reliquis certo loco, stationeque commoda cum paedagogo relictis) iis se adiungunt Gallus studiosus unus monophthalmos, & alter hodie etiamnum (quod sciam) vivens ac florens Isaacus Cellarius Grynaei privignus, Basiliensis professor non ignobilis. Impetratis itaque literis commendatitiis a Scyronio seniore & Rondoletio, praeceptoribus, ad Tolosates, ingrediuntur iter rursus viatores nostri boni avibus bonis. Addit & Clusius literas ad Medicum Narbonensem, apud quem in professione Carcassonensi cum Rondoletio diverterat, ut quicquid istic monumentorum vetustiorum extaret, opera ejus Lotichio & comitibus procurarentur conspicienda.

Erant tum dies aestuosissimi pro istius Climatis temperatura, ac perlubebat illis semper ex proposito littus legere, ac Setium montem vetustum, Ptolemaeo celebratum, quod in littore situm est, raris simplicibus memorabilem, prius semel visum revisere: ubi hypocistidis ab illis confectus fuccus, ac conquistata alia plantarum genera insolentium. Aura maritima frigidiuscula blande adspirante multum delectati procedunt ultra, conchilia, pisces, plantas maritimas, ac quidquid id genus oblatum, inventurorum, aspectu jucundum, legentes secum ferunt. Quorum pleraque in editionibus & monumentis Caroli Clusii doctissimi, indefessique rerum medicarum indagatoris, volenti liceat cognoscere. Eum montem ante, ut dictum est, quadragesimae tempore semel Lotichius cum plerisque ex suis, comitantibus etiam Clusio, Cellario, Scheto, Mario, trajecto Volcarum stagno (ut scribit idem Clusius) conscenderat, ex Frotignano oppidulo ad stagnum sito, ubi pridie omnes pernoctaverant; mane profecti, ac de novo sub noctem in idem oppidulum, cymba vecti, lassī revertentes, post die vero per Miravallē, vinis generosis Appianis, vulgo Muscatellinis dictis, eo loci nascentibus, nobilem, rursus Mompelium.

Porro

Porro a littore Tyrrenico defleſcentibus (neque enim maris littus continuum legendo, quae Narbonam ducat, ulla eſt via, cum illud interſectum nonnunquam ne tuguria quidem hoſpitibus ad hoſpitandum praebere queat, eodem Cluſio referente) fame ac ſiti magis compulſis, ut prandium ſibi invenirent, ea die ſcilicet, qua ſpes erat Narbonam, cujus Cicero meminit in Epistoſis, pervenire: ecce de improviſo non advertentibus illis obviam ſe fert homo quidam vere Longinus, ater, ingens, horridus, quique ipſis quodammodo terrori eſſet, haeſitantibus, piſcatorne ejus littoris eſſet, an villicus, an magis viarum obſeſſor. Salutatis illis ille perquam humaniter itineris ſe comitem offert, cui Narbonam utpote notiſſima eſſet via; ac, quod videret homines ſtudioſos illos eſſe herbarios, cognitionibus multis deditos, ob corporis robur, quo praeditus erat, perofficioſe ultro deſert ſervitia & operas ſuas in palliis deportandis, atque aliis oneribus haud ita multis. Noſtri, de via longa, coeli ardore, ac inſiſtione multa feſſi & languentes, voluntatem officioſam tam opportunam non aſpernantur, tunicas cedunt quiſque ſuas: falſe illo vero homo validus ille neutiquam gravari, ac facundus in via comes lepide multa etiam fabulari. Sic prandium illi dant. Id fuit Niſſe proximo pago vocato vulgo Paſſi de lup, quaſi paſſum lupi dicas, ſylvula Tamaricis conſita, loco latrociniiſ infami, ob viarum inflexus & ponticulos complures, cum paluſoſus locus ſit, ut adnotavit Cluſius.

Inde digreſſis cum iterum luberet littus relegere, donec ad urbem ventum eſſet, Longinus dictus vero, jam e longinquo ſeſe oſtentante Narbone Martio, ut Cicero loquitur, recta, grataque monſtrat viae compendia laſſis, a mari abducendo juxta Ruſcionem fluvium, alluentem ac influentem proximum mare; ac jam ante urbem aggeribus, propugnaculis, molibusque munitiſſimam, ac milite praefidiario accurate cuſtoditam pulverem calceamentis purgant, ſeſe componunt, veſtiunt, ingreſſui parant. Id dum faciunt illi ſtudioſe, ecce Longinus comes interim percurioſus jam foſſas profundas inſpicere, jam undique & undique circum intentus oculos verſare, aliudque ex alio ſpectare ac ſuſpicere. Venitur ad portam primam, Marte terribilem, minacem, validam. Ibi jam, non continentes ſe amplius nobiles Teutones noſtri, cupiditate inſpiciendi, noſcendique inſcriptiones plurimas veterum Conſulum Romanorum rerumque aliarum atque effigierum digniſſimarum illuſtrium, ac vetuſtate ipſa venerabilium, inſpectione longa haerentes tenentur, ac quaſi paſcuntur. Ingredi parantes jam urbem, miles vigil cum admiratione aſpiciens, variaque, ex habitu diverſo modo, ac idiomate peregrino hoſpitem novorum inſolentium, ſuſpiciens ac rogitanſ, qui ſint, unde, aut quo ire contendant, gradum illico ſiſtere jubet, aditu prohibet, intrare illis licere negat prius, quam ad militiae principem, ſummumque magiſtratum res referatur, jamque illos longum moratus, militum dictum magiſtrum ac Capitaneum adeundum jam oſtendit adjuncto ſatellite. Sequuntur laſſi, moeſti, languidi, ſiticuloſi, pulvere obſiti, jam ſtomachari tacite ſecum, ante ad hoſpitium non duci ſarciniſ deponendis: jam recte in atrium permagnificum regiumque comitati coram Regio militiae praefecto ſiſtuntur omnes, ac rogantur primum, omnes



nes Gallicam linguam ecquid teneant ac loquantur. Cui illi: Paucos (inquiunt) sic linguam tenere, ut intelligantur, ac necessaria proloquantur, proponunt & eligunt dictum Isaacum Helvetium socium, ut nomine omnium Gallice loquatur. Erat tum summo in metu Gallus socius, dictus unoculus, qui sodales comites caeteros obnixè admodum rogare atque obsecrare, ne se Gallum esse proderent. Dux militum Germanos audiens, intueri singulos intente, ac quibus locis quisque Germaniae prognati essent, rogare. Ac venit tum hercule bona fortuna, quasi Deo quodam suggerente, in mentem Marchionis Alberti, Metis pro Caesare Gallos contra dimicantis. Nam de fugatis Gallis, pugna facta, is, remotioribus istis locorum spatiis, resciri nihil poterat. Itaque Saxones plerique se esse asserere, Isaacus, ut erat, Helvetium; Marchionis se terris oriundum aut vicinum, nemo perhibere.

Erat tum in militum numero eorum atque ordine Germanorum nemo, praeter Chirurgum juvenem unum. Is continuo advocari noscendi gratia, si Germani, si studiosi Medici essent: Quod sane perquam commodum, bonum, fortunatumque illis accidit, invenisse hominem non solum popularem nationis Germanicae, sed etiam ejusdem studii atque ordinis, cujus candore ac virtute confiderent, ac respirarent magis. Itaque Imperator Regius ubi studiosos illos Medicos cognovit esse, literas commendatitias ad Tolosates exhiberi postulat, rescindit, legit, reddit. Verum profectio- nis causam suspectam cum haberet belli temporibus, his illos affatur dictis gravioribus: Decebat vos (inquit) Juvenes studiosos, studia tempo- ribus accommodare, nulla temeritate pericula subire, vicinos modo ad montes Pyrenaeos usque progressi estis, unde unius vobis diei itinere Hispanias ingrediundi est facultas. Prius urbem itaque explorare ac lustrare mens est, post alias animo versare artes. Quibus auditis, animis illi consternari: conscientiae tamen purioris, rectique propositi vultus ostenden- tes, intrepidi rationes objectas refellere. Erat ducis aetas grandis, barba cana, autoritas militaris cum majestate in tribunali sedens, satellitum ho- loserico amictorum satis bono numero stipatus, officiariorum (ut vocant) in armis omnium tanta assistentia & praestolatio, ac si regiam ipsam ma- jestatem, sedemque intuerere. Demum paucis se resolvens dux grandaevus & catus, in Lotichiumque intuitus fixius, corporis colore supra alios magis fusco, robore & habitu virili, vultu pariter militari, animo prae- senti, infracto, imperterrito, rogat: Quis tu igitur? Etiamne tu studio- sus haberi quoque vis? ipsoque adfirmante: Videre vero rectius (inquit) tu mihi hastam gestare militarem, quam calamus, codicemve, hastam- que & enses vibrare, quam carmen exarare; veteranum scilicet militem miles Lotichium agnoscens. Unde risu omnibus oborto comiter dimissos post exactum jam amplius sesquihorae colloquium satellitem adjuncto in diverforium imperat abduci, cujus nutu continerent sese, nec pedem di- versorio efferrent absque consensione. In eo Germani nobiles hospites perlubenter mandato parere, atque imperata facere, securis modo, me- tuque periculi liberis esse liceret. Quin laeti hospitem ocys vina promere jubere patrio more, ut animos reciperent, sitimque molestam pellerent,  
Chi-

Chirurgo interpreti Germano ostendentes pro Germana voluntate amica sua, animoque recto, liberali cum primis, deinde & Satelliti, cujus arbitrio vivendum erat, benevolentiam, comitatem, humanitatem omnem prolixè, ac pocula Lyaeumque liberius propinantes, mutuam gratiam promereri, officioque devincire sibi homines Germano ritu conari, ad laxandam nimirum ingeniis nostratibus magis intolerabilem servitutem, ac placandum rigidi militis severum imperium.

At quid sit porro tandem? Digressis hospitibus liberaliter Baccho acceptis, nostri coenati, refecti, soluti partim curis, partim viae laboribus, laeti securique cubitum ire appropere, flescere, sopiri. Ecce interea autem bonus ille Longinus, sinister itineris angelus & dux, cum hospite in culina jurgare ac rixari pro mundandis nobilium tibiis calidam imperiose poscens, ut officiosus videretur. En vero ad focum e sinu illi in terram excidere literae majori sigillo regali obsignatae. Eas raptas hospes inspicere dum vult, dictum factum, Longinus e manibus eripit, in ignem conjicit, ex hospitio sese proripit, extra urbis moenia nocte eadem subito notis sibi cuniculis elapsus effugit: Disquisitus viis omnibus, celeribus equis nusquam gentium adparet vir ille bonus. Postridie primo mane orto Germani nostri ignari rerum dum omnium, quae noctu accidissent: Ecce (malum!) propere rursus ad terribilem magistratum, militiaeque Imperatorem regium revocantur, examinantur, rogantur, ecquis ille viae comes, qua via advenerit, qua sit sociatus, ire quorsum monstrarit. Respondent nostri bene adhuc animati, nihil cunctantes haesitantesve, quod res erat, neque notum sibi hominem, neque conductum esse, sed adsociatum forte ad littora obvium factum ultro nimis quam officiosum praebuisse, ac non etiam nullum terrorem injecisse, ignaris penitus, unde aut jerit, ireve quorsum destinavit. Haecine jurejurando confirmare num velint, singuli interrogantur: confirmant & ajunt singuli atque omnes uno ore constanter. Tum militiae dux summus, ira exandescens, fremensque, denunciari illis mandat per tribunum in haec verba severe: Bajulus iste comes maritimus, deprehensus in manus suas si venisset, jam illis pro spectaculo ante hospitii sui fenestras ex Longino longam factum literam pendere. Proin illico urbe exeant, Mompeliumque ad studia sua se referant, nec progrediantur ultra, edicit. Quod si dicto non audientes Tolosam versus pedem movisse deprehensi sint, de proxima quemque arbore racematim suspendendos fore.

Etsi vero adnotavit Clusius, mitius ac humanius praefectum Narbonensem cum nobili hoc agmine Lotichiano egisse propter Rondoletii literas a se curatas, in discrimen tamen, ni literas eas habuissent, conjectos ab exploratore Hispano sinistro comite praesentissimum adserit. Addit Clusius item, scire se, post illa, Hispanum studiosum quemdam, reditum in patriam parantem, hyeme proxima succedente, eo quod apud ipsum propugnaculi cujusdam, quod non procul Aquis mortuis ad maris litus extruebatur, delineatio inventa esset, in vincula conjectum, ac post suspensum, tamen in eo liberando haud parum laborarent Doctores Mompeliani. Nam bellum tum exarsisse acre inter Galliarum regem Henricum II. & Carolum V. Caesarem. Itaque peregrinantibus per eam Hispaniae vicinam

oram ac provinciam itinera nulla extitisse, nisi infestissima atque periculosissima. De Longino suspicio erat omnium, Genuensem eum proditorem esse, ab Andrea Doria subornatum, ad Hispanias in littore extra urbes sese continuisse, ac mala modo fortuna sua Germanis optimis illis nostris consociatum, cum gravissimo periculo.

Deo Opt. Max. custodi bonorum grex Lotichianus nobilis gratias totis pectoribus agens, majori post rursus, ut ante ad Oceanum, itineris parte, quod ante pedibus fecerant ad lubitum, veredariis expeditis, ut in tuto res suas ponerent, ocyus confecta, receptui canentes, ac cum Musis suis in gratiam redeuntes intra septa sua continere sese modesti, ac peregrinationum multum saturi. Lotichium ducem, reducem cum choro suo, pulvere, sudoreque squalidum, cum sic Mompelum urbem ingredi nollet, in suburbano diversorio restitisse, atque evocato sibi ex urbe narrasse fortunas suas, idem ad me adnotat bonus & doctus Clusius, Lotichii amicus & familiaris per Galliam praecipuus. Atque hinc est, illud scilicet, quod bonus Lotichius non ignarus malorum, ac jam satis atque satis pro aetatis suae modulo & terris jactatus & alto, haud injuria exclamans canit.

*Ab melius Rhodani submersus in amne fuisset,  
Naufraga cum tumidis fluctibus lausta ratis.  
Insonti melius caput a cervice recijum  
Vidisset medio Narbo jacere foro!  
Quot mala finissem letbo, si dura tulissent  
Astra feri Martis falciferique senis!*

Atque haec de peregrinationibus Gallicis Lotichii & sociorum memoratu (opinor) non indignis, nec cognitionis illiberalis verbosius haecenus, Georgio Mario Medico, amico paterno prisco communicante pleraque, ac bono amabilique Clusio, eadem haec expertis ambobus. Enimvero videri hercule possit haud supervacaneum, nec non operae precium, huc accedere auctarium ceu quoddam, de rebus Gallicis expositionis dignissimae atque utilissimae monumentorum veterum in agro Nemaufensi, quae ille ad Joannem Stigelium Poëtam, de Gardi inprimis patris mirabili triplici ponte scripsit, quod est inter alia Romanorum non solum veterum, sed etiam scriptorum Lotichianorum opus profecto omnium & memorabilissimum & admirabilissimum. De quo Poëta noster ad hunc modum.

*Cui licuit coelo tantas educere moles,  
Et triplices uno sternere ponte vias?  
Ponte pruinosas aequante cacumine nubes,  
Cujus ab aspectu lumina terror habet.  
In medio latis (res mira) canalibus actae,  
Scrupa per rigidi viscera montis, aquae.  
Qui videt immanes excisos rupibus arcus,  
Artificum doctas aestimet ille manus.*

Itaque,

Itaque, quae succincte & accurate adnotata, a me rogatus humanissimus Clusius, de hac stupenda structura pontis communicavit nuper, magna humanitate, & amica voluntate, neutiquam relinquenda hoc loco, minime certe hac utilissima parte fraudandum lectorem putavi. Sic ille:

Gardus Lotichio pater fluvius est e Cebennis montibus delabens, ac inter Avenionem & Arelatem in Rhodanum sese exonerans tandem. Supra eam extructa est ingens illa moles veteris operis, cujus Lotichius meminit, triplici quidem ponte constans, sed unico tantum pervio, aquaeductum sustinens ac duorum montium fastigia conjungens, Gardo subtus inter utrumque montem fluente ac utriusque radices alluente. Inferior sive primus pons, ducentos passus longus, sex fornicibus sustinetur. Is pervius est, equitibus etiam, ac jumentis mercibus onustis, praebens iter. Huic deinde innituntur ea parte, quae orientem spectat, undecim altissimae, sed dimidiatae duntaxat fornices, alterum pontem, sed non pervium sustinentes. Illi superstructae fuere plurimae aliae minores, quarum adhuc quinque & triginta manent integrae, fornices, aquaeductum satis latum atque altum e grandibus saxis quadrangulis tenacissimo cemento simul junctis constructum gestantes, qui utriusque montis verticem conjungebat. Is denique aliis magnis, planisque saxis contextus est, per quae ab unius montis vertice ad alterum ei oppositum iter facere, sed non admodum tuto licebat. Per eum aquaeductum, fontem amoenissimum, qui est in Uzes urbe, cujus Episcopus temporale illius dominium habet, tribus miliaribus inde distante (extructis praeterea multis aliis inter montes parvis molibus) in Nemausum urbem, tribus magnis miliaribus, infra molem illam derivari volebant Romani, ad ejus urbis majus ornamentum atque emolumentum. Nunc is aquaeductus, qua aquilonem spectat, corruptus est & a montis vertice recisus, quod caprarum atque ovium in vicinis jugis pascentium custodes subinde ex alto incauti deturbarentur, dum animi gratia supra illum interdum proterve audentiores graderentur. Memini (inquit Clusius) me cum e Mompelio profectis aliquot Lotichii discipulis Erhardo Stibaro, Mario atque Vischero, si bene commemini, eam molem conscendisse, ac per supremum aquaeductum ad usque recisionem iter fecisse, verum venti turbine exorto per ipsum aquaeductus canalem sive alveum regredi coactos, ne si per illa saxa, quae alveum contegunt, nudaque omnino sunt, sine ullis ad latera sustentaculis rediissemus, ventus nos in praeceps dejiceret. Illum vero alveum sic tum dimensus sum, ut obstipo capite & manibus ad latera admotis, cubitisque utrinque exertis gradienti facilem viam praeberet.

Porro Nemausum urbs vetustissima inter Avenionem & Mompelium sita, ex qua Imp. Antonini oriundi, Proconsulum olim sedes, multa etiamnum antiquitatis monumenta retinet, praeter Amphitheatrum elegantissimum, ovali forma exstructum, quod quinquagena hominum millia capere potuissent ferunt, ac praetorium perelegantibus columnis exstructum, tecto plano & quadrato lapide constrato, quod nonnulli ab Hadriano Imp. in Plotinae honorem exstructum fuisse arbitrantur. Dianae templum seic integrum adhuc manens ostendit, quod nomen vetustum quodammodo adhuc retinet,

ac Vestales ad fontem vulgari lingua nuncupatur. Templo proximus est fons ille Lotichio cantatus, latus admodum, quem multas orgias in diametro continere arbitror, e quo tenuis quidam manat rivulus, laurorum lucum alluens. De quo virginittis seu Dianae fonte Poëtae nostri hoc loco versiculos adscribi dignissimos iudicavi, nec plane omittendos ob insignem eorum cum suavitatem, tum venustatem.

*Fons sacer uberibus foecundus profluit undis,  
Qualem Gargaphiae nomine vallis habet.  
Populeae frondes & Palladis arbor obumbrat,  
Et tenero vernat gramine semper humus.  
His Dea sub ramis venatu lassæ quievit,  
Sedavitque suo Delia fonte sitim.  
Hic solitæ comites posito velamine Nymphae  
Molle superfusus tingere corpus aquis.  
Scilicet hic vires liquor infringebat amoris,  
Quæ bibit, æterna virginitate fuit.  
O mihi si veteres eadem vis diluat ignes,  
Fama salutiferas quanta maneret aquas!*

Numquam vero hic fons regurgitat, sed voraginem habere creditur, quæ suas aquas absorbeat. Etenim a fide dignis intellexi, (inquit Clusius) merfas in eo pecudes & injectas trabes, in Gardum flumen binis sub Nemausomiliaribus denuo emeruisse. Illi præalta quædam turris imminet, magna cognominata, veteris etiam operis. Ex ea videre licet, quam ampla olim hæc urbs fuerit, moenium adhuc remanentibus vestigiis & rudetibus. Valde sane fuit olim exulta a Romanis ea Galliae pars, quæ a Narbone urbe Narbonensis cognominatur, ipso Plinio teste, soli fertilitate cum Italia comparanda. Nullae etenim sunt urbes, quæ non aliquod vetustatis monumentum adhuc retineant, sed Narbo & Nemausum præ caeteris. Hactenus Clusius noster.

Revertentes tandem igitur post exactum jam ferme quadriennium ex Galliis nobiles Stibari cum Lotichio ac Vischero præceptoribus, inveniunt patriam heu infelicitet turbatam ac vexatam Alberti Marchionis hostilibus armis, deletas ac solo æquatas urbes, dirutas arces, vastatos undique discordiis civilibus agros, ac quod acerbissimum, tristissimumque illis accidit, inveniunt, ut superius narratum est, patrum, patronum, patrem Daniele gravi oppressum morbo lateris alterius relaxati, dum is salutis patriæ peramans de pace componenda, placandisque armatorum ducum irritatis animis advigilat sedulo, cumque Melchiorre Zobello præfule Wirzeburgico, Franciæ Duce optimo ac fortissimo, ut qui belli fortunam & summam (ut hominum certorum veris sermonibus accepimus) non dubitavit objecto suo corpore, vitæque discrimine propriæ cum hoste decernere pro vita civium: consiliis communibus, fideque magna administrat Republicam.

Verum enimvero idem Stibarus optimus, semper similis sui pro eximia virtute & humanitate sua, quantumvis præter immensos sumtus Gallico-

rum

rum studiorum, crudeli plurima bello passus, in propriis plurima acerba bonis, invalidumque latus trahens, moerore peresus, ut Poeta noster ipse carminibus suis testatum facit: Lotichium tamen suum Musae suae instinctu, doctum visere Latium ardentem, viatico liberali instructum, minimeque destitutum dimittit a se honeste, jubetque & Phoebum & Musas suas, eloquiumque sequi. Quid enim tum ageret Lotichius bonus, benis Musis & literis natus, Francia patria universa civilibus armis accensa? Non illi collibuit Musis suis semper optatis & dilectis denuo relictis, insana castra Martis, feraque praelia sequi, nec vero juvabat jam expertum, quam dulce bellum, ac mitem artis Apollineae cultorem rigido iterum cum milite vitam ducere, qui putat armata cuncta licere manu.

Antea vero quam Italicum ingrederetur iter, voluntate Danielis Stibari, aestate inclinante, Lipsiam cum magna parte discipulorum nobilium proficiscitur, ad salutandos praeceptores, veteres principes Philosophos nostros, fama super aethera notos, Joachimum Camerarium & doctum Melanchthonem: Quos summa, raraque doctrina, virtute, sapientia viros doctissimos ac nobilissimos Daniel tota vita ex aequo coluerat, observarat, liberalitate sua ornaverat. Hos viros (neque enim valde alienum fuerit hoc loco id quoque commemorare) paribus studiis, ingeniis, moribus mirabiliter praeditos, tantum Reipublicae literariae, optimarumque artium studiis excitandis ac juvandis egregie natos, ac divino munere hoc seculo nostro Germaniae datos ad literarum decus, lumenque inferendum barbarie pulsa, rarum verae amicitiae exemplum diceres, adeoque vere ut Laelii & Scipionis, par amicorum eruditorum. Quippe qui sic se invicem amanter ac constanter in vita semper sunt complexi, sicut juvenes, ita senes, sic caritate mutua & amore pari invicem prosecuti cum communicatione studiorum, consiliorum, officiorum, dolorum omnium omni aetate, sic denique amicitiam in literis communibus contractam a prima adolescentia ad extremum usque tempus vitae sanctam, inviolatamque tutati cum perpetua benevolentia, ut eos equidem si illis ex omnibus seculis monumentis doctorum vix tribus aut quatuor amicorum paribus celebratis adnumerare sim ausus, doctorum bonorumque omnium ob id reprehensionem, vituperationemve haud valde, nisi ego fallor valde, verear. Adde & illud, duorum istorum summorum, praestantissimorumque virorum dulcem, immotam, perennem conjunctionem, confociationemque semper unanimem clarissimo argumento nobis esse, nec dulciores nec firmiores amicitias existere, quam (ut ita dicam) Philosophicas, id est, hominum eruditionis, humanitatisque studiorum dulci nexu conjunctorum. Verum & illud hoc loco reticendum, ac silentio praetereundum non videtur, de fatali quasi infelicitate alterius optimi Melanchthonis. Quod quo vir ille melior fuit & doctior, deque omnibus cum publice, tum privatim praeclare meritis in vita, homo pacis, veritatisque ac candoris observantissimus, tanto illum jam mortuum acerbius ac malignius persequitur hinc invidia, livor, simulas, malevolentia in mortui diminuenda opprimendaque meritissima laude, adeoque in arrodoendo, carpendoque immortalis nomine optimi atque innocentissimi Socratis nostri quasi pascitur: Illinc

injusta calumnia ac diffamatio. Quod aetate nostra non absque dolore bonorum plus nimium comperitur. Sed de hoc obiter satis, nec de hoc verba plura in praesentia facienda. Est in medio oratio apologetica alterius Thefei sui, qua luculenter, copiose, perfortiter ille tuetur famam, innocentiam, nomen ac decus Melanchthonium, insectationum vero atque aemulationum nimis quam inimicarum vaesaniam ac furias a capite infontis, ac nunquam satis laudati Philippi, incomparabilis amici sui orationis vi plane Herculeae retundit, amoliturque. De quo illud unum adhuc pace bonorum omnium (opinor) dixero: Dignum laude virum Musa vetat mcri. In alterum vero mortuum, decus immortale patrium, minimum juris obtinere animadversum adhuc huiusmodi inimicam malevolentiae vim & furiam insectam, quam ille illustri gloria, aeternaque fama & laude monumentorum robore pollentis ingenii sui, claraque adeo virtute Heroica invicti styli levi momento ceu fumum ac nebulam dissipaverit, vel etiam quasi Gorgone objecto in fugam conjecerit.

Ad Lotichium longius digressa revocetur oratio. Qui me plusculum haerentem in Saxonibus apud Melanchthonem bona fortuna adhuc inventum, sibi junctum studiorum communium causa abduxit secum in Italiam, adjuncto nobis ex nostratibus Equitibus Francis adolescente nobilissimo Bernhardo Thungeno, Quem magnificus Andreas Thungenus agnatus capituli senior, vir magna virtute, humanitate singulari, caritate in patriam praecipue memorabili, difficillimis ejus oppressae nocturnis armis temporibus, atque periculis insigniter declarata, praeditus, peculiariter mihi tradere ac commendare in disciplinam. Marius popularis & amicus paternus haud multo ante nos via antecesserat. Profecti ergo per Oenipontem & Tridenti alpes descendimus in desideratam pulchram Italiam terram, terram divitem naturae bonis & malis, ejusque adeo ferme modi, quemadmodum de Aegypto memoriae Homerus prodidit Odyss. lib. 4. his versibus:

Αἰγυπλίῃ, τῇ πλείστα φέρει ζείδωρος ἄνθη  
 Φάρμακα, πολλὰ μὲν ἐσθλά μεμυμένα, πολλὰ δὲ λυγρὰ.

Quos versus sic quidam convertit haud incommode:

*Fertilis Aegyptus rerum medicamina mista  
 Optima multa, simul deterrima plurima profert.*

Italiam, magnam quondam Maroni parentem frugum, magnam virum, antiquae laudis & artis. Mihi quidem felicia aspicere Italia rura, laetisque intextas vitibus ulmos secundum eundem Maronem, quantae voluptati fuit! Venimus Veronam, ut alias praeteream claras urbes, naturae genio totam amabilem. Ibi praeter caetera clara monumenta praecipue lustravimus clarorum principum Scaligerorum illustres statuas, qui olim ferme universam Lombardiam tenebant: Unde a vicinis Venetis expulsi concessere in Bavariam. De quorum genere inprimis clarus extitit Magnus Canis dictus, apud quem vixit & claruit ingenii gloria florentissimus ac celeberrimus Poëta Dantes Aligerius, Florentinus, vir doctus & sapiens. Inde

Inde ortus sui principia duxere hodie etiamnum clari, Julius Caesar Scaliger, Poëta, Philosophus, Medicus, ejusque haud degener filius Josephus Scaliger, vir omnium linguarum, quae quidem in Academiis traduntur ac tractantur, peritissimus, Galliae imo Europae praeclarum ornamentum, possessionis, Veronae ac Sirmionis insulae Benaci lacus legitimus haeres. Vidimus ibidem regis Pipini tumulum perpetuo rore rigatum, tum etiam magni Fracastorii Philosophi, Medici & Poëtae, aliaque item spectabilia permulta.

Patavium demum venimus hospitium concupitum nostrum, Antenoream urbem antiquam in Euganeis, TITI LIVII natalibus claram, unius omnium mortalium judicio digni, cujus prope invicto calamo invicti populi Rom. res gestae describerentur. Mitto Petri Bembi Cardinalis, Lazari Bonamici, ac Christophori Longolii eloquentissimorum, doctissimorumque hominum monumenta splendida, aliaque, quae in ea urbe visuntur dignissima multa.

Urbs est amplissima, quasi dicas urbem in rure, & rus in urbe, itaque hortorum recessibus, amoenitatibusque scatens, studiosorum hominum perquam commoda statio ob aëris laudatam temperiem, urbis tranquillitatem, adde opportunitatem urbis vicinae Venetae, ipsa literarum & studiorum gloria, hominumque doctorum excellentium, Jureconsultorum Philosophorum veterum, ac Medicorum totius Italiae celeberrima. Cui agrum ob id & fertilitatis summae & aëris salubrioris, naturam, Deumque esse voluisse, Patavinorum medicorum veterum communis sententia fuit typis publice edita. Atque ob eandem ferme causam nos Germani Italiam adeuntes perlubenter in ea urbe resistimus primum, aëri Latino adfuescentes. Ibi vero praeter artis medicae exercitationes praeclaras, assiduas, indefessas, cotidianas, videas tu doctorum excellentium cum incredibilem humanitatem, tum conversationem tantum non familiarem. Sunt etenim profecto ejus gentis homines ut nobilissimi quique doctissimi, atque in certo genere scientiarum disciplinarumque a primis annis excellenter eruditi atque exercitati: ita in conferendo communicandoque supra ingenia nostratia facillimi ac humanissimi. Neque enim non eam laudem comitatis, humanitatis, communicationis perfacilis nos Germani experti Italici hominibus jure tribuimus, ac merito gratis sermonibus usurpamus.

Porro autem Lotichium quantopere delectare Bembi hortulus, elegans, urbanus, perpetuo virenti lauro venustus cum sua Hyaco & Plarano? Quas ille, Dii boni, benas ibi moras nobiscum facere, ac horas ociosas sumere libenter propter herum suum perpetua laude eloquentiae, sapientiaeque aequae virentem? Tum vero nobiscum ille libenter quam sub vesperam, dum calor remitteret se, crebro ad medicorum hortum (sic appellant) omni genere pulcherrimarum, rariorumque plantarum instructum ac cultum, patentem bonis & doctis omnibus, maxime vero Medicinae cultoribus, quorum est possessio propria, ab illisque sic (ut dictum est) cognominata, excurrere? Excurrere sero vespere Patavio ad visendum vicinum Arquatum ad salutandos Francisci Petrarchae sacros penates & cineres, sacros recessus, pulchra laureta? Qu'd dicam quam jucunde, quam cupide nobi-



nobiscum ire ille, comitantibus plurimum Maroldo meo, meoque Mario, ad Euganeos montes medicis herbis feliciter scatentes, hinc invisere sacros Aponi fontes, ac proxime illis fitas ut locis, sic gradibus & qualitatibus distinctas, quinque calidas aquas, in quibus & jucunde saepe corpora, valetudinemque & genium nostrum curavimus.

Ad Venetiarum urbem interea accessimus, Medoaco flumine vecti, ad visendos homines insulares, maris incolas, & urbem toti orbi admirabilem. In qua urbe qua admiratione (boni Dii) contemplati omnia sumus, ceu novum mundum, nova Neptunia regna, regias opes, magnificentiae omnia plena, excelsa urbis palatia in mari structa, delubra superba Deorum (neque enim unus ibi colitur Deus, sed divus etiam Marcus & Neptunus) monasteria honorabilia, spectabilia fora, vireta, portus, mille pontes, angiporta, nobilium hominum augustam gentem, proceram, & bene habitam, purpuratorum venerandum senatum, magnificorum (ut vocant) seniorum ipsa personae majestate verendorum spectabiles coronas, ac frequentes per urbem confessus & incessus binos, adde his opportunitate & delicias maris; discursiones navicularum parvarum celeres, insulas vicem circa positas undique multas, fori piscarii miras formas, varias lautitias & opes, officinae vitrariae, quae Murani est, ingeniosas artes, artificiosa opera, amplissimam fabricam navalem & armamentarium ingens, quasi castellum. Quid bibliothecam commemorem, antiquam, locupletissimam ac nobilissimam Constantinopoli deportatam? Praeterieram ferme formosas ac corpore praestantes maris nymphas, ac que urbi nomen dedere, Veneres. Denique magnificum, regale, augustum ibi quid non spectavimus? Invasit urbem Patavinam pestis, unde studioforum Academicorum pars Bononiam, pars Venetias diffugere, illuc se cum Mario Lotichius recipere, hic ego cum Ortolpho meo Maroldo ac Conrado Ernesto bonis & doctis sodalibus confedimus, aetatem unam una jucunde in ocio nostro posuimus, assidue discentes varias & admirabiles species maris ac differentias in foro piscario hominum generi natas, interdum ac non raro legentes atque indagantes in littoribus Adriae nascentes maritimas plantas.

Delectare semper Lotichium Felsina sua, id est, studiorum pulchra mater Bononia, ac id quid mirum? Est enim vere Musis amica, dedicata Gratias, totaque venusta Bononia, ad cultum humanitatis, vitaeque elegantioris quasi a primis incunabulis (ut ita dicam) ortus sui instituta. Quam gratiam, venustatemque a bonis literis, ac studiis liberalibus profectam ei, atque ortam, quis non videt? quae a longis seculorum retro elapsis spatiis, vetustisque admodum exordiis in ea urbe propagata, nataque etiamdum hodie in eadem vigent: Ut Bononiae, bonae literae atque omnes bonae Gratiae, nutrices ac parentes videri atque appellari jure queant. Quam Theodosius Rom. Imp. princeps optimus ob id studii sedem perennem, omnium scientiarum domicilium, arcanorumque suorum armarium, magna auctoritate, inviolabili indulgentia, summisque privilegiis delegit & sanxit: Ita ut si quis scholasticos ob studium illuc euntes, abeuntesque ausu temerario offenderit, plectendum capite: id ni Praefes exsequatur, eadem poena mulctandum decreverit, Petronio Episcopo Bononiensi,

noniensi, ex Caesarum Constantinopolitanorum sanguine orto, idem fumo studio agente apud Imperatorem atque procurante. Tantoque adeo (ut docent historiae) in laudis & famae studiorum culmine stetit Bononia, ut in studio saltem Bononiensi versatum esse satis esset ad doctrinae commendationem. Quid quod hac aetate non minus etiamnum, qua res caeterae cunctae ferè imminui, in pejusque ruere, atque a natura quasi degenerare cernuntur, adparent tamen ac supersunt Bononiae antiquae verae nobilitatis, humanitatisque politae, quae (ut dictum est) a literis & artibus ingenuis ortus suos trahunt, clarissima vestigia, cujus plenissima est civitas. Eoque videri nemini mirum debet, si hodie quoque homines nobiles, aliarumque etiam nationum populi non barbari, atque in iis etiam Lotichius Poëta noster, Gratiarum Musarumque bonarum alumnus, in ocio Bononiensi vivere, ac quasi requiescere optarint. Itaque & nos tandem sodales caeteros eo pertraxit Bononiae bonum & nomen & omen; commemoratamque elegantem humanitatem urbis nos quoque re eximie praedicare pluribus verbis possumus. Unde & Italorum proverbio jactatur, Padua crassa, Florentia bella, Bononia elegantiae civilis, seu, ut ipsi dicunt, Cortese.

Unum commemorando hoc loco adhuc de Bononia superfedere haud possum de veteri Adamo (sic enim communiter ab hominibus nostris ille adpellabatur, Verlieffer vero cognomine dictus, patria Kittingensis Fr. legum studiosus) perpetuo vitam studiosam coelibem agente Bononiae, quem nos ibidem grandaevum admodum cognovimus & populariter & familiariter. Is domi re satis lauta cum esset, posthabito tamen ac neglecto bene amplo patrimonio, ac fortunis suis delegit sibi Bononiam perennem vitae & studiorum suorum sedem, ac delictatus & captus plane ocio, studioque Bononiensi non quivit ab ea suorum ullis vel exhortationibus, vel monitis, vel jurgiis minisve severioribus avelli, a suis etiam denique relictus, ac commeatu destitutus: Sed omnem aetatem suam ibi posuit, ac multum grandaevus clausit ultimum diem suum: in advenientes quosque Germanos, novos hospites, ceu communis pater seu curator existens officiosissimus, admittendi vero, recipiendive quenquam in domum suam, aut ostendendi rationem vitae suae domesticae solitariae, seu Oeconomiae suae, omnium impatientissimus. Itaque eo nomine nemo Germanorum, nisi proterve importunus, molestus illi esse voluit, ut veniret in domum suam. Ejus boni Franci bona denique mortui, ad sex vel quinque (quod sciam) minimum millia aureorum ad Fridericum Bernbeccum ex forore nepotem, consularem primum Kittingensem, omnium hominum literatorum ac studioforum in patria Kittinga ceu communem hospitem perbenignum, perque liberalem, quique etiam apud patriam monumenta nominis sui, ac beneficentiae suae honestissima, amplissimaque reliquit, affinem meum rediere.

Porro exposcit nunc locus praesens expositionem sane haud jucundam infausti, funestique casus Lotichii, ac toxici Bononiensis lethiferi, quando ille in multum sibi adamato ocio Bononiensi hausit (ut de semet testatur Poëta noster) incauta dira venena manu. Quae res illi, longiori vita

ob rei literariae comoda praeclaraque incrementa, ac commune bonum, dignissimo, vitae finem breviorē attulit extra controversiam, dies ante diem praecidit, fatumque attraxit. Id sic evenit, quemadmodum ejus indicium primum Bononienſes amici, poſt Lotichius ipſe patiens, nobis Patavii fecere. Cum enim in Lotichio exiſt-ret morum incredibilis quaedam ſuavitas, comitas, facilitas, candor, fides, ita, ut quibus ſemel coepiſſet ille eſſe notus & amicus, iisdem fieret indies carior atque jucundior, ob idque conſuetudo ejus familiaris ac cottidiana expeteretur ab optimis, nobiliſſimisque quibusque certatim; accidit Monacenſem juvenem nobilem Canonicum Bavarum, cujus nomen honoris cauſſa merito reticendum, qui Lotichio uſu domeſtico primum junctus Patavii, eundem mox conſecutus Bononiam profeſtum peſtis cauſſa, ut dictum eſt, amoris benevolentiaeque ergo ejus contubernii ſocius iterum eſſe voluit. Tum forte (ut fit) amare foris, quod domi habebat, ut ait Terentius. Id impatientius ferens hoſpita, juvenis formoſiſſimi amore capta, juſ parere, nescio quod, male temperatum ac conciliatum Circaeum, Itali mineſtram illud, hoc Philtron Graeci vocant, id juveni amaſio adponere, alterum vero conſuetum cottidianum Lotichio more gentis ſeorſum. Tum errore (heu) infelici Lotichius imprudens, jure ſibi appoſito bono & utili, quod pinguius id eſſet (erat autem a pinguibus eduliis natura fere adhorrentior Lotichius) faſtidito, ac commutato cum jure intoxicato nobilis Bavari ſodalis, quod erat macrius: buccellam juri peſtifero, ut adſolebat, immergens projicere cani, quem tum habebat, Gallico ruſſo, ex parte dimidia vulpi, ad menſam praeſtolanti ſuo, qui in rabiem continuo verti in parietem ruens. Id nondum advertens bonus nobis Lotichius, ſorbere ipſe quoque pergere, dictum factum, vim ille veneni intra praecordia ſentiens, atque animo linquens in terram de ſella labſcere, mox tantum non furens in contenti ad conclave volare, arma arripere, impetu ac manu violenta in ſocium territum, profugientem, innocuum, rerumque ignarum ferri (rectius in maleficam heram, ſceleratam coquam) inſidias falſo ab ipſo vitae ſuae paratas ratus. Poſtmodum, non plane tamen impoſ ſui, ſuive totus oblitus, ac ſalutis ſuae negligens protinus oleum olivarum haurire affatim large, inde ſtomachi fibris laxatis hauſti toxici partem revomere, hinc curam neceſſariam reliquam corpori intoxicato, ut medicus patiens admove-re. Hinc ille in acutam febrem malignam incidere, ac laborare cum periculo graviter. Ex quo morbo ubi medica & ope & opera colligere ipſe ſeſe poſt coepit, ac habere meliuſcule, tum illi decidere capitis pili, digitorum unguis, totus aliquatenus immutari corporis habitus, exaſperari quoque nonnihil animi mores & vultus, quibus antea nihil erat placidius. Haec Patavii de Lotichio mala, nova ſymptomata, infauſta, triſtia, nobis primus (quod ſciam) nunciavit magno dolore Roma cum ſociis rever-tens, magnae experientiae vir, & orbis peragratior, Hubertus Languetus, qui ad illum tum aegrum, recensque mala haec dira paſſum Bononiae amicitiae veteris ac ſalutandi cauſſa venerat, atque officii viſendi inprimis mala valetudine, & fortuna nova ſubita repente ac improviſo oppreſſum amicum.

Vixit

Vixit ille post valetudine haud ita usus firma, nec longiori est Bononiae commoratus tempore Affligere consueverat illum per intervalla, ac periodos suas habere aegritudo mala, ac recrudescente vis toxici crudelis venis ac praecordiis imbibiti tantum non quotannis, revertente scilicet anno, ac tempore illo, quo illi hoc mali accidit, autumnus videlicet, ac tum fere cum mentis alienatione & febris, quo ille etiam nobis est infelicitate sublatum.

Italiam vellem minus adpeteremus nos Germani, continentes nos finibus nostris, nostraque agnoscentes bona: Quibus etiam, Itali ingeniosi, ingeniorum non dubitant laudem & palmam concedere, si ea modo par cura, labore, industria bona nostra excolere, excitareque usque exercendo ipsorum perpulchro exemplo satageremus, nec vero molli (ut fit) ignavia, desidia, crapula, gula, vaesaniaque adeo commensationum ac repletionum immodicarum ac perpetuarum, receptis quasi a primis patribus, Teutonibus priscis, institutis, legibus, moribusque perditis perdere perseveraremus. Sed hoc extra viam. Committendi quidem nobis eventus huiusmodi, ac fortunae casus Deo gubernatori omnium. Neque enim vero hercule ego Lotichio accidisse hoc triste fatum citra fatum, hoc est, supremi numinis arbitrium, vel Stoico fato aliquo, casuue Democritico crediderim, quod est Theologorum munus magis proprium disquirere. Scilicet sic, secundum magnum Prophetam, cecidimus quasi folium universi, & iniquitates nostrae quasi ventus abstulerunt nos.

Caeterum Lotichii calamitosas & lacrymabiles has vices rerum, ac fortunam novam, excepit mox alius non minus acerbus casus, & vulnus grave, Danielis Stibari Maecenatis mors, quae illum totum coniecit in luctus & lacrymas, ademitque omnem jam ferme vitae reliquae jucundioris spem & cogitationem. Luctus, lamenta, lacrymas Lotichii loquitur ac testatur hoc satis lacrymabile carmen:

*Tu studium lususque meos, tu gaudia vitae  
Omnia fregisti morte, Stibare, tua.  
Sit tranquilla tibi requies, spesque incia luctus,  
Jamque vale, manes mox sequar ipse tuos.*

Quo loco deploranda non minus nobis venit fors calamitosa, & spes fallaces Stibari, summi ac sapientis viri, frustrati eventu honestissimi ac pulcherrimi consilii sui, de gentilibus suis, in quos ceu praesagiens vitae fugacis, non longioris suae exitum, non dubitavit conferre sumtus imensos (ut copiose narratum est supra) institutionis liberalis, ut scilicet ad vitae officiorum humanitatem, prudentiamque civilem eruditi ac informati claris majoribus suis, ac Republica digni haberentur. Quippe mortem Stibari haud longo intervallo temporis consecuta duorum ex fratre nepotum Henrici & Martini optimorum strenuorumque juvenum fratrum, in ipso aetatis flore extinctio est, Erhardo etiam, candido & cunctis amato, Lotichioque cum primis praeceptori atque ipsi Danieli ante alios dilecto, nuper florentibus annis consumto. Caeterorum superstitum, ut opinor, non vero ignobilis fortuna, fama, virtus. Quid quod virtute praestans Stibarus ipse melioribus annis, ipsoque aetatis ferme vigore (quingagesimum enim

ille annum (ut cognovi & audiui ipse ex ore ejusdem) haud multum excesserat) in medio amplissimorum honorum cursu, in maximis periculis, difficultatibus, procellis patriae, Reipublicae alieno tempore evocatur de statione hac mortali, nec tam sibi, quam suis, quam Reipublicae quam patriae fluctuanti ac confluctanti intestinis armis, morte valde immatura ac intempestiva abijt e medio, relictis undique patriae rebus misere turbatis. Sic adeo omnis caro foenum, & omnis gloria ejus quasi flos foeni, juxta eundem Prophetam.

Consummatis Lotichius studiis Italicis, acceptisque ornamentis & insignibus (ut vocant) Academicis, in facultate Medica, amicorum (quod scio) impulsu magis, quam sponte sua (Nam posthabitis iis domum reverti decreverat) reditum maturat in Germaniam, ac vale longum dicit moestus venustae, lepidae, amabili Felsinae suae. Constituerat pridem Romam ire, longo desiderio affectus visendae salutandaeque antiquae urbis, totum quae terruit orbem, adhuc adolescens, ubi (ut familiariter ille nobiscum fabulari solebat) quacunq; ingredere, vestigium ponas in aliquam historiam, ut de Athenis refert Cicero. Verum enimvero tot ille affectus malis, tot fatigatus, ac fractus fortunae sinistrae casibus, cum post acceptam Bononiensem (ut ita dicam) cladem, aliam mentem induisset, cumque corporis habitu quodammodo commutasset aliquid & mores & ingenium, in patriam terram caram, ubi requiesceret, ac quasi respiraret a malis, recta, nulla constatione, nulla usus circuitione contendit. Discedens ex Italia scribit ad me his verbis: *Peregrinationum etsi nulla satietas est, tamen modus quidam certe esse debet, mi Hagi.* Quod magis (nisi fallor) scite ac venuste atque in eandem ferme sententiam paucis versiculis ad Gregorium Schemum medicum expressit idem noster, quod libuit apprimere hoc loco adscribere:

*Dum nos omnibus exales in oris  
Fidi erramus amiculi, nec ullo  
Sub coelo requiescimus, molesta  
Eheu, Schete, senectus adpropinquat,  
Et linguescit, ut iceta sole myrtus,  
Blandae flosculus elegans juventutae.*

Venit patriis salutatis penatibus post paulo Wirzburgum, praefule urbis Melchiore Zobello, Francorum duce optimo, a factiosa & scelerata manu, nefario latrocinio ac novo exemplo, intra urbis moenia, per insidias crudeliter tum perempto. Cujus atrocissimi, indignissimique facinoris memoriam, ac historiam, Lotichium nostrum, Episcopi Friderici successoris, vel potius sententia nostra Erasmi Neusteteri, ceu alterius sui post Danielelem Stibarum defunctum, & patroni optimi & maximi, impulsu jussuque, conscripsisse, dissimulato nomine vulgo creditum est, ac vero simillimum est. Agebant scilicet id tum studiosè (ut intelleximus) novus praeful Fridericus, inprimis vero nobilissimus, laudeque virtutum praestantissimus Sturmerus, quicum illi in Galliis familiaritas non vulgaris intercesserat, ut honoribus ac fortunis auctum atque ornatum in urbe sua

Loti-

Lotichium retinerent, quasi in possessione sua, quo videlicet magno ingenio, opera, industria, consuetudine cum medici doctissimi, tum Poëtae clarissimi frui possent. Verum ille Erebipolitana in urbe nobilissimum, doctissimorum atque optimorum, tum vero sui perstudiosorum hominum, dum fruitur consuetudine atque utitur familiariter, in patria quoque interea Solitaria cum suis jucunde vivens, animum diuturnis peregrinationum, studiorumque laboribus fessum ac languidum quasi recreat: accidit illum ecce Dei Optimi Max. qui bonos ac sperantes in se fortes, nec ignavos facere officium suum nunquam deserit, bona providentia & fortuna Heidelbergam vocari perhonorifice ad docendam, tractandamque artem medicam in Academia, auspiciis Othonis Henrici, Principis Palatini, Septemviri, magnanimi herois, quem ipse post prolixè cantavit in NICRO suo; seu commendatione id Philippi Melanchthonis, sive fama ejus per Germaniam jam sese alis suis efferente. Fuit id anno Christi c15. 15. 1.vii. Atque hunc ad modum reor jam Lotichio nostro hoc loco cum studiis ac peregrinationibus exterarum gentium, adeoque fere cum vitae ipsius perangustis limitibus terminari septenarium quartum aetatis melioris, strenuae, juvenilis, quem ipse spaciis (heu!) non longis annorum excessit. Nec enim septenarium quintum Climactericum aetatis virilis (ut Medici vocant) illi contigit assequi, sed in medio quasi fatorum vi stamina abrumpi. Virilem aetatem ingressum, ac veluti viatorem fessum fata decernunt requiescere, ac medendi, docendique facultate utilem operam navare Reipublicae.

Pergit itaque Lotichius, supremi numinis, ac principis sui Palatini iussa vocationemque suam secutus, bonis avibus Heidelbergam ad accipiendam provinciam scholasticam, semper exoptatam animo suo atque amatam plus omnibus gazis ac Croesi opibus, in ea scilicet facturus vitae suae brevioris, ceu fabulae secundum vota sua honestam catastrophem. Venit autem in Academiam eam, animo tanto magis cupido, majorique studio, quod ea aetate proxima superiori vigeat memoria claraque fama hominum doctissimorum, ut Jacobi Wimpfelingi, Pallantis Jureconsulti, magni & sapientis viri, de cujus sapientia, virtute, excellentique humanitate multus subinde Melanchthonis sermo, ac perquam honorificus apud amicos, apud quem olim etiam Heidelbergae Melanchthon vixit; Joannis Oecolampadii, Joannis Hartungi, Seb. Munsteri, Joannis Virdungi Mathematici, ante alios vero magni Rodolphi Agricolae Phrysi, Oratoris & Philosophi summi, ejusque cum primis venerandi discipuli, magno elegantique ingenio, & doctrina Jureconsulti Joannis Dalpurgii, Antistitis Wormacientis, aliorumque complurium, quos longum sit enumerare, proxima vero recenti memoria & laude praeceptoris Jacobi Micylli Philosophi & Poëtae elegantissimi, Graeceque pariter & Latine doctissimi: de quo supra verbose dictum satis superque est. Quo cum illum rursus in optata semper vita Academica & Philosophica conjungi loco ac conditione honesta, ad quam verae laudis & virtutis rationem consequendam Lotichius ducem illum & autorem magnum habuerat, quanta laetitia ac voluptati fuisse utrinque existimandum est? In ea Academia, (extra quam vitam non esse secundum

vetus proverbium, Lotichius in sermone multum familiariter usurpare solebat,) medicinam professus honorato loco & stipendio, docendi pariter atque aegros curandi munere ad eum modum perfunctus est, ut Palatinis principibus praecipue, eximieque commendatus, collegis suis jucundus, studiosorum, civiumque coetibus carus maxime habetur. Contigit vero eum eodem ferme tempore Marpurgum quoque iudicio & favore Landgraviorum principum honorabili vocari, ut munus idem ferme ibi tractandi artem vel medicam, vel poëticam capefferet, ubi olim adolescens & puer luserat, ac militaverat in literis. Verum in vocatione, ac statione prima Heidelbergensi honesta Lotichius & vixit, mansitque lubenter, & in ea, dum vixit, vixit bene ac honeste.

Vixit vero coelebs tota vita, vitam sibi deligens vivere studiosam literatam perpetuam, atque ocium illud suum secutus (quod fortunatum isti putant esse cum Mitione Terentiano) uxorem ille nec curare ducere, nec habere. Qua cum opinione sua haud plane contemnendus, vituperandusve mihi videtur Lotichius esse, si ab una foemina vulnere lethifero, licet per errorem semel accepto lethaliter laesus & faucius, post omne mulierum genus iudicio quodam suo perpetuo formidandum putavit; nec habuit non instituti & consilii sui causas & graves & honestas, ut in altera parte narrationis explicabitur. Neque enim vero osor sexus foeminei Lotichius fuit, humanitatis omnis venustioris, atque elegantiarum pater; neque vero, non ipse homo homini humanum errorem condonare in Christo omnis erroris, ac delicti humani correctore, vitaeque ac salutis aeternae instauratore, ut protoplastes homo homini Evae suae & potuit & voluit. Quid multa? Qui Musas bonas solas semper amavit, semper in deliciis habuit Lotichius, semper coluit, expetivitque tantum, quantum amans amantem maxime, ἐξ ὧν τὸ κλέος ἐρχεται ἀνδρώποισι, secundum Theocritum: Olim olim scilicet (quod modo praeclare obtinuit virtus ejus) volare docta per ora virum, ac funeri etiam superesse, unum id vero Lotichio praecipue semper cordi fuit, unum hunc finem in vita propositum habuit, unum in votis omnibus, unum id laborare, conari, contendere omnibus viribus ingenii, praeponereque id facile omnibus cum caeteris bonis humanis, tum voluptatibus temporalibus, fluxis, incertis, caducis.

Veni ego ad illum Heidelbergam postremum ex Italia rediens. Fuit id anno salutis humanae crio. io. lxx. quando ego illum agnovi & inveni adhuc plane Lotichium veterem, ac satis valentem corpore & animo, quando ille contra me accepit, agnovitque uti par erat amicum & fratrem primum sodalium suorum, retinens secum per diem unum & alterum, abductum illico ex diversorio publico, complexus plane benevolentia & caritate antiqua, postridie fessum de via longa adhuc, vixdum expergefatum bene mane (ut Lotichium agnosceres eundem) ducere ad vitiferos colles amoenos urbis prominentes, post deinde ad floridos hortos, fontes, ad patrem Nicrum, tandem refectionis causa ad studiosorum hominum communem convictum, ubi tum Lotichius vivebat apud Magistrum Philosophiae & Theologum, doctum & bonum virum, omnis humanioris, elegantiorisque vitae literatae exemplum. Ultimum erat, cum me desideran-

derantem videre fumum tandem patrum & lares patrios, salutato prius Joanne Langio Palatinorum principum emerito Medico, sene doctissimo ac venerando, nec non viso principis horto magnifico, malis aureis, citriis, punicis, virium topiariis, multisque id genus ornamentis perpulcre culto, abeuntem Lotichius amicitiae, amorisque gratia vetusti, nunquam exoleiscentis, prosequeretur cum coetu suorum optimorum sodalium, communium συγγενῶν, atque in iis maxime Michaële Beuthero, Polyhiitore populari, duceretque ad eum pagum (nisi ego fallor) eamque propter Nicrum villam beatam, quam ille Phyllidis nomine pulchrae nymphae sylvestris pulchra celebrem fecit Elegia. Eam nos villam ingressi, bona gratia, ac gratiofo genio ducente, horas sic paucas bonas & beatas, pro valedictione longa, ultima, suaviter atque amabiliter sermone festivo & comi, ludo, joco, risu, atque inprimis laetitiae bono patre Libero praesenti, produximus ac transivimus, ac tantum non horarum obliti & solis cadentis sub serum hesperum digressi, atque aegre avulsi invicem moerentes, complexi amanter, ac verba ultima locuti, discessimus. Ab eo ille ille mihi post nunquam est visus tempore Lotichius meus, annoque longius paulo uno post vitam cum morte, id est, hanc mortalem atque aerumnosam cum immortalis, incorruptibili, incontaminata, coelesti commutavit. Vix dum ille (proh dolor, ô sortem humanam incertam, ô fallaces spes mortalium!) Jacobo Mycillo, mox Philippo Melanchthoni, caris praeceptoribus ex his vitae communibus aerumnis in beatæ aeternitatis domum, unde magna parte sui venerant, rursus profectis iusta perolverat funebria, Cygnea carmina canens: Cum ecce haud longo post temporis intervallo, eodem adeo ipso anno ipsum quoque, cujus mens usque praesaga, nec nescia fati futuri carmen illi luctuosum hoc suum occinere (ô anime infelix non potes esse diu) opprimit suprema fatalis dies & mors.

*O fallax & breve vita bonum,  
O homo caduca res & inutilis!  
Herba ceu verno saturata rore  
Mane, mox languet medio sub aestu,  
Mox humi comis jacet arefactis  
Vespere fero.*

Parabam ego forte tum ante menses non plusculos (illo sic bene mihi praecinente) nuptias, ad quarum solenne sacrum ego illum multum exoptatum animo meo & vocabam ritu veteri recepto Christiano, satis in tempore, & cum studio magno ac contentione; interim de exarando Epithalamio carmine juxta sollicitans, ignarus prorsus acgritudinum suarum, extremæque laboris, deferens ei ultro, quod pacti olim juveniliter inter nos eramus, cupide etiam exolvere, ac praestare libenter, ut sponsus prior, mutuo inter nos promissa ac condita munera & ornamenta sponsalia. Verum ille ad hoc mihi verbum nullum, carmina ultima, epicedia sua propria, magis divina mente revolvens, ac pertaesus rerum humanarum fluxarum ejusmodi atque inanum, spes vero concipiens contra non  
vanas



vanas solorum per Christum partorum verorum bonorum perennium ingentibus animis, Christoque etiam atque etiam commendans gemebundam, candidamque animam suam, in Christo eodem liberatore suo feliciter aeternum obdormiscit. Sicque Lotichium sodalem, amicum, aequalem, fratrem (visum sic aeterno, supremoque rerum omnium moderatori Deo) amissum vel praemissum potius, nobis

*non virtutis egentem*

*Abstulit atra dies & funere merfit acerbo.*

Correptum ad extremum, ut de eo me literis erudit Lotichius alter Posthius meus, acuta febri & maligna, noctu cum aliquo mentis delirio, ut consueverat, quod tamen ante vitae finem plane desierat; anno Christi Servatoris & Liberatoris humani generis cis. id. Lx. Calendis Novembris. Quo morbo magis in dies ingravescente die VII. mensis ejusdem critico ad Imperium summi Regis, Dei Opt. Max. evocatus ex statione hac mortali decessit sua miles Christianus, Poëta, Medicus, Philosophus, perpetuo studiosus, eodem ferme mense ac die, quo in hanc vitam intraverat, vitae munere perfunctus fortiter, sapienter, iuste, graviter, eleganter: labores perpeffus militiae, peregrinationum, studiorum juvenis continuos, cum annos vitae consummavisset duos & triginta.

Morienti ac commendanti lassam & aegram animulam suam extremum iterum atque iterum Christo forti & unico adfertori humani generis, victorique mortis, cui scilicet vitam & ingenium omne & Musam suam, hos oculos, seque, animamque suam devote sacraverat, in quo uno spes & opes omnes suas omni tempore collocaverat, quem unum jucundis carminibus suis cantaverat, celebraverat, imploraverat tota vita: officio & solatio adfuere homines docti quamplurimi Poëtae, Philosophi, Medici, Theologi, de Academia amici candidi, moerentes, atque in iis cum primis Joannes Posthius, Medicus & Poëta, Lotichii laudum magnus sectator, qui emigranti e vita pie oculos pressit, funus procuravit, ossa & mortales reliquias humeris suis cum amicis aequalibus, artium liberalium ac Philosophiae Magistris quinque, ad divi Petri in suburbio fanum deportavit. Quae ibidem juxta Jacobi Micylli praeceptoris carissimi & parentis ossa proxime posita, Poëta Poëtae, nunc cinis cineri in bona pace, requieque aeterna in spem non fallacem resurrectionis carnis suae ad beatam immortalitatem molliter (precor) cubent. Atque ad hunc modum adspirante Deo propitio expositio instituta laboriosi, gnavi, varique, at brevis nimium, curriculi vitae, studiorum, fortunae, obitusque Petri Lotichii Secundi, amici, sodalis, fratris, vera, ingenua, simplex, nullo animi aestu intemperato, nullo verborum strepitu, quae quidem de eo mihi in hoc genere vere cognita fuere, cum sine vitae ejusdem finem suum pariter fortiatur.

Nunc corollarii vice narrationi superiori historicae, vel ipsa rerum consecutione admonente ac poscente, subnectere visum locum alterum quandam ad priorem, historiam ipsam, magnopere pertinentem ac necessario cohaerentem, philosophiam quidem nostram, laudesque propius Lotichianas

nas attingentem : Qui naturalis scilicet corporis temperaturae, habitus, valetudinis, formae, denique animi morum, ingenique qualitates explicaret : Quantum mihi quidem parum acri iudicio, ingenioque simplici ac minus perspicaci de summo Poëta summi ingenii dicere, ac conjectura artificiali consequi fas fuit. Quae sicuti caetera priora, amici lecturi (quae mea fiducia est, quae etiam universa haec praecipue a me suscepta de Lotichio commentatio est) interpretabuntur ac iudicabunt candide, amice, dextre, studiumque ac voluntatem saltem egregiam probabunt meam.

Atque ut ab externis ordiar, fuit Lotichius, primum statura honesta, virili, in mediocritate consistente, non modum excedente nec deficiente, corporis habitu non gracili, non obeso, sed medio, membrorum corporis decenti compositione & forma bona, omnium partium corporis soliditate firma, laboribus perferendis apta, totum corpus ut eucrasia bona, sic valetudine etiam praeditum robusta & bona. Capitis figura concinne rotunda proportionem reliquo corpori pulchre respondens, si in ullo alio, animadverta. Capitis pilus subniger, subcrispus, non mollis, modice pressae nares, aures contractae magis, quam expansae asinorum instar. Fusci oculi suaves, non vagi, pudorem ingenuum, ac modestiam pulchram prae se ferentes, frons exporrecta, hilaris, semper eadem, ut Socratis, vultus, modestus, tacitus, compositus, non austerus, sed magis subridenti similis, gravis, faciei color, ut reliqui corporis, non albus, sed venuste fuscus, barba decens virilis, mediocriter densa, nigricans. Pectus torosum, modice ut reliquum corpus hispidum, manus validae, lacerosae ad decertandum, ferrumque stringendum perhabetes atque agiles, in corpore toto denique, ut succus superfluus nullus, sic nihil iners, pigrum, lentum, segne. Sensus ad summum vegeti, acres atque alacres, actiones omnes promptae, celeres, expeditae. Animus, qui istud quasi domicilium inaceret aptum ac temperatum, impiper, magnus, excelsus, ad omnem inpetum fortunae prope invictus, modestus tamen juxta ac mire humilis, summissus, aequus, temperatus, ad capeSSenda jussa rationis rectae summe attentus & prudens. Summa: temperamentum corporis universi, ut ego quidem potui conjecturam artificialiter facere, ut medici nostri loquuntur ex Galeni sententia, sic satis temperatum ad melancholiam inclinans, sive libet magis dicere, Melancholicum cum sanguine temperato, vel etiam aliter loquendo cum Medicis, cum subdominio sanguinis. Quippe temperamenta hujusmodi habitus animi producant, Aristotele & Physicis nostris attestantibus, egregios & laudatos. Hinc in Lotichio (ut de natalium dominantibus astris, coelique ac siderum congenitorum dispositione & potestate nihil dicam hoc loco, quod ad astrologos remittimus) ingenii excellentia, actionum, qualis in hominem cadere potest, promptitudo, perfectio, virtus, morum gravitati conjuncta humanitas, constantiae comitas quaedam & facilitas magna, accepta a natura, corroborata consuetudine, disciplina, literis. Quae omnia in Lotichio fuisse eximia, amicis pernotum est.

Inerat autem morum suavitas quaedam prope singularis, atque erat comitate temperata mirabiliter omnis ejus actio, adeoque id fere erat in eo,  
Q
quod

vanas solorum per Christum partorum verorum bonorum perennium ingentibus animis, Christoque etiam atque etiam commendans gemebundam, candidamque animam suam, in Christo eodem liberatore suo feliciter aeternum obdormiscit. Sicque Lotichium sodalem, amicum, aequalem, fratrem (visum sic aeterno, supremoque rerum omnium moderatori Deo) amissum vel praemissum potius, nobis

*non virtutis egentem*

*Abstulit atra dies & funere merfit acerbo.*

Correptum ad extremum, ut de eo me literis eruditur Lotichius alter Posthius meus, acuta febris & maligna, noctu cum aliquo mentis delirio, ut confueverat, quod tamen ante vitae finem plane desierat; anno Christi servatoris & Liberatoris humani generis circ. 15. LX. Calendis Novembris. Quo morbo magis in dies ingravescente die VII. mensis ejusdem critico ad Imperium summi Regis, Dei Opt. Max. evocatus ex statione hac mortali decessit sua miles Christianus, Poëta, Medicus, Philosophus, perpetuo studiosus, eodem ferme mense ac die, quo in hanc vitam intraverat, vitae munere perfunctus fortiter, sapienter, iuste, graviter, eleganter: labores perpeffus militiae, peregrinationum, studiorum juvenis continuos, cum annos vitae consummavisset duos & triginta.

Morienti ac commendanti lassam & aegram animulam suam extremum iterum atque iterum Christo forti & unico adfertori humani generis, victorique mortis, cui scilicet vitam & ingenium omne & Musam suam, hos oculos, seque, animamque suam devote sacraverat, in quo uno spes & opes omnes suas omni tempore collocaverat, quem unum jucundis carinibus suis cantaverat, celebraverat, imploraverat tota vita: officio & solatio adfuere homines docti quamplurimi Poëtae, Philosophi, Medici, Theologi, de Academia amici candidi, moerentes, atque in iis cum primis Joannes Posthius, Medicus & Poëta, Lotichii laudum magnus sectator, qui emigranti e vita pie oculos pressit, funus procuravit, ossa & mortales reliquias humeris suis cum amicis aequalibus, artium liberalium ac Philosophiae Magistris quinque, ad divi Petri in suburbio fanum deportavit. Quae ibidem juxta Jacobi Micylli praeceptoris carissimi & parentis ossa proxime posita, Poëta Poëtae, nunc cinis cineri in bona pace, requieque aeterna in spem non fallacem resurrectionis carnis suae ad beatam immortalitatem molliter (precor) cubent. Atque ad hunc modum adspirante Deo propitio expositio instituta laboriosi, gnavi, varique, at brevis nimium, curriculi vitae, studiorum, fortunae, obitusque Petri Lotichii Secundi, amici, sodalis, fratris, vera, ingenua, simplex, nullo animi aestu intemperato, nullo verborum strepitu, quae quidem de eo mihi in hoc genere vere cognita fuere, cum fine vitae ejusdem finem suum pariter fortiatur.

Nunc corollarii vice narrationi superiori historicae, vel ipsa rerum consecutione admonente ac poscente, subnectere visum locum alterum quandam ad priorem, historiam ipsam, magnopere pertinentem ac necessario cohaerentem, philosophiam quidem nostram, laudesque propius Lotichianas

nas attingentem : Qui naturalis scilicet corporis temperaturae, habitus, valetudinis, formae, denique animi morum, ingenique qualitates explicaret : Quantum mihi quidem parum acri iudicio, ingenioque simplici ac minus perspicaci de summo Poëta summi ingenii dicere, ac conjectura artificiali consequi fas fuit. Quae sicuti caetera priora, amici lecturi (quae mea fiducia est, quae etiam universa haec praecipue a me suscepta de Lotichio commentatio est) interpretabuntur ac iudicabunt candide, amice, dextre, studiumque ac voluntatem saltem egregiam probabunt meam.

Atque ut ab externis ordiar, fuit Lotichius, primum statura honesta, virili, in mediocritate consistente, non modum excedente nec deficiente, corporis habitu non gracili, non obeso, sed medio, membrorum corporis decenti compositione & forma bona, omnium partium corporis soliditate firma, laboribus perferendis apta, totum corpus ut eucrasia bona, sic valetudine etiam praeditum robusta & bona. Capitis figura concinne rotunda proportionem reliquo corpori pulchre respondens, si in ullo alio, animadversa. Capitis pilus subniger, subcrispus, non mollis, modice pressae nares, aures contractae magis, quam expansae asinorum instar. Fusci oculi suaves, non vagi, pudorem ingenuum, ac modestiam pulchram praese ferentes, frons exporrecta, hilaris, semper eadem, ut Socratis, vultus, modestus, tacitus, compositus, non austerus, sed magis subridenti similis, gravis, faciei color, ut reliqui corporis, non albus, sed venuste fuscus, barba decens virilis, mediocriter densa, nigricans. Pectus torosum, modice ut reliquum corpus hispidum, manus validae, lacertosae ad decertandum, ferrumque stringendum perhabiles atque agiles, in corpore toto denique, ut succus superfluus nullus, sic nihil iners, pigrum, lentum, segne. Sensus ad summum vegeti, acres atque alacres, actiones omnes promptae, celeres, expeditae. Animus, qui istud quasi domicilium inaceret aptum ac temperatum, impiper, magnus, excelsus, ad omnem inpetum fortunae prope invictus, modestus tamen juxta ac mire humilis, summissus, aequus, temperatus, ad capeienda iussa rationis rectae summe attentus & prudens. Summa: temperamentum corporis universi, ut ego quidem potui conjecturam artificialiter facere, ut medici nostri loquuntur ex Galeni sententia, sic satis temperatum ad melancholiam inclinans, sive libet magis dicere, Melancholicum cum sanguine temperato, vel etiam aliter loquendo cum Medicis, cum subdominio sanguinis. Quippe temperamenta huiusmodi habitus animi producant, Aristotele & Physicis nostris attestantibus, egregios & laudatos. Hinc in Lotichio (ut de natalium dominantibus astris, coelique ac siderum congenitorum dispositione & potestate nihil dicam hoc loco, quod ad astrologos remittimus) ingenii excellentia, actionum, qualis in hominem cadere potest, promptitudo, perfectio, virtus, morum gravitati conjuncta humanitas, constantiae comitas quaedam & facilitas magna, accepta a natura, corroborata consuetudine, disciplina, literis. Quae omnia in Lotichio fuisse eximia, amicis pernotum est.

Inerat autem morum suavis quaedam prope singularis, atque erat comitate temperata mirabiliter omnis ejus actio, adeoque id fere erat in eo,

Q

quod

quod Graeci  $\eta\sigma\iota\varsigma$  vocant. Adhibebat vero in conversatione hominum eam reverentiam ac verecundiam optimi-eiusque, eam moderationem dictorum omnium & factorum, ut ubicunque sibi industria & virtute sua locum apud magnos & claros viros patefecisset, eam ita tueretur morum elegantia, ac decenti convenientique modo, (M. Tullio est τὸ πρέπον,) ut dignus haberetur, qui illis in dies fieret carior atque jucundior. Ac quid multa? Lotichii vita erat vere sic ferme, quemadmodum de Pamphilo Terentiano pleno ore praedicat Simo pater,

*Facile omnes perferre ac pati,  
Cum quibus erat cumque una, bis sese dedere:  
Eorum studiis obsequi; adversus nemini,  
Nunquam praeponens se illis, ita ut facillime  
Sine invidia laudem invenias & amicos pares.*

Atque hinc est, quod in ea sententia mecum essent nonnulli amicorum communium, qui Lotichium iudicabant vi quadam naturae tacita ac potestate admirabili ceu Orphea quendam homines ad consuetudinem, caritatemque sui trahere. Ea vero revera non erat, si rem recta via reputemus, naturae occulta vis, sed potius (ut ita dicam) patens & clara virtus. Erat etenim in Lotichio profecto ut ingenii, ut carminis ac sermonis cottidiani, sic vitae ac morum elegans concinnitas quaedam, ac veluti carmen quoddam perpetuum non invenustum. Idque erat adeo, nisi fallor, quod M. Tullius requirebat in officiis suis ac bonis moribus, ut quemadmodum in oratione constanti, sic in vita essent omnia apta inter sese atque convenientia. Hanc medius fidius causam ego esse reor potissimam favoris ejus communis hominum, benevolentiaeque cujusdam eximiae (ut sic loquar) popularis. Est namque eodem M. Tullio Cicerone magno autore, ea vis & natura honesti, quod si in quo cernimus, nos movet, atque illi, in quo inesse videtur, amicos facit: Cumque aliquid (ut refert idem) factum clementer, mansuete, juste, moderate, sapienter, fortiter aut audimus aut legimus, quo studio accendimur non modo in rebus gestis, sed etiam in fictis, ut eos saepe, quos nunquam vidimus, diligamus. Nec non est illud ipsum scilicet quoque (nisi me animus vehementer fallit) quod Teutonibus nostris quasi proverbii loco etiam hodie usurpare in more est positum: Virtutem atque honestum aequae nunc & omni tempore & decere, & laudem, commendationemque habere suam, ac praeteritis mille seculorum intercapedinibus. Perhonestam mehercule Germanorum, ac natione nostra, atque etiam appellatione generis nostri vere digna oratio, illustribus Tullianorum Officiorum libris vehementer congruens, ex iisdemque fontibus Philosophicis derivata. In memoria habeo Lotichium viros duos praestantissimos, alterum etiam potentem & nobilem sic dilexisse, sic ob virtutem & modestiam singularem suam, cum summa laude ingenii conjunctam, egregie carum habuisse, ut ab iis adoptionis quodam quasi jure bonorum fuorum ex parte haeres scriberetur.

Ceterum autem fuit (quod rerum omnium est facile primum & honesti caput)

caput) in Lotichio, praeter illud morum pulchrum, egregiumque sic dictum decorum ac moderamen elegans, quod, ut expositum est, movebat approbationem eorum, quibuscum viveret, ac conciliabat cum gratiam, tum amicitiam hominum plurimorum: rara spectataque morum integritas, dictorum constantia & fides, animi candor niveus, veri, rectique studium tenax & admirabile, inimicitia vero capitalis (ut in praeceptore suo Melanchthone) omnis sophisticæ atque interpretationis finistrae, calumniosæ, perversæ rerum cum prophanarum, tum religiosarum. (Quod vitium nescio an hodie stat in culmine summo rerum humanarum, ac dominatur nimis quam impotenter in languescente natura male sani senescentis orbis deliri, atque deficientis a prisca virtute ortus sui, ad male scilicet turbandum, male etiamdum coherentem pulchram harmoniam societatis humanæ, labefactandumque ac convellendum reliquum statum omnem Rerumpublicarum inclinantem, cum omnia fatis in pejus ruere, & ad ruinam spectare videantur, omnia cum extremo exitio infelicitis patriæ: De quo bonorum saltem inter se lamentabiles ac miserabiles existunt sermones mutui, & querimoniae amaræ, nec praeter lachrymas & vota, ut Iphigenia mactanda apud Euripidem, his malis publicis medicandis queunt auxilii quicquam adferre) Omnis mendacis fuci, simulationis, fraudulentæ denique nequitiae ac versutiae odium hercule tantum, quantum maximum, recta vero voluntas, simplex, aperta, sincera mens, certa omnibus in rebus fides. Cujus rei exemplum juvat unum recitare pro multis opinione mea nec indignum nec aspernandum. Quod ego M. Georgium Schrodium Bavarum, virum optimum ac doctissimum, quondam Heidelbergae in Philosophiae studio Lotichii non vulgarem amicum, de eodem Lotichio narrantem non semel audiavi in amicorum circulis cum magno adplausu. Cum enim Lotichius, ut in superioribus commemoratum est, Heidelbergae esset, loco ac conditione honesta, medicinam & opera & voce facitans, ea inter illum & pharmacopoeum quendam suum, virum honestissimum, amicitia constituta est, ut illum & observaret & coleret maxime, faceretque plurimi, ac domum suam illi, atque omnia sua patere vellet cum summa benevolentia, causaque amicitiae firmandae, testificandaeque voluntatis egregiae adversus illum suae despondere filiam suam, quam habebat forma bona & honesta cum dote honesta satis & ampla. Quod Lotichius constanter & ingenue usque renuere; atque idem non minus etiam facitare in aliis repudiandis (quod certo scio) connubiis amplioribus ac nobilioribus oblati; saltem eam ob causam, quod se sciret supremi dici sui, nec vitae longioris conscium, fallere puellam ingenuam ullam, foemineumve genus, aut lactare spe connubii, fortunaeque stabilioris nolle. Cujus rei veritatem eventus comprobavit, monstravitque sinceri pectoris apertam naturam. Quod quidem Lotichii factum quaecunque aliis videri, ac vile satis, nec momenti magni possit, nobis tamen amicis & sodalibus suis, quibus candor ejus & rectus animus notus fuit, non solum non vituperatum, sed in maxima etiam laudis parte positum est. Permanit sic ille (sic volentibus Diis) in vitae studiosae ratione coelibae perpetua, ac quod beatum ille semper putavit, in Academia, in studiis humanitatis, in Musarum politico-

quod Graeci  $\pi\acute{\iota}\epsilon\pi\omicron\nu$  vocant. Adhibebat vero in conversatione hominum eam reverentiam ac verecundiam optimi-ejusque, eam moderationem dictorum omnium & factorum, ut ubicunque sibi industria & virtute sua locum apud magnos & claros viros patefecisset, eam ita tueretur morum elegantia, ac decenti convenientique modo, (M. Tullio est τὸ πρέπον,) ut dignus haberetur, qui illis in dies fieret carior atque jucundior. Ac quid multa? Lotichii vita erat vere sic ferme, quemadmodum de Pamphilo Terentiano pleno ore praedicat Simo pater,

*Facile omnes perferre ac pati,  
Cum quibus erat cumque una, bis sese dedere:  
Eorum studiis obsequi; adversus nemini,  
Nunquam praeponens se illis, ita ut facillime  
Sine invidia laudem invenias & amicos pares.*

Atque hinc est, quod in ea sententia mecum essent nonnulli amicorum communium, qui Lotichium judicabant vi quadam naturae tacita ac potestate admirabili ceu Orphea quendam homines ad consuetudinem, caritatemque sui trahere. Ea vero revera non erat, si rem recta via reputemus, naturae occulta vis, sed potius (ut ita dicam) patens & clara virtus. Erat etenim in Lotichio profecto ut ingenii, ut carminis ac sermonis cottidiani, sic vitae ac morum elegans concinnitas quaedam, ac veluti carmen quoddam perpetuum non invenitum. Idque erat adeo, nisi fallor, quod M. Tullius requirebat in officiis suis ac bonis moribus, ut quemadmodum in oratione constanti, sic in vita essent omnia apta inter sese atque convenientia. Hanc medius fidius causam ego esse reor potissimum favoris ejus communis hominum, benevolentiaeque cujusdam eximiae (ut sic loquar) popularis. Est namque eodem M. Tullio Cicerone magno autore, ea vis & natura honesti, quod si in quo cernimus, nos movet, atque illi, in quo inesse videtur, amicos facit: Cumque aliquid (ut refert idem) factum clementer, mansuete, juste, moderate, sapienter, fortiter aut audimus aut legimus, quo studio accendimur non modo in rebus gestis, sed etiam in fictis, ut eos saepe, quos nunquam vidimus, diligamus. Nec non est illud ipsum scilicet quoque (nisi me animus vehementer fallit) quod Teutonibus nostris quasi proverbii loco etiam hodie usurpare in more est positum: Virtutem atque honestum aequae nunc & omni tempore & decere, & laudem, commendationemque habere suam, ac praeteritis mille seculorum interapedinibus. Perhonesti mehercule Germanorum, ac natione nostra, atque etiam appellatione generis nostri vere digna oratio, illustribus Tullianorum Officiorum libris vehementer congruens, ex iisdemque fontibus Philosophicis derivata. In memoria habeo Lotichium viros duos praestantissimos, alterum etiam potentem & nobilem sic dilexisse, sic ob virtutem & modestiam singularem suam, cum summa laude ingenii conjunctam, egregie carum habuisse, ut ab iis adoptionis quodam quasi jure bonorum suorum ex parte haeres scriberetur.

Caeterum autem fuit (quod rerum omnium est facile primum & honesti caput)

caput) in Lotichio, praeter illud morum pulchrum, egregiumque sic dictum decorum ac moderamen elegans, quod, ut expositum est, movebat approbationem eorum, quibuscum viveret, ac conciliabat cum gratiam, tum amicitiam hominum plurimorum: rara spectataque morum integritas, dictorum constantia & fides, animi candor niveus, veri, rectique studium tenax & admirabile, inimicitia vero capitalis (ut in praeceptore suo Melanchthone) omnis sophisticae atque interpretationis finistiae, calumniosae, perverbiae rerum cum prophanarum, tum religiosarum. (Quod vitium nescio an hodie stat in culmine summo rerum humanarum, ac dominatur nimis quam impotenter in languesciente natura male sani senescentis orbis deliri, atque deficientis a prisca virtute ortus sui, ad male scilicet turbendam, male etiamdum coherentem pulchram harmoniam societatis humanae, labefactandumque ac convellendum reliquum statum omnem Rerumpublicarum inclinantem, cum omnia fati in pejus ruere, & ad ruinam spectare videantur, omnia cum extremo exitio infelicis patriae: De quo bonorum saltem inter se lamentabiles ac miserabiles existunt sermones mutui, & querimoniae amarae, nec praeter lachrymas & vota, ut Iphigenia mactanda apud Euripidem, his malis publicis medicandis queunt auxilii quicquam adferre) Omnis mendacis fuci, simulationis, fraudulentiae denique nequitiae ac versutiae odium hercule tantum, quantum maximum, recta vero voluntas, simplex, aperta, sincera mens, certa omnibus in rebus fides. Cujus rei exemplum juvat unum recitare pro multis opinione mea nec indignum nec aspernandum. Quod ego M. Georgium Schrodium Bavarum, virum optimum ac doctissimum, quondam Heidelbergae in Philosophiae studio Lotichii non vulgarem amicum, de eodem Lotichio narrantem non semel audiavi in amicorum circulis cum magno adplausu. Cum enim Lotichius, ut in superioribus commemoratum est, Heidelbergae esset, loco ac conditione honesta, medicinam & opera & voce factitans, ea inter illum & pharmacopoeum quendam suum, virum honestissimum, amicitia constituta est, ut illum & observaret & coleret maxime, faceretque plurimi, ac domum suam illi, atque omnia sua patere vellet cum summa benevolentia, causaque amicitiae firmandae, testificandaeque voluntatis egregiae adversus illum suae despondere filiam suam, quam habebat forma bona & honesta cum dote honesta satis & ampla. Quod Lotichius constanter & ingenue usque renuere; atque idem non minus etiam factitare in aliis repudiandis (quod certo scio) connubiis amplioribus ac nobilioribus oblatis; saltem eam ob causam, quod se sciret supremi dici sui, nec vitae longioris conscium, fallere puellam ingenuam ullam, foemineumve genus, aut lactare spe connubii, fortunaeque stabilioris nolle. Cujus rei veritatem eventus comprobavit, monstravitque sinceri pectoris apertam naturam. Quod quidem Lotichii factum quaecumque aliis videri, ac vile satis, nec momenti magni possit, nobis tamen amicis & sodalibus suis, quibus candor ejus & rectus animus notus fuit, non solum non vituperatum, sed in maxima etiam laudis parte positum est. Permanfit sic ille (sic volentibus Diis) in vitae studiosae ratione coelibae perpetua, ac quod beatum ille semper putavit, in Academia, in studiis humanitatis, in Musarum po-



litiorum cultura, & quasi complexu, tempus omne aetatis suae pro voto, proque genio suo consumpsit. Erat enimvero Lotichio vere iste animi humanitatisque cultus, quasi cibus quidam & pastus, quo alebatur, suavissimus, quem ille in vita solum experebat, quo totus vigeat atque incrementum sumebat, quo uno delectari, ac prae quo ille alia, quae vulgo putantur bona, opes, potentiam, gloriam, honores, fluxa, incerta, lubrica bona, corporibus saepenumero, pariterque animis exitialia, praestantiam certe hominis minus decent, facile contemnere, pro nihiloque putare. Hinc illud Poëtae nostri:

*Me juvat in stiliis consmere dulcibus aevum,  
Signaque Musarum prosperiora sequi.  
Et, quae sera legat nostri non immemor aetas,  
Carmina tranquillae fingere pacis opus,*

Item quod idem alibi ad me ipsum:

*Me doctis animum juvat emendare libellis,  
Candidior forsan proximus annus erit.*

Ex quo quidem illud ratiocinari nobis in promptu est, hominum naturam ad sapientiae studia ac investigationem veri, sponte sua duci, accendique omnes scientiae & cognitionis cupiditate, in qua excellere pulchrum putamus, labi, nescire, decipi & malum & turpe ducimus secundum Tullium. Quid est autem, ut tradit idem M. Tuilius, in homine sagaci & bona mente melius, cujus bono fruendum est, si beati esse volumus? Hinc existit illa Delphis praecepta cognitio, ut ipsa se mens noscat, conjunctamque cum divina mente se sentiat, ex quo insatiabili gaudio compleatur. Quae cogitatio studium accendit illius aeternitatis atque originis primae, qua ratione ad summum bonum & vitam beatam, quam Philosophia quaerit, proxime acceditur. Hinc animi tranquillitas paratur, in qua mens acquiescens ac summo bono unita in seipsa mortua, in illo felicissime vivit, casus humanos quosvis, ac caetera quae homines admirantur bona, divitias, voluptates, honores despicit, inferioraque se ducit. Hinc felicissima illa mors, cujus meditationem Philosophiam Plato esse definivit. Nam quae causa impulit illos (inquit M. Cicero) qui primi se ad Philosophiae studium contulerunt, ut omnibus rebus posthabitis totos se in optimo vitae statu exquirendo collocarent? profecto spe bene, beateque vivendi in eo studio curam, operamque posuerunt. Videmus (ait) veteres Philosophos, ac principes quidem Philosophorum, Pythagoram, Platonem, Democritum, Anaxagoram: quae regna, quas opes studiis eorum ac delectationibus compares? a quibus propter discendi studium & cupiditatem intelligimus ultimas terras esse peragratas, barbarorum regiones pedibus obitas, maria transmissa. Democritum etiam oculis se privasse, ut quam minime abduceretur a cogitationibus mentis, patrimonium neglexisse, agros incultos reliquisse, quid quaerens aliud, nisi vitam beatam? Quem studii ardorem accepimus in Archimede fuisse, qui dum majori intentione in aliquam contemplationem suam incumbit, ne patriam quidem suam captam

captam esse sensit, nec milites in domum suam armatos irrumpere. Quis est omnium tandem, concludit M. Cicero, qui modo cum Musis, id est, cum humanitate & cum doctrina habeat aliquid commercii, qui se non hunc Mathematicum esse malit, quam Dionysium Siciliae tyrannum, aut Persarum regem magnum? Illius quippe mens rationibus agitandis atque exquirendis alebatur cum oblectatione solertiae, qui unus est animorum dulcissimus pastus? hujus, in caede, in bellis, injuriis, latrociniiis cum & diurno & nocturno metu cruciabatur. Hujusmodi plane vitae institutum ac studium Philosophicum beatum persecutus Lotichius noster est, quod scilicet quietum atque innoxium in contemplatione, cognitioneque rerum positum est: Quae quia cum Deorum immortalium vita sit comparanda, tum maxime naturam attingat humanam, visa est veteribus Philosophis sapiente dignissima.

Studii vero in Lotichio quis ardor, quae cupiditas, quae contentio, quae adusfactio a puero, vel inde adpareat, quod vixdum expergescens a somno jam libellus de more propter lectulum positus, haerere fere plurimum in manibus, ac cubans multum etiam lubenter & lectitare & scribere, semper commentari aliquid, ac fingere carmen: Ac nunquam inventus est Lotichius fere ociosus minus, quam cum esset ociosus, aut minus solus, quam cum esset solus, ut de Scipione Africano refert Cicero. Quam agitationem mentis & studii quasi *ἐντελέχεια* quandam (ut Aristoteles loquitur) nunquam etiam intermittere inter socios, in lusus, in jocos, in amicorum conviviis, ac ne in somno quidem. Nam somnians etiam amicis deprehensus est versus facere, ac modulari carmen. Sic divinus animus Lotichii nunquam cessans aut deses, uni studio doctrinae, ac literis bonis semper deditus, in eoque solo quasi cibo innutritus suo, facile contentus eo, quod ad vitam sustinendam corporis sat esset, offerretve praesens fors & Deus, solutus vero esse curis caeteris obstrepentibus extra se positus pessimis ac perniciosius immortaliter gaudens, adde etiam voluptatum caeterarum illecebras, gloriae & honorum invitamenta ac delectamenta, potentiam, opes aliis animo aequissimo concedens, ab ambitione profecto, omnisque popularis aurae affectatione, ac pecuniarum studio alienissimus, in sua veluti possessione animi bonorum propria fortunatissimus erat.

Ad summam, mihi quidem hercule Lotichii vita persimilis ac ferme ejusmodi videtur fuisse, qualem Pythagoras olim ad Leontem principem Phliasiorum interrogatus respondit esse Phisophorum. Nam ferunt, ut ex Platonis divinis monumentis adnotavit M. T. Cicero, Pythagoram Phliasiorum venisse, ac cum Leonte Phliasiorum principe docte ac diserte disputasse multa: Cujus ingenium & eloquentiam admiratus Leon cum fuisset, quaesivisse ex eo, quam maxime arte confideret. At illum, artem quidem se scire nullam, sed esse Philosophum respondisse. Admirantem Leontem novitatem nominis quaesivisse, quinam essent Philosophi, ac quid inter eos & caeteros interesset. Pythagoram autem subjecisse: Similem videri sibi vitam hominum, ac mercatum eum, qui haberetur maximo ludorum apparatu totius Graeciae celebritate. Nam illic ut alii corporibus

bus exercitatis gloriam ac nobilitatem coronae peterent, alii emendi ac vendendi quaestu ac lucro ducerentur; esset autem genus quoddam eorum, idque vel maxime ingenuum, qui nec plausum nec lucrum quaerent, confectarentur, sed visendi gratia venirent, studioseque perspicerent, quid ageretur & quomodo: Item nos quasi in mercatus quadam celebritate ex urbe aliqua, sic in vitam hanc ex alia vita & natura profectos, alios gloriae in servire, alios pecuniae, raros esse quosdam alios, qui caeteris omnibus pro nihilo habitis rerum naturam studiose intuerentur. Hos se appellare sapientiae studiosos, id est, Philosophos; & ut illic liberalissimum esset spectare, nihil sibi acquirentem: Sic in vita hominum longe omnibus studiis contemplationem, cognitionemque praestare. De hoc scilicet hominum genere & ordine si quis alius, hic noster Lotichius fuisse jure existimandus est, non gloriae inanis, non pecuniarum aut lucri, non alterius fere rei cujusquam, nisi speculandae hujus magnae rerum parentis naturae, animique sui varia cognitione rerum exornandi, excolendique studiosus, hoc est, Philosophus. Quod idem noster de studio suo (mea quidem sententia) non ineleganter ad Erhardum Stibarum discipulum nobilissimum ac carissimum voluit hoc carmine innuere, planumque facere:

*Errat divitias si quis miratur inanes;  
 Iugera sat culti pauca tenere soli.  
 Post obitus, miseri cum lux brevis occidit aevi,  
 Pondera nil auri divitis ampla juvant.  
 At si quis Musas parvo contentus amavit,  
 Ille, vel invita morte, superstes erit.*

Caeterum cum, ut ex eodem Platone Cicero in Officiorum libris tradit, nobis non solum nati simus, sed parentibus, cognatis, amicis, civibus, non est persecutus Lotichius eas artes steriles, quae in nuda tantum rerum cognitione versantur, quam mancam atque inertem Philosophiam appellat Cicero, sed quae in theatrum (ut ita dicam) societatis hominum maxime prodeunt, atque ad Rempub. utilitatis adferunt plurimum, quarumque adminiculo queamus maxime vitam in terris beatam ducere, ac molestiis, doloribus, aegritudinibus vacuum. Itaque ad Poësin suam a natura profectam adjunxit & facultatem oratoriam: Quae copulatio quodammodo etiam naturalis existit: quarum altera nihil liturae, altera humana vita nihil habet melius, dignius, praestantius. His adjunxit & studium medicum, quo facultatem scilicet haberet pariter & varie afficiendi, ac quo vellet, flectendi hominum animos, & male affecta mortalia corpora, pectoraque, arte persanandi. Quod qui praestare queat satis cum efficaci dexteritate ac dignitate, is vero inter homines non homo, sed Deus quispiam jure possit videri, quique de hominum genere mereri possit amplissime. Quod qui minus agnoscit, is linguae, sermonis, sanitatisque corporum & animorum bona non satis grato animo complectitur, nec ratione satis justa ponderat. Nam ut de sanitatis bono, ac foro nostro tria saltem verba addam, quid est, obsecro, post animi bona a Deo optimo datum mortalium generi melius aut praestabilius, citra quam etiam vix animi bona con-

consistere, ac dignitatem suam tueri valent, fortunae vero fructum fere nullum, aut sane miserum, mutilumque habent. Quod vel Amphionis Sicyonii veteris Poëtae non inveniisti versiculi luculenter ostendunt, cum inquit:

μετὰ σοῦ μάκαιρα ὑγεία τέθλη πάντα,  
καὶ λάμπει χαρίτων ἑαρ, σέθεντε χαρί;  
ἔδεις ευδαίμων.

Ejus vero boni medicus, dum adest, custos est, dum abest, ac perditum est humana vel negligentia vel calamitate, correctores, solator, curator, instaurator. Itaque hercule haud injuria antiquissimus & sapientissimus vates Homerus appellare haud dubitavit virum medicum πολλῶν ἀντάξων ἄλλων. Quid quod ob id bonum scilicet maximum, maxime praecipit honorari medicum divinum praeceptum, utpote per-magnae, imo ingentis cum utilitatis, tum necessitatis causa mortalium creatum ab altissimo. De quo quidem pluribus verbis agendum hoc loco non est, cum artis utilitas, praestantia, dignitas sit satis in propatulo.

Caeterum autem cum Lotichium acceperimus expolitum non solum elegantissimis & literis & moribus ad sapientiam, ad omnem humanitatem, omnem elegantiam vitae civilis, verum etiam utilissimis artibus praeclare instructum ad juvandum hominum societatem & Remp. Eam sic coluit, sic ornavit omni officio, justitia, pietate, ut eam ceu harmoniam quandam conservare studio habuisset, minimeque turbare protervitate aliqua voluisset, clarissimis indiciis animadversum sit. Equidem a violentia omni & injustitia, violationeque communitatis hominum tantum abfuerunt mores ejus & ingenium, ut non modo laedere quenquam, laceessere vel maledicto vel facto quopiam vereretur, sed ne immodestia quidem vellet offendere, studioseque caveret, cum esset modestissimus ac pudicissimus, morumque ac vitae ejus quasi disciplina instituta esset ejusmodi, jucundum esse omnibus, molestum nemini, aut oneri: Homines, summa, habere fere pro amicis, ac secundum Christi legem pro fratribus, hominum vero communionem ac coetus colere, ut amicitias, cum reverentia atque observantia religiosa: Amicitias vero peculiare nemo religiosius, sanctius, constantius, adeoque sic ferme, quemadmodum ille brevibus versiculis quibusdam non illepidis ad me olim per Epistolam scripsit ad hunc modum:

*Sic agemus, Hagi,  
Vitae quicquid erit laboriosae:  
Nil est dulcius optimis amicis.  
Nam mortalibus hoc reliquit aegris  
Unum dulce Deus, bonos sodales;  
Nox sunt caetera, pessimaeque curae,  
Vitae perniciēs.*

Amicitiae hercule usum quanti fecerit, quantaque religione usurpaverit Lotichius, obscurum facile nemini esse potest legenti carmina ejus & poemata, quae passim & undique quid aliud fere praeter dulcem amicitiam, dulcem

ac tribus verbis delibans: Quod ego ad Lotichianas laudes aliquatenus arbitratus sum pertinere. De qua id scilicet literis proditum accepimus. Eam, sive una gens fuerit *αὐτόχθων*, ut placuit Aventino, vel sicut aliis, multarum nationum homines bellicosi, collecti ad defendendam Germaniae libertatem, fuisse precipue libertatis assertores, homines excellenti virtute & iustitia praeditos, ac inprimis gloria militari fortitudineque praestantes, utpote qui imperium Romanum, toti orbi terrarum formidabile, laceessere armis ausi sunt, ac repressi, nunquam tamen animis fracti, fortunae aut virtuti Imperatorum cessere, nunquam jugum accepere, nunquam arma abjecere, focii Romanorum, nunquam vectigales exitere: Cujus quidem virtutis Francicae laus tanta, & admiratio fuisse apud exterarum nationes cunctas Europaeas historiis demonstratur, ut totius Italiae consensu augustum illud nomen summi Imperii Rom. a Graecis ad homines nostrates translatum sit. Unde & adhuc decus illud apud Germanos principes perdurat virtute heroica Caroli magni, Pipini patris, & Martelli avi, Francorum regum.

Sed superest etiamnum fortitudinis genus aliud quoddam interius atque occultum, ac nescio etiam in altero majus atque gloriosius, in quo Lotichiana virtus multo emicuit magis atque industria; dum studio magno, indefesso, labore improbo, continuo, animis ingentibus devincere, edomare ac superare laboravit atque contendit hostes tacitos intestinos, saepiusque etiam nimium adblandientes stolidis, maximos, atque ingeniorum bonorum tetra monstra, inscitiam, ignorantiam, mentis insaniam, stultitiam, mollitiem, ignaviam, animi elationem, superciliosam & stultam arrogantiam, ambitionem miseram, amorem coecum sui, infinitam cupiditatem, avaritiam, libidinem, animorumque maxime impotentiam, intemperantiam, pravitatem omnem cum reliqua concomitantium id genus vitiorum, perversorumque morum infinita caterva. In quo genere eo quidem virtus facile cminet conspectior, ac fortitudinis decus elucet clarius, dum nos ipsi vincimus, quo nullum hercule victoriae genus existit pulchrius, eximie laudatum etiam a veteribus Philosophis, ceu conduplicata victoria, praesertim in iracundiae, qui naturae, fragilitatisque humanae maximus hostis est, frenando, coercendoque impetu atque aestu. Eam vero sic equidem Lotichius eleganter doctus erat in gyrum (ut ita dicam) rationis ducere, consilioque ac rationis exercitatae imperio continere ac regere, ut de potestate sua exire per iracundiam aut aliquid parum virile, virtuteque dignum admittere per impotentiam deprehensus sit raro. (Quis est enim hominum, qui non interdum impingat aut peccet?) magnopere certe, obnixequae caveret. Conceptae verum enimvero semel flammae iracundiae, commotique animi accensi erat fere (ne illum Deum plane facere, atque ab omni vitio videar, imbecillitateque humana velle vindicare) tenacior atque implacabilior, quod Melancholicae naturae suae temperamento, seu, quod vulgo dicunt, complexionis naturali magis est tum adscribendum, tum ignoscendum.

Ultimo ad hanc animi magnitudinem, sapientiam, aequalitatem, humanitatem adjunxit Lotichius eum vitae ac virtutum quasi ornatum quandam, vere-

verecundiam, modestiam, ac temperantiam actionum omnium, sermonum, commotionum animi, ut vereretur admodum quicquam aut facere aut proloqui, affectareve, quod honesto parum esset consentaneum, aut parum decorum: Quae duo cogitatione magis, quam re separari posse, Officia praeclara Tulliana docent. Illud itaque, quod Graeci τὸ περὶον vocant, studiosè conservans, modumque & ordinem adhibens in vita, honestatem atque decus conservabat. In quo quidem genere profecto excellens cumprimis virtus Lotichii fuit, ac nescio hercule, animus an ad pericula contemnenda, despiciendasque res omnes humanas excelsior, an major modestia atque moderatio in omni consuetudine vitae atque hominum. Cum enim esset in eo ingenium non solum magnum ac praecellens, multarum artium scientia, doctrinaque varia eleganter expoliturum, verum etiam plurimarum rerum usu acquisita prudentia ac sapientia, adeo, ut haud injuria (si magna parvis componere licet) de eo illud dici possit, quod de Ulysse suo Maeonius vates,

ὅς μὲν ἅπαντα πολλὰ  
πλάγχθη, πολλῶν δ' ἀνθρώπων ἶδεν ἄστεα καὶ νόον ἔγνω.

nulla tamen in eo sermonis jactantia, nulla ostentatio, nulla arrogans aut gloriosa, sed contra moribus compositis composita, admodumque congruens modesta ac summissa omnis oratio, ita ut ambigi posset, ingeniumne probitas superaret, arrem modestia, ut Poëta inquit. Erat autem in Lotichio sermo, qualis ferme Socraticorum, elegans, urbanus, lenis, minimum pertinax, ingenio tinctus, conditus lepore amabili, bonae mentis, manluetique cumprimis ingenii & liberalis index ac character.

Jocis ac salibus delectabatur plurimum Mercurii (quod dicitur) non Momi, in quibus probi animi atque ingenii acumen eluceret, delectaret omnes, offenderet neminem. Ac redeo in memoriam hoc loco joci liberalissimi, narrati nobis Patavii de Lotichio, a viro praestantissimo, peregrinationum principe, ceu altero Ulysse, Huberto Langueto Burgundo, cujus supra facta mentio est, quem Bononiae ex ipso audierat, cum ad nos perlustrata aliqua bona parte Italiae cum Germanis quibusdam, nobilissimis ingeniis, atque eruditissimis hominibus, in iisque (nisi fallor) Chytraco, ac Moslero Hamburgensi, venisset Germaniam dux repetiturus. Nempe cum Bononia discessurus ad Lotichium denuo salutandum de mane, viator impiger & sapiens Languetus, officiose venisset, quocum pridie (opinor) hilare fuerat in coena, Lotichius vero lecto molliter adhuc cubaret, necdum edormisset somno gravatus, excubante autem percontatus ille de re quapiam fuisset, ecquid videretur sibi, sibi vero nihil, respondisse Lotichium, videri. Quo responso perquam lepido vir humanissimus pariter ac doctissimus Languetus apprime est delectatus, coram eundem jocosum magna voluptate nobis Germanis amicis Patavii referens cum affatim etiam more suo effuso risu. Aberat a natura & moribus Lotichii procul omnis verborum obscoenitas, sermonum omnis scurrilitas, ac multo magis nimis quam pervulgata hoc nostro corruptissimo seculo omnis male loquendi, detrahendi, obtestandique cacoëthia prava. De priori recorder, quod

commemorandum est, cum Stibarorum nobilium juvenum agmen numerosum Lotichius salvum, ut supra narratum est, reduceret ex Galliis, atque in praedio quodam (Sassenfar) Danielis Stibari haud procul a Papenbergasito, ejusdem Danielis humanitate ac benignitate senes patres & agnati Stibari, cum caris filiis & nepotibus adolescentibus, a studio longo Gallico reversis, laeti congregati gauderent inter sese, hilareque Lyaeo sese invitarent mutuo (aberat tum Daniel) ubi adbibissent plus paulo, parum decentia quaedam (ut fit) coram ista aetate jocantes loqui liberius: Tum Lotichium (aderam tum ego forte una, Daniele cum eo secutus in patriam Franciam ex Saxonibus) iratum de mensa surgere, ac rubore quasi aliquo suffusum discipulorum causa nobilium adolescentum abire illico, maleque se habere, atque indignissime id factum pati. Erant Lotichii vere ut mens, ut Musa atque ingenium, sic mores, sermones, actus, gestus, nutus casti ac pudici. Quod ad posterius alterum attinet, non observatum est illum victum, accensumve vel iracundia, vel odio aut malevolentia investum in quendam mortalium esse carmine aliquo suo, aut stylo parum temperato & sobrio famam alicujus laesisse & contaminasse nomen bonum, nedum libellum famosum (ut vocant) protulisse usquam. A quo genere nefario toto sic abhorruit ingenium Lotichii liberalissimum, ut permoveri, adducive se passus sit a nemine, nec vero tanti fecerit amicitiam cujusquam, ut in gratiam illius honori, existimationique alterius detrahere vellet versibus suis, quod parum id ingenuum esse aut honestum judicaret, ac cum pietate Christiana pugnaret maxime. Ac quod dicendum est, meministi ego Lotichium aliquando a viro quodam magna alioquin doctrina, virtute, pietate, cujus nomen reverentiae causa prudens, libensque praetereo, sollicitari studiose valde atque incitari, etiam praemiis propositis, ut in adversarium illius quendam magnum item & clarum virum (concertatio erat, ut conjicio, parte maxima de ingenii gloria, qua nemo vult cedere) stylum stringeret, invektivo scripto carmine. At vero illum flecti, permoveri, id ut facere saltem in animum induceret suum, ac carmen bonum in pravum crimen verteret, quivisse nunquam, satis certo scio. Adeo, ut jure optimo, ac verissime de sese praedicet illud vates noster Lotichius in Melanchthonis Epicedio his versibus:

*Non ego mordaci perstringam carmine quenquam,  
Nullus in hoc unquam pectore livor erit:  
Si tamen audebunt manes violare sepultos,  
Tisiphone furiis quos agit atra suis:  
Non cineres, venerande, tuos patiemur inultos,  
Pro tumulo pietas induet arma tuo.*

Postremo voluptatum communium in cibo potuque, ac conviviorum hilaritate eum servavit Lotichius in vita modum & ordinem, qui naturae ac honesto maxime congrueret, unde scilicet vires cum animi, tum corporis reficerentur, non opprimerentur, ut ait M. Cicero in saepius allegatis Officiis. Ebrietates, commestationes, perpotationes immodicas ac intemeratas, moribus patriis Teutoniis nimis quam familiares, ac quasi conge-

congenitas angue ille noster odisse pejus, averfari, detestari : Itatorum hominum praeclaram modestiam, temperatosque ac sobrios mores laudibus magnis vehens, atque usurpans multis sermonibus, nostratibus & moribus & ingurgitationibus aſoticis, ut Apostoli verbo utar, inimicissimus, tota fere vita temperatissimus existens. A commessatiunculis tamen tempestivis ac temperatis, liberalibusque, eruditis, ac festivis sodalitatibus minime omnium alienus erat. Dicere ad me & sodales caeteros saepenumero est solitus, temperantiae admonens & modestiae, pestem capitaliorem a natura datam nobis non esse Teutonibus (si modo a natura data est) atque inebriandi, perpotandique consuetudinem & beluinam & detestandam, nec vero divino muneri mentis atque dono quicquam esse tam inimicum, nec in voluptatis ejus regno virtutem posse consistere, ut de Archyta Tarentino refert Cicero. Quo vitio ab Italis (Nam Gallorum mores a Teutonum fere ut accepi, parum differunt) hominibus nullum nobis objici potest crimen aut flagitium majus, quod nescio quo modo dediscere haud unquam quimus, sed in eo nascimur, adoleſcimus, confenescimus, immorimur. Amabat Lotichius in ordinaria cottidiana vita sua fere (ut est in Symposio Xenophontis) pocula minuta atque rorantia, iisque solis adferebat delectari homines Philosophos plurimum. Sodalitates ac conjunctiones hominum, quarum illum perstudiosum fuisse constat tota vita, ut est dictum pluries, colere, expetere atque usurpare plurimum ille semper bonas, literatas, candidas, liberas cum voluptate & oblectatione maxima, convivique liberiora, ac salibus magis & jocis liberalibus, quam sumtuosis epulis referta & apparatus. Itaque & ob suavitatem illam quandam suam singularem, comitatemque festivam & elegantem, quam adhibebat in convivio familiarium, ille ad amicorum, sodaliumque elegantiorum nobilium convivia hilaritatis causa plurimum ac frequenter acciri : Quae unus saepenumero Lotichius (memini) admirabili lepore sermonum suorum, salibusque eruditis velut condiens exhilarare, ac ceu Phoebus quispian plane illustrare ac beare solebat. Verum enimvero hercule cum studiorum ille severiorum intermissiones & crebras facere, & modicas fere amaret (Dantur autem Tullio autore multi reditus ad studia) ac relaxare animum curis, jucunditque se dare, incredibile, quam omnem caveret intemperantiam, servaret modestiam, pudorem, verecundiam. Equidem nati nuper novi, mirifici, alboque corvo rarioris in Germania nostra instituti atque ordinis poetici ejusmodi, quod ingenio amaret certare magis, quam crateribus evertendis, genique obsequiis, sobrietatemque laudatam vitae elegantioris ac jucundioris cum studio sapientiae conjungens studiose confestaretur (Posthi Melissaeum Votum id nuncupant) primum ac principem Lotichium diceret atque antesignanum. Denique familiaritatibus amicorum sic utebatur Lotichius, sic animi relaxationibus, sic ludo & jocis, quemadmodum somno ac quietibus caeteris, ut ad seria negotia, studiaque mox sese referret, nullamque faceret intermissionem longiorem officii : hoc veluti documento ostendens, non generatos sic a natura nos esse, ut, sicuti tradunt eadem Tulliana Officia, ad ludum & jocum facti esse videremur, sed ad severitatem potius, atque ad studia quaedam graviora & majora.



Caeterum referebatur Lotichii non solum victus omnis, atque amicorum convictus, verum etiam corporis cultus ad decorum, honestumque naturae, ad valetudinem, non ad libidinem, luxum, fastum. Ac venit hoc loco in mentem ejus, quod ego Lotichium memini saepenumero maximis laudibus extollere in Ulrico Hutteno Eq. Franco populari suo, de quo in superioribus sermo habitus est, rationem vestiendi corporis sui sola lana scilicet, nata in territorio suo, nullo extero cultu exquisitiori, ornata accersito precii majoris adhibito, nisi domestico. Quam simplicem, ingenuamque frugalitatem ac modestiam generosam Equitis nobilissimi, ac vere heroica virtute & literis clarissimi, Lotichium crebris sermonibus usurpantem, ampliterque praedicantem apud nos aequales suos audivimus. In vestitu ipse adhibebat mundiciem non odiosam, non muliebrem, sed decentem, ac quae fugeret agrestem & inhumanam negligentiam. Ad extremum (ut semel dicam) Lotichius cum natura suapte tum liberali a literis bonis institutione magnopere averfari apparatus omnem accersitum & nimium, ac mulieribus, quam viris digniorem cum in cultu corporis, tum in omni sermone & vita atque actionibus suis, servare autem decus ac dignitatem virilem: Adeoque grata & amica ei erant omnia simplicia, genuina, nativa, recta, plana, mediocria, quae sunt fere naturae consentanea. Inimica contraria, omnisque immodicus (ut ipse communiter ac cottidie loqui solebat) strepitus. Ac fuit & mansit illi hoc verbum tota vita tritum & usurpatum symboli loco, quod amicis notissimum est: *Simpliciter sine strepitu*. Quod nescio an longe elegantissimis ille versibus ad Ortolphum Maroldum partem docti sodalicii, nunc clarum, principibusque viris honoratum medicum, Philosophum & Poëtam egregium, docere voluit diserte admodum, morum certe, ingeniique sui naturam universam propriis, veris, nativis (testes adpello omnes Lotichii non imperitos rerum amicos) quasi in tabula Zographica adumbrans expressit coloribus sub occulta imagine, mira arte, ex qua totum Lotichium ediscas ad unguem. Versus hi sunt dignissimi, opinione mea, hoc loco non praeteriri, nec inepti loco huic apponi:

*Odi ego, qui vastis torrens exaestuat undis,  
Qui fluit exiguo murmure rivus, amo;  
Leniter & nullo strepitu, quem laeta riganter  
Gramina formoso Naïdes ore bibunt:  
Nec rapido siccatur canis Erigoneius aestu,  
Saeva nec effusis imbris auget byems.*

Hujusmodi plane, qualem exposui, vere adhibuit Lotichius noster in vita, moribusque gubernandis accuratam quasi disciplinam, animadversionem, diligentiam, ut naturae convenienter viveret, ut cum virtute, honestoque semper congrueret, ut sapiens, vir bonus, humanus, fortis, gravis, modestus judicaretur, ac Deo haberetur carus & mortalibus. Nam de pietate religiosa in Deum praecipua atque eximia, fideque cum primis in servatorem ac liberatorem unicum humani generis Christum Jesum maxima, ardenti, stabili, perpetua, ad extremumque usque halitum invicta quod

quid dicam? Quam ipse virtutum caeterarum veluti (quod Graeci dicunt) *κεφαλαιον* ponebat, vel quasi fundamentum jecerat omnium honestarum actionum suarum & laudum: Quae etiam secundum religionem nostram Christianam Catholicam, & doctrinam Apostolicam una victoria est nostra extra controversiam. Cujus cum vita Lotichii, mors, virtus ac rebus omnibus humanis altior animus, tum vero carmina ad Christum, vota, suspiria, lacrymae luculentissima ac locupletissima documenta nobis ostendant, supervacaneum prorsus fuerit narrationem longiorem addere, cum jam ad exitum festinet ipsa oratio, uno nodo dissoluto.

Nam amavit Lotichius, quod undique produnt plena amoris carmina. Is scrupulus eximendus superest, ac dissolvendus nodus: Qui locus ultimus erit historiae propositae. Dicendum enim aliquid omnino de Poëtarum amoribus, idque subijciendum, ut qua causa impultrice coepta omnis haec narratio Lotichiana est, in eandem eadem desinat, amorem. Cujus rei magnus autor mihi fuit nobilis Laelius meus, Paulus Melissus, scripto ad me de eodem argumento non ignobili carmine. De me confiteor sane libere ac libens, adolescentiorem me olim admirari saepenumero tacite mecum animo volventem perpetuos illos Poëtarum ignes solitum, quibus uri se illi identidem ac continenter in carminibus suis queruntur, ecquid illi sibi denique vellent designarentve Poëtici ignes, ut cum vates noster de sese canit:

*Mille fatigatus rerum discrimina victi,  
Saepe graves aestus, frigora saepe tuli,  
Unius baud possum superare Cupidinis ignes,  
Nec desiderii fortior esse meis.*

Vel cum ex priscis divinus Maro cantat in haec verba:

*Aspice aratra jugo referunt suspensa juvenci,  
Et Sol crescentes decedens duplicat umbras,  
Me tamen urit amor, quis enim modus adfit amanti?*

Ejus rei causa primum familiariter rogantem ex Posthio me (neque enim disci posse id melius, quam ex Poëtis ipsis, qui eos maxime Cupidinis ignes, facvasque flammis paterentur, persuasum habebam) perpulcre, nec minus vere, quam sapienter erudivit super, ea re idem Lotichius alter meus hoc ad me perscripto tetrasticho:

*Cur vatum pars magna suos decantet amores  
Miraris, Hagi candide, & causam rogas.  
Accipe, non illos Veneris fax improba, verum  
Aeterni amor generosus urit numinis.*

Quam rem, ut praelibatum est, non paulo & copiosius & luculentius nobis enucleavit Melissus noster ad me scriptis in eandem ferme sententiam carminibus:

Si

*Si quid in humano genere est, proclivius ad se  
 Mentis blanditis quod trahat illiciis,  
 Vimque suam instillet totis, geniumque medullis,  
 Fugeque inescato pectore nectar alat.  
 Certe amor est, Hagi, cui fronte modestia \*  
 It comes, & niveo corde pudica Venus.  
 Purior hunc aether olim generavit, & intra  
 Succensas jussit regna tenere fibras.  
 Nunquam illi desit Cythereae fomes honestae,  
 Nunquam laetitiae causa, caputque facer.*

Item paulo post:

*Fortius in terris nihil est, quam numen amoris,  
 Quaeque itidem vero flamma ab amore calet,  
 Nimirum veteresque sopbi, doctique Poëtae,  
 Abdita quis rerum noscere cura fuit:  
 Quanta forent penitae, sensere, incendia flammae,  
 Quamque flagrans avidis Aetna cupidinibus.  
 Ut nequeant nec aquis, nec terrae mole revulsae  
 Obruta, nec diro fulminis igne teri,  
 Non si grande Jovis tonitru labefactet Olympum,  
 Aut Nereus toto saeviat Oceano.  
 Nec certe si nube nigra latus obsita densum,  
 Cimmeriam offundat Juno potens nebulam:  
 Abscondi patiantur, habent alimenta calores  
 Vivida fideis fota perenne focis.  
 Phosphorus innatos virtute resuscitat ignes,  
 Mollior adflatu quos fovet aura suo.  
 Sol radiis instincta movet praecordia vatum,  
 Stella bonas artes dat cata Mercurii.  
 Dant alias aliae. Sic propagare laborat  
 Indita naturae semina quisque suae.  
 Tunc igitur rerum prudens miraberis Hagi,  
 Vatibus a priscis ignea tela cani?  
 Tela, quibus victor quandoque vel Hectoras urget,  
 Sauciaque efflictim corda perire facit.*

Sic scilicet Amor est ille coelestis aethereus secundum vates nostros dictus, qui Lotichium fecit Poëtam, fecit Philosophum, fecit Medicum, qui ad alta, virtutumque ac magnarum laudum culmina vexit, ac Diis ipsis coelestibus aequavit. In summaque adeo de amoribus Lotichii tantum ego dixero, illum sicuti Gratiarum, Musarumque alumnum, sic Veneris & amoris, hoc est, omnis venustatis, elegantiae, bonae gratiae, pacis, amicitiae, humanitatis literatae patrem fuisse.

At enimvero puellas quoque facile amavit bellas ac bonas formas mortales, ac Claudiam quidem primum suam multo carmine celebratam, mihi vero non incognitam, subfuscam, non informem, nec inamabilem puellam;

iam; deinde Callirrhoën alteram Celtiberam tunicatam formosam; hinc pecoris custodem, religiosam nimis Italam Panaridem, ac postremum non vero nomine dictam Phyllida pulchram Nicrogenam. At fecit Lotichius id primum jure poëtices optimo, ad quam scilicet rerum omnium pulcherrimarum, quae magna hac universitate orbis continentur, coelestium, terrestriumque spectabilium formarum contemplatio commentatioque rite pertinet. Neque vero solum docere volunt, sed etiam delectare, delectarique Poëtae. Deinde non fecit id non honeste. Quia & caste amavit Lotichius, & sine crimine ac scelere: si modo castissimi Poëtae verbis, versibusque dignamur aliquam habere non dubiam fidem. Sic etenim ipsemet de amoribus suis canit, & Claudia sua:

*feliciter arsi,  
Inque meo nullum crimen amore fuit.*

Item:

*Non ego te, mea lux, deceptam fraude reliqui,  
Non spoliū raptō turpe pudore tuli.  
Di mibi sunt testes, si mentior, aequore vasto  
Obruar, & mutis piscibus esca natem.*

Item alio loco:

*Ipse velim patrios tantum cūmes ire per bōtos,  
Ludere & in viridi, si patiatur, bōmo,  
Solarique meos, quos illa resuscitat, ignes,  
Et gerere in casto regna pudica sinu.*

Accedit tertio, quod Lotichius ea humanitatis elegantia cum esset, ut prolixè narratum est ac demonstratum verbosè fati, humani a se alienum putavit nihil. Ex quo illud saltem consecutus est commodi, ut molles amores cantando mollius carmen deduceret, atque oblectationem eam animi honestam ad leniendas animi curas, molestias, aegritudines duceret maximam. Quod Poëta ipse de sese noster in carmine ad Joach. Camerarium seniore perliberaliter profitetur:

*Mollia saepe quidem deducere carmina tento,  
Non tamen, ut puris auribus illa probem,  
Sat mibi sit rigidas interdum fallere curas,  
Solamenque mali praemia magna voco.*

Vel ut idem ad Renatum Henerum Medicum:

*Illius & niveis componere carmen in ulnis:  
Hic ego sum vates, hic mea Musa valet.*

Atque haec de Lotichii vatis nostri, cum de eo videatur jam verborum factum plus fati, ac sermo habitus etiam proposito longior, cum de Poëta familiari perveteri alia ex aliis multa inciderent, haecenus vitae, ac studiorum curriculo, fortuna, exitu, nec non de animi moribus, qualitibusque corporis nexu naturali cohaerentibus, quae quidem ego vera

S

esse

esse scirem, ac vere cognita, explorataque haberem, sic pro captu, pro viribus sincere exposita enarrataque satis sunt: Quae scripta a me vero fide optima, stylo simplici, veridico, nullo fuco, animo ingenuo, libero, aperto, amicorum praecipue impulsu, vel ad recolendam memoriam amici prisca incomparabilis, cujus amicitiae me quidem nondum poenitet, ac leniendum vel exatiandum semel potius desiderium longum meum, vel ad commonstrandam adolescentibus studiosis maxime Poëticae, hominis egregie studiosi, id est, Philosophi, qualis vere hic extitit Lotichius noster, illustrem veluti Ideam quandam & effigiem, quam intuentes atque imitantes viriliter eniterentur paria virtutum culmina conscendere, paresque laudes & glorias ingenii, studiorumque industria sibi parare, vel denique ad liberandam fidem meam, pro virilique gratificandum: Cum amicis efflagitantibus, ac memoriam Lotichii amantibus bonis communia facere volui. Quae legentes illi qualiacunque, boni scilicet, in bonam (spero) partem accipient, ac interpretabuntur pro candore suo candide & amice, studium quidem ac voluntatem egregiam non aspernabuntur meam, meque causa Lotichii, ac cum Lotichio nostro, licet & Poëtarum amicitiae, & commentationi huic Poëticae imparem, nec satis dignum amabunt, ac sibi persuadebunt, quod si non displicuisse omnino, aut fuisse ingratham operam meam hanc illis intellexero, magnum me laboris mei fructum consecutum certe existimaturum.

δόξα γὰρ.

JOHAN.

## JOHANNES POSTHIUS

## GERMERSHEMIUS

## JOHANNI HAGIO,

## MEDICO DOCTISS.

S.

**M**AGNOPERE laetor, Hagi ornatiss. Lotichianae vitae historiam, quam hortatu meo contexendam suscepisti, ad finem esse tandem perductam: quod sane, te uno excepto (qui & studiorum ejus & peregrinationum comes assiduus fuisti) praestare melius ex iis, qui bodie vivunt, meo judicio potuisset nemo. Quod autem laborem hunc & longum satis, nec ita facilem inter maximas tuas, quibus quotidie implicaris, occupationes amici causa subire non detrectasti, magnam mihi crede, & perpetuam ex eo apud recte sentientes laudem exportabis & gloriam. Caeterum, quod in ea mei quoque honorificam fieri mentionem scribis, ago tibi gratias, ut debeo, immortales: modo in ea ipsa laudatione modum non excefferis. Vixi ego cum Lotichio, dum Heidelbergae Professore egit, conjunctissime, ita plane, ut si frater ei germanus fuisset, majore benevolentia me complecti vix potuisset. Quapropter illum, ut par erat, non solum ut praeceptorem, sed etiam ut parentem carissimum observabam semper, atque colebam. Quicquid autem in Poësi sum, si quid modo sum, id omne uni Lotichio acceptum me referre atque debere, libenter equidem & ingenue fateor. Et quo tanti viri consuetudo mihi fuit jucundior, eo acerbior accidit immaturus ipsius & plane improvisus e rebus humanis excessus. Decumbenti aderam assidue: multaque ipso dictante, & mortem suam quasi praesagiente, scribendo excipiebam: tandemque ejus vita jam functi oculos suavissimos, hac ipsa manu, innixus genibus (bumi enim jacebat) multis spectantibus non sine lacrimis composui: & funus ejusdem una cum septem aliis Opt. Art. Magistris, lugubri habitu, uti moris est, indutis, ad Divi Petri extra moenia, ubi sepultus est, bisce humeris extuli. Triste quidem officium, sed tamen officium. Elegiam postea in ejus obitum juvenili fervore a me scriptam, una cum aliis ejusdem argumenti versibus imprimi ibidem curavi. Quae quia ipsi mihi jam adulto, & judicio magis confirmato, non satis placebat, in parergis meis poëticiis Wirzeburgi excusis, ut nosti, omissa fuit. Te vero ita volente, eandem recognitam ad te jam mitto, & ut in lucem denuo qualiscunque veniat libenter

S 2

per-

esse scirem, ac vere cognita, explorataque haberem, sic pro captu, pro viribus sincere exposita enarrataque satis sunt: Quae scripta a me vero fide optima, stylo simplici, veridico, nullo fuco, animo ingenuo, libero, aperto, amicorum praecipue impulsu, vel ad recolendam memoriam amici prisca incomparabilis, cujus amicitiae me quidem nondum poenitet, ac leniendum vel exatiandum semel potius desiderium longum meum, vel ad commonstrandam adolescentibus studiosis maxime Poëticae, hominis egregie studiosi, id est, Philosophi, qualis vere hic extitit Lotichius noster, illustrem veluti Ideam quandam & effigiem, quam intuentes atque imitantes viriliter eniterentur paria virtutum culmina conscendere, paresque laudes & glorias ingenii, studiorumque industria sibi parare, vel denique ad liberandam fidem meam, pro virilique gratificandum: Cum amicis efflagitantibus, ac memoriam Lotichii amantibus bonis communia facere volui. Quae legentes illi qualiacunque, boni scilicet, in bonam (spero) partem accipient, ac interpretabuntur pro candore suo candide & amice, studium quidem ac voluntatem egregiam non aspernabuntur meam, meque causa Lotichii, ac cum Lotichio nostro, licet & Poëtarum amicitiae, & commentationi huic Poëticae imparem, nec satis dignum amabunt, ac sibi persuadebunt, quod si non displicuisse omnino, aut fuisse ingratham operam meam hanc illis intellexero, magnum me laboris mei fructum consecutum certe existimaturum.

*ſc̃a ſc̃a.*

**JOHAN.**

## JOHANNES POSTHIUS

## GERMERSHEMIUS

## JOHANNI HAGIO,

## MEDICO DOCTISS.

S.

**M**AGNOPERE laetor, Hagi ornatiss. Lotichianae vitae historiam, quam hortatu meo contexendam suscepisti, ad finem esse tandem perductam: quod sane, te uno excepto (qui & studiorum ejus & peregrinationum comes assiduus fuisti) praestare melius ex iis, qui hodie vivunt, meo judicio potuisset nemo. Quod autem laborem hunc & longum satis, nec ita facilem inter maximas tuas, quibus quotidie implicaris, occupationes amici causa subire non detrectasti, magnam mihi crede, & perpetuam ex eo apud recte sentientes laudem exportabis & gloriam. Caeterum, quod in ea mei quoque honorificam fieri mentionem scribis, ago tibi gratias, ut debeo, immortales: modo in ea ipsa laudatione modum non excefferis. Vixi ego cum Lotichio, dum Heidelbergae Professore egit, conjunctissime, ita plane, ut si frater ei germanus fuisset, majore benevolentia me complecti vix potuisset. Quapropter illum, ut par erat, non solum ut praeceptorem, sed etiam ut parentem carissimum observabam semper, atque colebam. Quicquid autem in Poësi sum, si quid modo sum, id omne uni Lotichio acceptum me referre atque debere, libenter equidem & ingenue fateor. Et quo tanti viri consuetudo mihi fuit jucundior, eo acerbior accidit immaturus ipsius & plane improvisus e rebus humanis excessus. Decumbenti aderam assidue: multaque ipso dictante, & mortem suam quasi praesagiente, scribendo excipiebam: tandemque ejus vita jam functi oculos suavissimos, hac ipsa manu, innixus genibus (humis enim jacebat) multis spectantibus non sine lacrimis composui: & funus ejusdem una cum septem aliis Opt. Art. Magistris, lugubri habitu, uti moris est, indutis, ad Divi Petri extra moenia, ubi sepultus est, bisce humeris extuli. Triste quidem officium, sed tamen officium. Elegiam postea in ejus obitum juvenili fervore a me scriptam, una cum aliis ejusdem argumenti versibus imprimi ibidem curavi. Quae quia ipsi mihi jam adulto, & judicio magis confirmato, non satis placebat, in parergis meis poëticiis Wirzburgi excusis, ut nosti, omissa fuit. Te vero ita volente, eandem recognitam ad te jam mitto, & ut in lucem denuo qualiscunque veniat libenter

S 2

per-



permitto, ne famae nostrae, quam Loticbiani bonoris, rationem majorem habuisse videri possim. Porro institutum illud vestrum probo, ut nimirum & vita Loticbii & ejusdem Poëmata, additis etiam amicorum carminibus, conjunctim jam imprimantur. Neque dubium apud me est, quin opusculum illud omnibus rei Poëticae studiosis futurum sit longe gratissimum: praesertim cum Poëmatum illius exemplaria jam diu a multis desiderari animadverterim. Dedicari autem haec omnia, quam Reverendo & nobili Dn. Erasmo Neustetero, nemini rectius aut possunt, aut vero etiam debent: cujus rei causas tum ex Autore ipso, tum ex historia tua abunde satis intelligent legentes. Quare etiam hac in parte consilium laudo tuum. Quod superest, ut annus hic novus tibi, tuisque felix sit & faustus ex animo precor. Vale feliciter, & festinationi ignosce: eram enim multis negociorum tricis impeditus. Wirzeburgi prid. Kal. Februarii, Anno Domini 1585. qui a morte Loticbii nunc agitur vigesimus quintus.



PETRI

( 141 )

# PETRI LOTICHII SECUNDI,

POËTARUM GERMANIAE

FACILE PRINCIPIS,

V I T A:

E X

L U C U L E N T A

## J O A N N I S H A G I I

NARRATIONE.

A U C T O R E

SIMONE STENIO, LOMACENSI.

**P**etrus Lotichius Secundus natus est Solitariis, oppido sito ad Drusi montem in illustri Comitatu Hanovico, intra Gelnhufam & territorium agri Fuldenfis, Anno Christi M. D. XXIX. postridie Calend. Novembr. Parentes habuit haud magna cum re, sed antiqua virtute & fide, honestissime se alentes ex agrorum cultura, cujus quaestus laudabilis, καὶ κλῆμα, ut quidam ex Graecis ait, δικάσιόραλον. Inter fratres Christianum, & Georgium natu fuit maximus: quorum hic ante pubertatis annos immatura morte, flosculi instar, occidit, puer egregiae indolis, & summae spei: Ille aliquamdiu, Patruo ita volente, ludum Solitariensis Monasterii gubernavit, fratri Secundo quidem impar, reliquis Poëtis non multum cedens tum ingenio, tum elaborationis industria. In Patria hic obiit paulo post Petri mortem, cum ante Carmina ipsius Lipsiae imprimenda curasset.

Patruus horum fratrum Coenobii, cujus modo mentio facta est, Antistes Petrus Lotichius, (unde, discriminandi causa, noster Secundus appellatus) senex & doctrina & canitie venerabilis, veritatisque coelestis propagandae studio insignis, delectatus generosa Secundi indole, ex Schola Solitariensi eum, jam septimum agentem annum, ad vicinam Francofurtensem ablegavit, cujus magister tum temporis erat Jacobus Micyllus, vir Graece & Latine doctissimus. Sub hoc praeceptore in utriusque linguae cognitione profecit, praesertim cum & alius accederet studiorum quasi ἐργασίας Ioan. Pedioneus Rhetus, Poëta coronatus, post Ingolstadtii Poëtices & Oratoriae Professor. Hujus admonitu inprimis, ut ex

S 3

epistola

epistola ad Secundum scripta liquet, ad imitationem vetustatis incensus est, quam, ut res ipsa docet, elegantissime expressit. Francofurti per septennium & amplius commoratus, cum in ipso & acris animi & mentis sagacis praeclarissima signa perspicue animadverterentur, Patruī cura Marpurgum missus est Anno M. D. XLV. ad pleniorē ingenii cultum, quod Academia illius oppidi tum, ut & hoc tempore, doctissimorum virorum in omni genere disciplinarum copia floreret. Vixit ibi Lotichius apud Joannem Draconitem, virum clarissimum, cumque alacriter in curriculo studiorum perrexisset, in primis Oratoriam & Poeticam amplexus, de consilio Patruī ad Saxonicas Academias se contulit, ad audiendum viros doctrina & sapientiae laude excellentes, Philippum Melanchthonem, & Joachimum Camerarium, quorum alter decus erat Witebergensis Scholae, alter ornamentum Lipsiensis. Utrique horum carus fuit Lotichius, tum propter morum suavitatem, tum propter ingenii elegantiam, & singularem priscos imitandi industriam, quae quia in paucis modo deprehenditur, idcirco vix unum atque alterum invenias, quorum carmina probentur. Witebergae socios studiorum habuit poetas doctissimos Sabinum, & Stigelium, quos propemodum nominasse satis est: illius, teste Joachimo Camerario, & facilem, & prudentem, & politam Musam Italia quoque admirata est: hujus Poëmata, ut idem Camerarius ait, solertia admirabili, & incredibili industria, & arte, exercitatione, usu summo perfecta absolutaque. Secutum paulo post bellum Saxonicum, & Musae, ut fieri solet, Marte dissipatae. Melanchthoni Magdeburgum profecto comitem se adjunxerat Lotichius: ibi cum omnia armis perstreperent, juvenili ferocia exultans militiae nomen dedit, cujus laboribus perfunctus Erfordiam concessit. Inde ad Philippum reversus optimarum artium Magister factus est, & paulo post a Patruo Abbate revocatus, diligentissimeque commendatus nobilissimo & amplissimo viro Danieli Stibaro, Equiti Franco, & Canonico Wurceburgensi primario, qui Lotichium propinquorum suorum praeceptorem esse voluit, cumque iisdem in Galliam abire. Substitere primum Lutetiae Parisiorum, ex qua urbe aliquando exspatiatus Rothomagus, cum suis praefens periculum adiit, altius in Oceanum provectus, & vi tempestatis etiam invitis nautis ad littus reiectus. Lutetia relicta, Montem Pessulanum petiit, ubi parum abfuit, quin in manus Inquisitorum ipse & discipuli inciderent, propter esum carniū, certis diebus a Romana Ecclesia vetitum. Sed majus fuit illud discrimen, in quod Narbone ad ducti fuere hac occasione. Cum Monte Pessulano Narbonam proficiscerentur, obviam illis in itinere factus est homo quidam ignotus, ater, procerus, ipso aspectu horridus. Hic conspiciatus adolescentes illos in scrutandis herbis esse occupatos, post salutationem, humanissime suam operam illis obtulit, & officiosum servitium in palliis, & aliis oneribus portandis, bajulus valens & robustus. Recruduerat tum bellum inter Carolum, & Gallum. Idcirco factum, ut aegre ad urbem admitterentur: Ingressi accurate examinantur. Responderunt ferme omnes, se Saxones esse. Neque enim se Francos dicere audebant, quod Marchio Albertus Francohaiae Dux Metim in Caesaris obsidentis castris contra Gallos militaret.

Post

Post haec mandato praefecti, adjuncto satellite, in cauponam abducuntur, in qua iussi continere se, neque pedem efferre sine venia & consensu ejusdem praefecti Germani lubentes parere, & sese post labores itineris recreare, & exhilarare cibo potuque, & colloquiis laetioribus. Interim bajulus ille, de quo dictum, in culina obversari, & cum caupone rixari, ac imperiose nescio quid flagitare. Ad focum vero sedenti e sinu illi litterae in terram excidere, majori sigillo regio obsignatae. Has confestim sublatas cauponi inspecturo illico e manibus bajulus eripit, & in ignem conjicit, celeriterque se subducit, & nocte eadem extra urbis moenia notis sibi cuniculis elapsus effugit: neque enim paulo post celerrimis equis per omnes vias inquisitus, usquam gentium comparuit. Postridie prima luce Germani, eorum, quae noctu acciderant, ignari, ad praefectum revocantur, & denuo examinantur, inprimis de comite itineris, ubi, & unde illum nacti essent. Re omni liquido exposita etiam jurejurando (sic enim mandabatur) confirmata, praefectus commotior urbe Germanos excedere jubet, & Montem Pessulanum ad studia sua redire, additis his minis, futurum, ut, si Tolosam versus perrexerint, comprehensi omnes suspendantur. Ad bajulum illum quod attinet, suspicio fuit, proditorem eum fuisse Genuensem, ab Andrea Doria in Hispanias ablegatum. Porro, perlustratis celebrioribus Galliae urbibus, Lotichius cum suis in Germaniam rediit quinto anno, postquam in Gallias venerat. Factum hoc Anno M. D. LIV. Reversi offendunt res in Franconia turbatas a Marchione Alberto. Stibarum cum propinquos suos etiam in Italiam cum Lotichio mittere cogitaret, non ante eos iter ingredi voluit, quam praeceptores communes Melanchthonem, & Camerarium salutassent: Quo tempore, credo, Lotichius Misenam excurrit, comite Joanne Hagio. Quos inspecturos metalla, animi causa Georgius Fabricius secutus est Fribergam: quo in oppido, Lotichius in puteos ipse descendit, & cuniculos perreptavit, machinasque sub terris admiratus est, dixitque se navigasse in Mari Ligustico, & nunc inspexisse Metalla Misnensia, quas res habiturus esset tota vita, quibus se jactare vellet.

Caeterum reversus ad Stibarum Lotichius, statim Italiam adiit. Patavio expulsus pestilentiae metu, Bononiam concessit: qua urbe inprimis deletum fuisse Poëtam nostrum, argumento sunt versus elegantissimi, quibus Bononiam exornavit, ubi (non Patavii, ut nonnulli scripsere) toxicum, vel Philtron potius, alii appositum, cum gustasset vimque veneni percepisset, confestim large hausto oleo per vomitum toxici partem rejecit.

Sed reliquiae hujus & ingenii, & corporis vires ita debilitavere, ut amici & familiares facile deprehenderent, Lotichium non eundem esse, qui ante fuerat. Quod malum paulo post excepit aliud, Lotichio acerbissimum, Danielis Stibari mors: cujus luctus ut augeretur, duobus annis duo fratres, Stibari filii, juvenili aetate ex hac vita exceperunt. Interim tamen Lotichius Medicinae studium continuare, & amicis instantibus Doctoris titulum petere, eodemque ornatus in Germaniam redire. Wurceburgum venit paulo post indignissimam caedem Melchioris Zobelli, Episcopi

scopi & Francorum Ducis, quem scelerata aggressione nefarii latrocinii factio, nescio quae, crudeliter interemerat. Etli autem a Friderico Praefule, Zobelli successore, & a Nobilissimo Sturmero, hoc unice agebatur, ut Lotichius Wurceburgi retineretur, intervenit tamen perquam honorifica vocatio Academiae Heydelbergensis, auspiciis Ottonis Henrici Comitis Palatini & Electoris, Anno M. D. LVII. Heydelbergae, vix triennio maxima cum omnium laude exacto, Anno M. D. LX. Cal. Novembr. in febriculam acutam & malignam incidit, cum aliquo mentis delirio conjunctam, ut ex malo illo Bononiensi, quotannis recurrente, fieri consueverat. Morbo autem ingravescente, septimo die post hujus lucis usuram amisit Poëta, Medicus, Philosophus praestans: in quo, ut Camerarius ait, non modo iste quasi nitor pulcherrimae facultatis, & eximiae eruditionis effulsit, sed multo illustrior fuit cum integritas, tum suavitas morum, & gravitati conjuncta comitas, & constantia, atque virtus humanitate & lepore condita, & certa omnibus in rebus fides, & studium amorque veritatis. Quae tantae laudes & fulciebantur, & cumulabantur maxima & sollicita pietatis cura quam Graeci *κερίδα*, tum *κεφάλαιον ἐπίης ἀράων* perhibere solent. Quod ad corporis habitum attinet, statura fuit honesta, virili, in mediocritate consistente. Membrorum compositio decora, capillus subniger, & aliquantulum crispus, frons explicata, oculi pulchri, pectus satis amplum, color faciei venuste fuscus, barba mediocriter densa, nigricans, manus validae, brachia lacertosa. A conjugio alieniorem reddidit non Natura, sed casus ille tristis, de quo diximus. Quia enim sentiebat ex virium imbecillitate, sibi brevi moriendum, maluit coelebs e vita migrare, quam juvenculam viduam relinquere. Extinctus autem est eodem anno, quo summus vir Philippus Melanchthon, cui etiam eruditissima & moestissima Elegia parentavit. Quod officium nos ipsi Lotichio, & Melisso nuper adeo mortuo, praestabimus rudi hoc Epigrammate:

*Lotichius princeps Elegorum Teutonas inter,  
Inter uti prius Albius Aeneadas.  
Martia, quodque fuit Flaccus tibi, Roma, Melissus,  
Hoc melico nobis carmine nuper erat.  
Felicem geminis te, Francica terra, Poëtis,  
Teque simul, Panoris culta, quis esse neget?  
Altera utrique dedit gratae primordia lucis,  
Altera defunctos contumulavit humo.  
Dilectae Musis animae salvete Decque!  
ô Dyas angelicis annumerata choris!  
Donec erunt Elegi, donec lyra casta, manebit  
Vester bonos. Vatum stat sine morte decus.*

PETRI

## PETRI LOTICHII SECUNDI

V I T A:

A U C T O R E .

MELCHIORE ADAMO, SILESIO.

**N**ascitur Petrus Lotichius Secundus Anno Christi in carne manifestati millesimo quingentesimo vigesimo octavo, die secunda Novembris ad Coenobium Solitariae. Est autem Solitaria illustris Hanovici Comitatus oppidum, ad Drusi (ut incolae hodierna etiam die nominant) montem situm, inter Gelnhusam & dioecesin Fuldensem, per quod transit fluvius ille, Cynthii nomine a Poëta hoc decantatus, piscosus & amoenus, qui infra Hanoviam, Comitatus illius caput, in Moenum infuit.

Parentes ei fuerunt agricolae, fortunis quidem non magnis, sed probitate & virtute antiqua, litterarum studia amantes, & honestas liberorum institutionis satagentes. Nam ut primum infantiae annos Petrus complevit, consilio & ductu Patru cognominis, Monasterii illius Antistitis, senis venerandi & docti, magistris eum bonis litteris informandum tradiderunt, primum in patria, ubi fundamenta doctrinarum & laudum maximarum jecit. Erat enim ibi Schola consilio & cura Abbatis Patru non pessime constituta: Et hujus domus ipsa, quasi Musarum domicilium, a viris doctis celebrabatur: cum ipse doctus doctorum consuetudine plurimum delectaretur, & praemiis insuper ad se invitare soleret. Hic ubi Grammatices elementa, & pietatis prima rudimenta celeriter arripientem, & aequales longo post se intervallo relinquentem, Antistes ille animadvertit, spe de eo non vulgari concepta, in studiis post hac liberaliter alendum suscepit, & quasi adoptavit. Itaque puerum tali indole praeditum, uberioris ingenii cultus capiendi causa, ad vicinam Francofordianam Scholam, in qua tum humaniores disciplinae egregie vigeant gubernatore Jacobo Micyllo, ablegat, ejusque domesticae disciplinae etiam commendat, ratus, magistrum se invenisse excolendo ingenio tam felici ac liberali idoneum. Nec eum opinio haec fefellit. Sub hoc enim duce Lotichius tanto ardore animi tantaque celeritate percepit litteras cum Graecas, tum Latinas: ut facile aequalium agmen multis parasangis praeverteret, non solum oratione soluta, sed etiam numeris adstricta: ut plerique omnes existimarent, Lotichium singularem ingenii felicitate, adeoque vi quadam divina praeditum esse. Hunc praeceptorem Lotichius deinde omni pietate semper coluit, grataque memoria profecutus est: & demortuum carmine eleganti, quod extat, ad posteritatem commendavit.

T

Habuit

Habuit & alterum in primis adolescentiae annis ducem & studiorum Poë-  
 tices formatorem non ignobilem Joannem Pedionem Rhetum, Poëtam  
 Laureatum : qui postea Oratoriae ac Poëticae Professor Ingolstadii fuit.  
 Iste, quid a Lotichii ingenio esset expectandum, unus omnium maxime  
 praevидit, idque epistola ad ipsum data declaravit. Quam, cum narrationi  
 nostrae non parum lucis allatura videatur, subjiciendam duximus. Ita au-  
 tem habet : „ Litteris tuis ut respondeam, etsi nulla alia causa me impu-  
 „ lisset, ut quem modo cum perturbatis undique rebus omnibus suspen-  
 „ sum de meo statu, tum a libris ocioque illo litterario alienum atque  
 „ avulsum prope, ipse tu animadvertisti: tamen, quod partium esse mea-  
 „ rum putavi, pro studio erga nostrates adolescentes omnes pari, proque  
 „ amore meo quodam peculiari erga te feci : siquidem id & tu rogare,  
 „ & meum hoc officium postulare videtur. Itaque quod mehercule prius  
 „ feci, jam quoque faciam, hoc est, excitabo te, ut illa ipsa via, quam  
 „ me auctore suscepisti, discendi veram eloquentiam, atque optimas ar-  
 „ tes, eo usque contendas, ut quandoque ad summum laudis nomen,  
 „ atque fastigium nostris hominibus pervenisse videaris Idque sic velim  
 „ statuas, ut si ad eam ingenii tui vim ac felicitatem parem adhibeas in-  
 „ dustriam, sis omnes tuas actiones, studia, aetatem, hac una cogitatione  
 „ corroboraturus, quam prae aliis maxime commodam vitae, ac fructuo-  
 „ sam studiis, majores nostri judicarunt. Etenim si non solum homines  
 „ Philosophi, sed Dii ipsi immortales a brutis animantibus, sola quidem  
 „ orationis vi atque potestate mentis, nos esse diversos voluerunt : Quo  
 „ quidem is facere mihi rectius videtur, qui quod accepit a caeteris do-  
 „ num, sua (cum id Dii ipsi jubeant) cura, suo labore perficiat, nec so-  
 „ lum loqui posse contentus sit, sed ultra etiam loqui ornate ac splendide  
 „ discat, seque vere non hominem, id est, mortalem ac fragilem, sed  
 „ immortalem, & quasi Deum, virtutis actione fingat. Ea vero cum in  
 „ aliis multis rebus constant, tum praecipue summa, ipsumque gloriae  
 „ culmen, in eloquendi ratione consistit. Quam quidem etsi plurimi di-  
 „ versis modis ambiverint, Eloquentiam dico, ejusque aliquam quisque  
 „ partem adumbraverit; pauci tamen veram illius vivamque imaginem ad  
 „ hunc sane diem repraesentarunt. Idque non tam aliquando naturae vi-  
 „ tio, aut ingenii imbecillitate, quam parum prudenti hujus rei arduae  
 „ moderatione atque judicio, quo quidem destituti fuerunt. Hinc caete-  
 „ rae dotes quamvis amplissimae imminui, confundi, atque turbari, ipsi-  
 „ que illi ardore magis animi rapi, quam spe effectus frustrari. Sed cum  
 „ porro tribus praecipue modis se mortalibus ea dicendi ratio infundat,  
 „ vi, ardore, imitatione, iisque tanquam ducibus, constet eloquentia:  
 „ Eam tu viam potius aggredere, eam rectius doctissimorum hominum  
 „ sententiam sequere, qua ad summum pervenire posse confidas. Nam  
 „ cum ista tibi naturae facilitas est, tum illa quidem felicitis ingenii vis at-  
 „ que potestas, ut nihil omnino tam in arduo positum, tamque sublime  
 „ esse videatur, quod non assequi posse te sperem, non facile te in me-  
 „ diocritate, quasi desperato successu, non in satietate, quasi confecto  
 „ cursu patior consistere: sed in altum te velim efferri, quo te volo.  
 „ Itaque

„ Itaque quod a me his paucis diebus audivisti pluries, id & mehercule jam  
 „ repeto, atque inculco, uti unum prae omnibus aliis eligas, quem maxi-  
 „ me studeas exprimere in consuetudine & dicendi bene, & scribendi.  
 „ Eum quidem unum esse ac maximum omnium M. Tullium dico: Qui  
 „ omnes in oratione virtutes, omnes dicendi nervos, omnem vim, co-  
 „ piam, venustatem ita persecutus est, ut non homo quispiam, Arpina-  
 „ tum civis, sed quasi Deorum immortalium consilio, Jovisque Opt. Max.  
 „ gremio, lapsus in terram, civibus, Imperio, Reique publicae Roma-  
 „ nae divinam induxerit linguam. Cujus quidem majestatem atque virtu-  
 „ tem non Capitolium, dico, solum incredibili admiratione complexum  
 „ est, sed & exterae nationes, gentes, civitates, ipsique adeo Gracci  
 „ homines, in hujus unum conspectum ora obvertebant sua, hujus ser-  
 „ mone extremi totius orbis incolae, populi incogniti, remotissimae gen-  
 „ tes, suspensae velut ac victae, conquieverunt. Quare sic statuendum  
 „ tibi est, ut hunc unum imiteris atque effingas, a quo maximos speres  
 „ studii tui fructus. Nec sane ad hoc languidior tibi animus adferendus  
 „ est: tanquam obsequio solum rem tam arduam iri confectum putes, aliis  
 „ profecto, aliis opus est. Etenim cum videas, infantem non tantum  
 „ parentis (quem quidem agnoscit) vias atque vestigia conari, linguam  
 „ exprimere, mores ac gestus, totum denique habitum ac statum effinge-  
 „ re, donec similitudinem aliquam veri hominis adeptus puer suis fulciri  
 „ membris, suisque corroborari viribus incipiat, inde paulatim a majori-  
 „ bus acceptum sermonem discat exsequi lingua, iis demum ipsis nimirum  
 „ verus apparebit parentis sui filius. Quae quidem eo tibi ob oculos a  
 „ me sunt posita ut videas atque discas, quantum imitatione natura vel  
 „ adjuvari, vel promoveri queat. Idque omnino, quantum valeat, re  
 „ ipsa experire. Hoc certe velim, ut Ciceronem ipsum, tanquam lin-  
 „ guae tuae parentem ac magistrum, agnoscas, eum unum admirare, di-  
 „ ligas, amplectare, denique & exprimendo similitudinem aliquam, non  
 „ quidem ut simius hominis, sed ut filius patris, assequare. Ex eo igitur,  
 „ si quid petendum sit, uno tanquam perenni linguae thesauro Romanique  
 „ sermonis fonte, haurias. Proinde cum ingenium tibi sit ad optimas ar-  
 „ tes, & liberales disciplinas, maxime vero cum ad Poëtarum studia,  
 „ tum Eloquentiae, natum atque dispositum, velim, imo te rogo atque  
 „ obsecro, ut eo ipso constanter utare, te exerceas, eamque ad metam,  
 „ quo pauci pervenerunt, totum vitae curriculum, omnem operam, stu-  
 „ dium, laborem impendas: quo expectationem non modo non fallas  
 „ meam, (quod profecto minime omnium convenit) verum etiam vota,  
 „ si libet, nostra vincas. Vale. Solitariis.

Francofurti cum alterum septennium exegisset Lotichius, & jam ex e-  
 phebis excessisset, a Patruo illo Abbate, Marpurgum, continuandorum  
 studiorum causa, mittitur. Venit eo Lotichius adolescens anno Christi  
 millesimo quingentesimo quadragésimo quarto, vixitque apud Joannem  
 Hildenbrandum jurisconsultum, contubernalem nactus Joannem Hagium,  
 Francum, amicum deinde per omnem vitam fidelem ac constantem. Cum  
 eo Jo. Hagio ubi de more nomen apud Rectorem dedisset, Academico



ritu initiatus est in aedibus Draconis, praesentibus popularibus & Patruo Petro. Marpurgi cum in Philosophiae studio, non poenitendo cum fructu, versatus, ac in Oratoria ac Poëtica progressus fecisse felices visus esset Patruo suo, ejusdem jussu atque consilio abiit in Saxoniam, ad audiendos principes illius aevi Philosophos, Philippum Melanchthonem, & Joachimum Camerarium. Duorum enim istorum fama exciti tum temporis plurimi homines nobiles & docti ex Italia, Gallia, Hispania, Pannonia, imo & Graecia, certatim in illas oras confluebant. Istis igitur summis viris ita se Lotichius ingenii industria, morumque elegantia, probavit, facile eum ut favore suo, quin & amicitia, dignum judicarent. Amabant in eo non tam ingenii bonitatem, carminisque culti praestantiam, quam morum probitatem & candorem, ingenuumque maxime pudorem. De genere vero carminis Lotichiani quid senserint, quidve in Poëtica ei tribuerint, clare demonstrant honestissima de Lotichio judicia, ac testimonia litteris prodita. Camerarii certe in Lotichium cum vivum, tum mortuum, propensio animi extitit singularis qui & in hoc unice elaboravit, ut divina Lotichii (sic vocat ipse) Carmina post mortem illius ederentur. In Academia autem Witebergensi, ubi Melanchthon regnum tenebat, innotuit clarissimis & doctissimis quibusque viris, cum primis Georgio Sabino, Joanni Stigelio, Georgio Fabricio, & aliis, ut Posthium, ac Melissum, posterioris aetatis Poëtas, omittam: qui omnes unanimi consensu in Elegiacis Lotichio palmam detulerunt.

Ortum est deinde bellum, Germaniae toti funestum, Joanni Friderico Saxoniae, & Philippo Hesse Landgravio, ducibus arma inferente Carolo V. Imperatore Anno Christi M. D. XLVI. Itaque classico dissipatis docentium ac discipulorum coetibus, Melanchthon tutum Musis quaerens receptum, Magdeburgum petiit, quem Lotichius una cum aliis est comitatus. Sed cum & ibi praeter spem omnia turbulenta offendifset, coactus est pedem referre bonus Melanchthon cum suis. Lotichius autem, suum quoddam consilium secutus, ac tempori inserviens, militiae nomen dedit: commilites nactus Melchiorem Zobellum, acri ingenio & virtute juvenem Suevum, Joann. Altum, Varum, Acontium, sodales veteres, atque iisdem studiis deditos. Miles igitur vixit in hybernis in Saxonia miserabiliter & calamitose, ut ipse in epistola quadam ad Hagium fatetur: & in ipsis etiam castris inter lituorum strepitus Musarum minime est oblitus, sed in excubiis & aspero frigore tacitus secum carmen aliquod finxit, & ubi aliquid a militaribus muniis suffurari temporis potuit, versibus id pangendis transmisit. Unde alicubi sic Musas alloquitur.

*Vos quoque sum lituos inter veneratus & enses,  
Quodque fuit vacuum tempus ab hoste, dedi,  
Deque tot amissis etiam nunc pauca supersunt  
Carmina, militiae tempore facta meae.*

Perfunctus tandem belli laboribus, spe pacis non dubia affulgente, accepto ab Imperatore suo missionis honestae diplomate, e Saxonibus Erfordiam

diam concedit, vetustum & amicum litteratorum hospitium; ibidemque in gratiam cum amicis suis veteribus, hoc est, libris & studiis, redit. Erfordia deinde Wittembergam ad Melanchthonem, sedatis belli tumultibus, est reversus, vixitque cum eo conjunctissime, & jucundissime. Erat enim ei charissimus, cum propter summum ingenium, eruditamque doctrinam, tum propter singularem modestiam, & carminis suavitatem qua semper apprimè est delectatus, dum vixit. Itaque, honoris & eruditionis causa, Magisterii Philosophici, ut vocant, gradu ornatum Lotichium, voluit, & post Joachimo Camerario suo commendavit. Paulo post a Patruo Abbate domum revocatur. Hic Camerarius eum Danieli Stibaro, Equiti Franco clarissimo, & Canonico Wirtzeburgensi, abeuntem commendat.

In viam se dedit Lotichius sub ipsam brumam, anni tempus difficile, & peregrinantibus praesertim minime idoneum. In itinere illo multas aerumnas, nives profundas, &, praeter coeli inclementiam, etiam Thuringorum inhospitalitatem, indigne est perpessus. Tabellarius ei comes additus, ex improvviso in profundam fossam, nivibus contextam incidit, atque in nivibus ita coopertus totus latuit, ut Lotichius ex proximo pago rusticorum turbam festinanter advocare necesse habuerit: qui oppressum ac tantum non praefocatum nivium mole liberarent, & praesenti vitae periculo eriperent. Itaque domum redit corpore pessime affecto languoribus & morbis: quos in via, coelo nivoso & rigido, contraxerat: & redux a Patruo Abbate, jam sene, non sine lachrymis, & gratulatione adventus, exceptus est.

Curata apud suos valetudine, Wirtzeburgum Franciae metropolim, cum litteris Joachimi Camerarii ad Maecenatem futurum Daniele Stibaro contendit. Hic acer ingeniorum censor, statim indole, doctrina, & moribus Lotichii perspectis, accedente praesertim Camerarii commendatione non vulgari, & cupide & lubenter in familiam suam eum adscivit, & favore suo dignissimum judicavit. Quare gentilibus suis Stibaris, adolescentibus indolis ac spei praeclarae, praeceptorem praefecit. Inde in Galliam eum, ad explorandam Academiarum illius Regni rationem, tumultuante tunc Italia, solum ablegat. Postea, rebus exploratis, una cum agnatis suis, & comitatu nobili egregiorum juvenum, atque in iis praecipue Gabriele, Erhardo, atque Dimaro, Galliam Lotichium adire jubet, adjuncto ei hypodidascalo Georgio Vischero Argentinenfi, homine docto, comi, ac humano.

Iter igitur Gallicum cum mercatoribus Gallis a mercatu Francofurtensi ingrediuntur, instructi sumptibus necessariis ex liberali munificentia Danielis Stibari Mecaenatis; ac primum petunt celeberrimam Parisiorum urbem: in qua substitere aliquantisper, ut Philosophos, Oratores, Medicos, Jurisconsultos clarissimos, audirent. Inde, veluti multitudini cedentes, in exoptatos Mompelianos recessus, regna Asclepiadea, concedunt, ibique in suavissimo otio litterario, jucunde ac feliciter bonas horas consumunt. Monte Pessulano libuit excurrere, & vicinam Tolosanam Scholam visere: deinde, montibus Pyrenaeis superatis, & Atace flumine,

in finitimas Hispanias trajicere, visendae regionis ac gentis causa, ad quidvis audendum cordatae: Verum Narbona ulterius progredi concessum non fuit, bello inter Hispanum, & Gallum ardente. Montem igitur Pessulanum reversi, aliquammultum temporis in studiis ponunt: tandem inde digressi, perlustratis Galliae Narbonensis clarioribus urbibus, per Allobrogum fines, Rhodanique fontes, & Helvetiam, in Germaniam redeunt Anno a Christo nato M. D. LIII. exacto quadriennio in Galliis liberalitate & sumptu illius nobilissimi Stibari: quem, in Thermis Badensibus valetudinem tunc curantem, salutarunt.

Caeterum non alienum hoc loco videtur paucis saltem perstringere casus illos & discrimina: in quae nobiles studiosi, cum suo Phaenice, & comitibus, in Galliis coniecti fuerunt, aliis ut exemplo sint peregrinaturis. Primum itaque Lutetia antequam abirent, una omnes unius contubernii numero undecim, aetate laud pares, animi gratia, ac desiderio inspiciendi ostia Sequanae, Parisios alluentis, & ad Rothomagum in Oceanum se exonerantis, exspatiantur, partim navigiis, partim pedibus iter facientes. Inde Rothomagum appellant, ubi Judicium regium, & emporium celebre totius Normandiae. Ab hoc cupido incessit eundi ad littus Oceani usque, & ad portum Diepae: unde, decem horarum spatio, vento secundo in Angliam trajicere poterant: quod fecissent, nisi nobilis junioris cujusdam metus inter pyratas quasi relinquendi, ipsos deterruisset. Nihilominus tamen, ut animum oblectarent, ac propius, quod volebant, intuerentur, navigium conducunt, duobus vectoribus, qui in Oceano navem agerent, sese temere admodum committentes. Hi enim, ventis insurgentibus, magis magisque in altum vehunt repugnantes ac nolentes: Et jam furentis maris procellae in convestorum capita undique reverberabantur, cum ferio naviculariis imperant cursum relegant, & littus petant. Verum isti nebulones, ac pecuniae hirudines, negant se reducturos, nisi numerato aliquo donario. Hic Lotichius, indignitate rei commotus, alterum principem consilii fortiter apprehensum in mare praecipitem se daturum, minatur, ni cursum & propositum mutet. Appellunt igitur, sed non ad portum, unde solverant. Per loca ergo ignota nostri regrediuntur, & tabernam, in littore inventam, ingrediuntur. Verum, cum & hic suspecta ipsis omnia viderentur, coenati excubias disponunt ad cubiculum. Ibi tum in scalis latronum quispiam gladium in tenebris micantem ostentat, forte exploraturus, quid animi esset novis hospitibus. Quod animadvertentes nobiles studiosi cum ensibus strepitu facto prouunt, ac latrunculos fortiter abigunt, ipsi ad auroram usque pervigilantes. Qua appetente, laeti equis veredariis conscensis Parisios repetunt, jam experientia edocti, quid sit illud Comicum: *Felix, qui mare nunquam est ingressus.*

Lutetia deinde omnes simul iterum discedunt, pedestre iter instituentes, uno duntaxat equo impedimenta viae ac sarcinas ferente. Fuit ea profectio, Lotichio duce, milliarium nostratum quinquaginta circiter, concors, modesta, & laeta, praeterquam quod in sylva circa Molinarum urbem a latronum manu periculum ipsis non defuit. Lugdunum ingressi perlustrant bibliopolia magnifica: & coempta bona librorum copia, octava post

post die, Rhodano, nobili flumine, vecti, Viennam, Cretensium coloni-  
 am, deveniunt. Hic dum nostri supra urbem ante pontem de more ex-  
 poni nolunt, nautae, incautius navem regentes, rapiditate fluminis ad  
 inusitati transitus jugum sagitta velocius deferuntur, inter saevas undas,  
 murmura, & spumas, ut seipsum nemo exaudiret. Tum nautae, in ge-  
 nua procidentes, Deiparam virginem acclamant: & actum de omnibus  
 uno momento fuisset, si vel ad minimum saxum navis impegisset. Aveni-  
 oni viribus resumptis, bidui itinere Nemausum, ac denuo Mompelium  
 appellant, cujus loci genium ac felicem ubertatem cum Neapolitano coe-  
 lo, & solo, non injuria conferas. Ibi famulo cum uterentur Gallo, tum  
 ob linguae imperitiam, tum ministerii gratia, evenit Quadragesimae tem-  
 pore, ut vocant, cum exteris, praecipue Germanis, carnibus vesci in-  
 dulgentia magistratus permittitur, ut famulus ille audaculus, prohibenti-  
 bus id saepe nobilibus, carnes, ad mensam privatim institutam coemptas,  
 domum ferret sub veste propendentes in publico. Quod cum alii, tum  
 inprimis Clericus quidam, e regione nostratium habitans, notasset, con-  
 tinuit se tamen anno integro, nec quicquam indicavit. Sequentem autem  
 anno, redeunte Carnium privatione, rem ad Inquisitores deferre. Vocan-  
 tur itaque non omnes simul, sed juniores primum, mox alii, vix ut cogi-  
 tandi de responso spatium daretur. Discipuli, ut erant instructi, factum  
 fatentur, ejusque causam in praeceptores conferunt. Biduo auditis junio-  
 ribus, cum in una eademque simplici responsione persisterent, accerfun-  
 tur & grandiores. Qui nunc seorsim singuli, nunc simul omnes examinati,  
 idemque fassi, praetendunt privilegium, a Rege peregrinis concessum.  
 Inquisitores, id se non ignorare, respondent, sed scandalum publice da-  
 tum, incusare. Nostri, ubi vident rem serio agi, famulum illum, male  
 conciliatum, multa nocte a se dimittunt: quo tamen facto majorem sibi a  
 Religiosis invidiam conflarunt. Quinto die post ad disputationem de car-  
 nium usu, & similibus quaestionibus citantur. Iterum nostri se Regio di-  
 plomate tuentur, & nisi securitas concedatur, missuros ad Regem, ac per  
 Rheingravium legatum duros responsum: esse illi adolescentes Examina-  
 tos familia & sanguine junctos. Ibi Inquisitores paulum visi remittere,  
 praesertim cum suspicarentur, famulum ea de causa praemissum. Itaque  
 ad poenitentiam, ob scandalum publicum publice declarandam, serio il-  
 los hortantur, & proponitur formula: ut alba veste per plateas, nudis  
 pedibus, cum facibus ardentibus, singuli ad templum eant, in templo  
 coram summo altari Missam audiant, absolutionem petant, multam,  
 magistratui & clero debitam, dependant, de caetero cautius agant. Quid  
 hic nostri? Inter sacrum & saxum illi constituti, facturos se horum quic-  
 quam, diserte pernegant, ingenuos se ac liberos, liberis ac nobilibus pa-  
 rentibus prognatos, nunquam aspersuros gentilitio nomini infamiae hujus-  
 modi, & servitutis maculam, privilegia, studiosis ab Augustis Imperato-  
 ribus data, violari, ipsius Christianissimi Regis litteras sperni, contume-  
 liaque affici, nobilitatem litterarum hoc pacto conculcari, affirmantes:  
 ac mansuros se promittentes, donec super hac re ex ipsa aula rescriptum affe-  
 ratur. Audito hoc, S. S. Patres decreta paulatim relaxant, veniamque ipsi  
 dare

dare dicunt, ob amorem, ut aiebant, & dignitatem gentis Germanicae. Iustitiae fuisse, quod fecissent: ne alii Regni cives de Juris inaequalitate haberent, quod jure conquererentur. Remitti illis factum, ex gratia Ecclesiae, ea tamen lege, ut in posterum citra scandalum vivant, & (in quo uno obtemperatum) singuli singulos coronatos ad nosocomia & xenodochia dependant. Creditum fuit, non parum hic Carolum Clusium profuisse: cui, ob Musices peritiam, consuetudo intercedebat cum Dominicani ordinis Inquisitore. Itaque nostri, gratiis Regio nomini actis, discedunt, seque non nisi sub autoritate Regiae constitutionis victuros, & libere, quod hilaris sit datoris, Deo chari, in usum pauperum aliquid soluturos, ostendunt. Non longo tempore post, cum biennio amplius Mompeliana in Academia vixissent, animis semper conjuncti, mensa tantum ad tempus divisi, placuit magistris & ephoris ipsorum, in feriis Academicis, rursus ad martima excurrere, partim Philosophiae Naturalis, ac rei Medicae, partim Tolosanae Academiae visendae, causa. Adjungunt se Lotichio, minoribus loco commodo una cum paedagogo relictis, Marius, alii item suorum quinque, studiosus Gallus *μονόφθαλμος*, & Isaacus Cellarius, Grynæi privignus, postea professor Basileensis. Litteris igitur commendatitiis a Scyronio seniore, & Rondoletio praeceptoribus ad Tolosates acceptis, iter ingrediuntur. Cum autem a littore Tyrrhenico; quippe intersecto, & deserto, necessario illis descedendum esset, de improvviso non advertentibus sese obviam fert homo quidam longurio, ater, quique ipso adspectu terrori esset. Hic salutatis nostris, perquam humaniter se itineris comitem offert: & cum videret homines studiosos, de via lassos, operam quoque suam in portandis palliis, & aliis, ultro desert. Nostri, voluntatem tam officiosam non aspernati, cum bajulo, novo & facundo comite, pergunt. Pransis in pago Nissa, cum littus relegere luberet, ostentante se e longinquo Narbone Martio, ut Cicero appellat, longurio ille compendia viae monstrat, abducendo a mari juxta Ruscionem fluvium. Ante urbem, opere & praesidiario tunc milite munitissimam, dum nostri calceamenta purgant, & ad ingressum se parant, ille comes curiose jam fossas inspicit, jam oculos huc illuc versat; unde suspicio postmodum fuit confirmata. Venitur ad portam primam, non solum Marte & munitione terribilem, sed etiam pluribus monumentis Coss. Romanorum venerabilem: per quam ingressuros militum quidam, ibi excubantium, gradum jubet sistere: rogat qui sint, unde veniant, quo tendant, negat illis intrare licere prius, quam ad militiae principem summumque magistratum res referatur. Miles, diu nostros moratus, tandem redit, omnesque illum militum magistrum adire jubet, adjuncto satellite. Sequuntur viatores nostri lassi, languidi, siticulosi cum sarcinis, & in atrio magnifico coram Praefecto militum, sistuntur: ac rogantur primum, an Gallicam linguam teneant & loquantur omnes! Respondent nostri, paucos ita eam linguam tenere, ut intelligantur, & necessaria proloquantur. Eligunt igitur Cellarium Helvetium, qui, nomine omnium, Gallice loquatur. E quo Praefectus, audiens Germanos esse, singulos intente intuetur, ac, quibus quique locis nati sint, rogat. Respondent, Saxones esse: Isaacus Cellarius, uterat, Helvetium se asserit. Habe-

Habebat Praefectus in militum numero Chirurgum quendam, natione Germanum. Is continuo advocatur, explorandi causa, vere Germani, ac Medicinae studiosi, an essent, nec ne. Praefectus, ubi rem ita se habere, uti primo confirmarant, videt, litteras commendatitias ad Tolosates exhiberi sibi postulat, resignat, perlegit, reddit. Verum profectio- nis causam suspectam cum haberet belli temporibus, ita eos graviter affatur. „Decebat vos juvenes studiosos studia temporibus accommodare, nec „temere pericula subire. Jam ad vicinos usque montes Pyrenaeos progressi „estis, unde unius diei itinere Hispanias vobis ingrediendi est facultas. „Prius itaque hanc explorare urbem animus fuit, postea alias aggredi tech- „nas. Quibus auditis, nostri conscientia rectoque proposito freti, intrepido vultu modeste respondent, & suspicionem a se omnem removeant. Erat praefecti aetas grandis, barba cana, autoritas militaris: sedebat cum majestate in tribunali, satellitum, holoserico amictorum, magno numero sti- patus: adstabant & officarii armati tanta cum observantia, ac si Regiam ipsam Majestatem intuerere. Demum in Lotichium intuitus, corporis colore supra alios magis fusco, robore & habitu virili, vultu militari ac praesenti, interrogat. „Quis tu autem? Etiamne tu studiosus haberi vis? Ipsoque affirmante „Videris vero, inquit, rectius tu hastam gestare milita- „rem, quam calamum, aut librum, ensisque ac machaeram vibrare quam „carmen pangere. Hic risu omnibus oborto, post exactum jam amplius sesquihorae colloquium, comiter dimissos in diversorium abduci adjuncto satellite imperat; cujus nutu se continerent, nec citra permissionem factam pedem diversorio efferrent.

Nostri laeti diversorium petunt, vina ocus promere jubent more patrio, Chirurgus populari, & satelliti, cujus arbitrio vivendum erat, hilare propinant, & ut possunt, humanitatem omnem declarant. At quid sit? Commode coenati ac refecti cubitum eunt, silescunt, obdormiunt; Interea longurio ille, infelix comes, in culina cum caupone rixas occipit, calidam pro purgandis nobilium ocreis itinerariis imperiose postulando. Hic illi ad focum litterae, regio sigillo majori obsignatae, e sinu forte excidunt: quas cauponi, dum inspicere vult, illico longurio eripit, in ignem conjicit, e caupona se proripit, & notis sibi extra urbis moenia cuniculis de nocte elabatur: vestigatus omnibus viis celeribus equis nusquam gentium comparet. Postridie summo mane nostri, omnium prorsus ignari, prope rursus ad Imperatorem illum vocantur, examinantur, rogantur: „Ecquis ille viae comes? qua venerit? quorsum iter ejus! Respondent nostri, bene adhuc animati id, quod res erat: Neque notum sibi hominem, neque conductum, ad sociatum forte ad littus, ultro officiosum praebuisse ignotis penitus, nec de itinere quicquam indicasse. Haecine jurejurando confirmare velint, singuli rogantur: Annuunt nostri uno ore omnes constanter. Tum Praefectus, ira excandescens, per tribunum in haec verba illis denunciari jubet: „Bajulus iste comes si in suas manus ve- „nisset, jam ipsis pro spectaculo ante diversorii fenestras ex longurione lon- „gam factam litteram debere pendere. Illico proinde urbe exeant, Mom- „peliumque ad studia sua se referant: nec ulterius quaquam progrediantur.

„Quodli dicto non audientes Tolosam versus pedem movisse deprehenderentur, de proxima quaque arbore, racematim suspensum iri. Et vero, si absque litteris Rondoletii fuisset, in praesentissimum adducti essent discrimen. Constat enim, hieme sequente Hispanum quendam studiosum, in patriam rediturum, quod apud eum propugnaculi cujusdam, quod tum apud Aquas mortuas exstruebatur, delineatio inventa esset, captum, ac suspensum, laborantibus pro eo diligenter Doctoribus Mompelianis. De longurione autem suspicio omnium erat, Genuensem eum proditorem fuisse, ab Andrea Doria subornatum. Germani igitur nobiles cum suis magistris, Deo gratias actis, ad sua, veredariis expeditis usi, revertuntur, ac deinde Mompelio, ut diximus, in patriam, quam invenerunt intestinis motibus, & Alberti Marchionis armis valde turbatam. Cacterum Lotichius, Gallico itinere & munere demandato probe integreque defunctus, in Italiam cogitare coepit. Id ubi Mecaenas, magnificus D. Scibarus, intellexit, viatico liberali instructum honeste dimittit. Antea vero quam iter ingrederetur, de voluntate Mecaenatis, cum magna discipulorum nobilium parte Lipsiam, aestate inclinante, abit, ad veteres praeceptores, Melanchthonem & Camerarium, salutandos. Cum his plusculos dies moratus, in Italiam pergit, adjuncto sibi comite Joanne Hagio, Franco, Medico, hujusque discipulo Bernhardo Thungeno, Equite Franco. Profecti ergo per Oenipontem, & Tridenti alpes, ingrediuntur desideratam in Italiam: de qua idem, quod de Aegypto Homerus olim dixit, dici possit:

— πλεῖστα φέρει ζείδωρος ἀρτεα  
φάρμακα, πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μείγμενα, πολλὰ δὲ λύχρα.

Veniunt autem, ut alias praeteream urbes, Veronam: ubi praeter alia monumenta, non sine affectu lustrarunt Illustriss. Scaligerorum statuas, qui universam fere olim Lombardiam tenuerunt, sed a vicinis Venetis expulsi concessere in Bavariam. De horum genere, superiori seculo floruit Julius Caesar Scaliger, vir ad miraculum doctus, & nuper ejus filius Josephus, Europae fidus: in quo familia extincta, non fama. Viderunt ibidem Pipini Regis tumulum, perpetuo rigatum rore, tum etiam magni Fracastorii, & alia permulta. Demum Patavium appellunt, hospitium diu expetitum, urbem amplam, populosam, doctissimisque in omnium scientiarum genere hominibus affluentem. Ibi Lotichius praecipue delectatus est horto Bembi urbano, perpetuo virenti lauro, hyaco, & platano. Sub vespere vero, calore remittente, in Medicorum, ut vocant, hortum cum amicis excurrerat, omni genere pulcherrimarum rariorumque herbarum instructum & cultum. Crebro item, ad visendum vicinum Arquatum, ad salutandos Francisci Petrarchae cineres, & laureta, exhibat sub vespere: saepe cum Hagio, Mario, Maroldo, ad Euganeos montes, herbis salutaribus scatentes: hinc ad Aponi fontes, & calidas aquas. Postea, Medoaco flumine devecti, Venetiarum urbem accedunt: ubi Neptunia regna, regias opes, delubra superba, palatia celsa, & ut verbo dicam,

dicam, magnificentiae omnia plena, fatis contemplari, fatis demirari non potuerunt. Verum, cum sub idem tempus pestis urbem Patavinam invasisset, & studiosorum alii alio diffugerent, Lotichio Bononia arrisit, quam Theodosius Imperator omnium scientiarum domicilium, & perennem Musarum sedem esse voluit, privilegiisque summis donavit: adeo ut, si quis scholasticum, studiorum gratia illuc euntem, ausu temerario laeserit, capite plectendum eum sanxerit: Et, ni Praeses id exequatur, Episcopo Bononiensi, ut eadem illum poena afficiat, mandarit. Et olim, ad doctrinae commendationem, fatis erat, Modo in Studio, ut loquebantur, Bononiensi vixisset quispiam. Pertraxit Lotichius eodem & sodales suos, vixitque cum iis jucundissime, usque ad infaustum, ac funestum casum, qui ita contigit: Cum Lotichio inesset incredibilis quaedam morum suavitas, & comitas, ita, ut, quibus semel innotuisset, iis in dies jucundior ejus consuetudo fieret, nobilis quidam Monacensis, Canonicus Bavarus, Lotichio usu domestico junctus Patavii, eundem mox consecutus, pestis metu, Bononiam, contubernium ejusdem ibi expetiit. Hic vero Canonicus cum coepisset amare foris, quod domi habebat, impatenter id tulit hospita, juvenis formosi amore capta. Itaque ut eo potiretur, Philtrum parat, amasio apponendum in juscule. Apponuntur ergo singulis seorsim, pro more Italorum, juscule duo. Sed, cum Lotichii esset pinguius, ipseque natura a pinguibus abhorreret; commutat id cum jure nobilis Bavari, quod erat macrius, sed intoxicatum. Lotichius, etsi buccellam, ut solebat, prius cani suo objecisset, qui continuo in rabiem verti, & in parietem ruere coepit: tamen, quia id non animadvertibat, sorbere pergit. Extemplo vim veneni intra praecordia sentit, atque animi deliquio in terram concidit. Mox furens ad conclave volat, arma rapit, in contubernalem, ab ipso sibi insidias factas ratus, stricto invadit ferro. Postea, ad se nonnihil reversus, oleum olivarum affatim haurit, fibris stomachi laxatis laxatis hausti toxici partem revomit, & alia, ut Medicus, abigendo veneno adhibet. Inde in febrim malignam incidit, & periculose aegrotat. Ubi tandem meliuscule habere coepit, deciderunt illi capitis pili, digitorum ungues, & totus nonnihil immutatus est corporis habitus, cum ipsis etiam animi moribus. Et haeserunt reliquiae istius mali, quoad vixit. Quotannis enim sub Autumnum, revertente tempore, quo ipsi malum illud acciderat, recrudit vis toxici, cum mentis quadam alienatione, ac febri. Hic fuit fructus perlustratae Italiae: quam nimis avide appetimus Germani, saepe domi habentes, quod foris sumptuose quaerimus. Ut autem nulla calamitas sola, ita Lotichio malum proprium aliud auxit. Daniel enim Stibarus sub idem tempus immatura morte, in medio honorum cursu, intercudit, annum quinquagesimum non multum egressus. Hunc Maecenatis liberalissimi obitum non lachrimis solum, verum & carmine, serio deflevit Poëta noster: in quo inter alia sic quiritatur, & ominatur:



*Tu studium, lususque meos, tu gaudia vitae  
 Omnia fregisti morte, Stibare, tua.  
 Sit tranquilla tibi requies, spesque inscia luctus,  
 Jamque vale, manes mox sequar ipse tuos.*

Haud longo intervallo post secuta est mors duorum ex fratre Stibari nepotum, quibus Lotichius magister praefectus fuerat, Henrici & Martini: qui, cum Reipublicae administrationem vix capessere incepissent, juvenili aetate ex hac vita excefferunt.

Lotichius, absoluto studiorum in Italia curriculo, acceptisque Academicis in facultate Medica, impulsu magis amicorum, quam sua sponte, insignibus, reditum in Germaniam, Roma etiam non visa, maturat. Reversus ubi suos salutavit, Wirzburgum venit, Melchiorc Zobello, Praefule & Francorum Duce, nefario latrocinio, ac novo exemplo, intra urbis moenia, per insidias crudeliter interempto. Cujus indignissimi facinoris Historiam, successoris Friderici impulsu, conscripsisse Lotichium, dissimulato nomine, vulgo creditum est. Agebant tunc studiose Fridericus Praeful Wirzburgicus, & nobilissimus Sturmerus, ut Lotichium, omnibus honoribus auctum, secum retinerent, sed Deo aliter visum. Accidit enim, ut Heidelbergam, auspiciis Othonis Henrici Principis Palatini, Septemviri, ad docendam tractandamque Artem Medicam, honorifice vocaretur Anno Christi M. D. LVIII. claudente ipso septenarium aetatis quartum. Quam quidem provinciam Lotichius, Musis & rei litterariae natus, accipiendam existimavit. Eoque cupidius eam in Academiam venit, quod vigeat ea aetate memoria doctissimorum hominum, qui ibidem, cum perpetua nominis fama, vixerant, ut Jacobi Wimpfelingi, Pallantis Spangeli, Jureconsulti excellentissimi, in cujus virtute depraedicanda multus fuit Melanchthon, olim ejus convictu usus, Joannis Oecolampadii, Joannis Hartungi, Sebastiani Munsteri, Joan. Virdungi, Mathematici, & qui illis superior, Rodolphi Agricolae, ejusque discipuli Joan. Dalburgii, & aliorum complurium, quos non necesse est omnes nominare. Invitabat Lotichium praeterea & Jacobi Micylli, Philosophi & Poetae elegantissimi, consuetudo, quem antea ducem, ad insistendam & persequendam studiorum rationem, habuerat.

In Academia igitur ea, extra quam vitam non esse, Lotichius dicere solebat, loco honorato, docendi pariter & aegrotis consulendi munere, ita functus, ut Palatinis Principibus commendatus, collegis suis jucundus, studiosis & civibus utilis, esset atque haberetur. Eodem fere tempore Marpurgum, judicio Principum Hassiae, fuit invitatus: ut in Schola illa, in qua puer & adolescens luserat, vel artem Medicam, vel Poeticam, doceret. Verum in statione prima Heidelbergensi Lotichius mansit, vixitque in ea, dum vixit, bene ac honeste. Egit autem coelibem vitam, suum judicium secutus, & ocium literatum sectatus. Unde illud:

*Me*

*Me juvat in studiis consumere dulcibus aevum,  
Signaque Musarum prosperiora sequi.*

*Et, quae fera legat, nostri non immemor, aetas,  
Carmina tranquillae fingere pacis opus.*

Musas enim solas semper amavit, semper in deliciis habuit Lotichius; ἐξ ὧν τὸ κλέος ἐρχεται ἀνθρώποισι, secundum Theocritum. Verum, ut plerumque optima quaeque diu non durant, ita & Lotichio exiguum fuit vitae curriculum, a Deo circumscriptum. Anno enim post adventum in Academiam Heidelbergensem tertio, Christi Servatoris M. D. LX. Calendis Novembris, acuta & maligna febris corripitur, cum aliquo mentis, ut consueverat, delirio, quod tamen ante finem vitae plane desiit. Morbo isto in dies magis magisque ingravescente, die septimo mensis ejusdem, ad imperium summi Regis Jesu Christi, cui in his terris militarat, ex statione mortali decessit, cum annos vitae exegisset duos & triginta. Morienti, & animam precibus assiduis Christo, Redemptori nrico, commendanti, adfuere complures Philosophi, Medici, & Theologi, interque eos Johannes Posthius, qui & vita jam functi oculos non sine lacrimis clausit. Idem Posthius funus summo suo amico procuravit, cumque aliis septem liberalium Artium Magistris exuvias suis humeris ad D. Petri extulit: quae ibidem, juxta Jacobi Micylli praeceptoris ossa, beatam in extremo die resurrectionem expectant. Atque haec fuit catastrophe viri & poetæ optimi, omnibusque doctis ac bonis carissimi: Qui etiam obitum ejus variis carminibus passim deſleverunt.

Corpus ei fuit staturae justae, non gracile nimis, nec obesum, capillus subniger & subcrispus, nares modice pressae, aures contractae, oculi fuscī & suaves, frons exporrecta, hilaris, & semper eadem, vultus modestus, compositus, subridenti similis, color venuste fuscus, barba decens & virilis, mediocriter densa, nigricans, pectus torosum, manus validae & agiles, in toto denique corpore ut succus nullus superfluous, sic nihil iners aut pigrum. Animus in domicilio apto impiger, excelsus, ad omnem fortunae impetum invictus, modestus tamen, ac mire humilis, acquus & temperatus, Breviter, temperamentum universi corporis fuit melancholicum, cum subdominio, ut loquuntur, sanguinis: qualia temperamenta Aristoteli, & Physicis maxime probantur.

Inerat Lotichio morum suavitas quaedam prope singularis. In conversatione eam adhibebat moderationem dictorum & factorum omnium, ut, ubicumque esset, in dies carior ac jucundior esset. Itaque amici judicabant, Lotichium vi quadam naturae tacita, ceu Orphea quemdam, homines in amorem sui trahere. Ea vero erat non occulta, sed potius clara, omnibusque patens, virtus. Erat omnis fuci, omnis simulationis, ac sophisticae, capitalis hostis, in omni vita simplex, apertus, candidus, veri rectique tenax. Amici narrabant, Pharmacopaeum Heidelbergae, virum honestum, filiam quam habebat, formosam & egregiam, cum dote satis ampla, Lotichio obtulisse, hunc modeste renuisse: quod virginem ingenuam, ipse brevis vitae & termini, sibi imminentis, conscius, spe falsa conjugii stabilioris lactare nollet. Quod quidem apertam ejus naturam satis demonstrat

Studiorum autem in eo tantus fuit ardor, ut a puero libellos propter lectulum positos habuerit, ut vel cubans lectitare aliquid, aut commentari posset: saepe somnians versus facere deprehensus est: adeoque nunquam minus fuit otiosus, quod de Scipione Cicero, quam cum esset otiosus. Etsi autem ruris, & solitudinum, ut vates, amans erat, esse tamen in solitudine solus non poterat, semperque in cujus benevolentia & caritate requiesceret, quaerebat. Familiariter illud in sermone usurpabat: Id demum sapere sibi, ac jucundum esse, quod cum amico fieret, sive studiis incumberet, sive animum remitteret. Hinc in versiculis alicubi:

*O Fecunda beatitudo vitae  
Libros inter, & optimos amicos!  
Quos jungit bona comitas, & una  
Delectatio rebus ex eisdem,  
Et Musae Veneresque transmarinae.*

Idem in periculis adeundis, ac tolerandis quibuscumque laboribus studiorum, militiae, itinerum terra marique, fuit promptissimus ac fortissimus: uti ex iis, quae supra narrata sunt, facile cuivis apparet. Loquuntur id etiam Carmina ejus haec:

*Non ego pro patria belli detrecto laborem  
Degener, aut viso protinus hoste tremo.  
Ire nec ad manes pro libertate recusem,  
Dulce foret Reges inter & arma mori.*

Fortitudinis etiam Philosophicae specimina longe pulcerrima edidit in domandis, atque rationi rectae subjiciendis affectibus & animi morbis. Iram sic poterat in gyrum rationis cogere, ac regere, ut per impotentiam animi parum virile quippiam admisisse raro sit deprehensus. Etsi (ne ἀναισθητός facere velle eum videamur) conceptae semel iracundiae erat tenacior atque implacabilior, ut melancholicae solent naturae.

Sermo Lotichii erat, qualis ferme Socraticorum, elegans, urbanus, lenis, ingenio tinctus, modestus, bonaeque mentis verus index. Jociis delectabatur ac salibus Mercurii, ut ajunt, non Momi, in quibus & animi & ingenii probi acumen eluceret. Cum aliquando Bononiae ad ipsum Hubertus Languetus, abiturus in Germaniam, mane adhuc in lecto cubantem, atque conniventem, venisset, superque re quadam, quid sibi videretur, quaesisset: respondit, Mihi vero nihil videtur. Quo ille joco admodum fuit delectatus. Contra aberat longissime ab omni verborum obscoenitate, & obtrectandi libidine: neque scurrilitatem ullam ferre poterat. Accidit enim aliquando, cum Stibarorum nobilium juvenum agmen e Gallia reduxisset, ut reduces illi in praedio quodam, haud procul Papeberga, a Daniele Stibaro convivio exciperentur. Ibi cum poculis sese invitassent, quidam minus digna auribus aetatis illius effutire coeperunt. Tum Lotichius iratus de mensa surrexit, & adolescentum causa, rubore suffusus, illico abiit, indigneque id factum tulit. Deinde nec ipse quenquam

quam carminibus suis laesit, nec in gratiam cujusquam, saepe etiam rogatus, mordaci perstrinxit carmine quenquam. In omni denique vita communi, ac conviviorum hilaritate, eum servavit modum, qui naturae congruit: unde vires cum animi, tum corporis, reficerentur, non opprimerentur. Computationes & commestationes cane pejus & angue oderat, asotis illis inimicissimus. Amabat autem, ut est in Symposio Xenophontis, pocula minuta atque rorantia, iisque solis adserebat delectari homines Philosophos. Et, quotiescunque jucunditati se dabat cum amicis, temperantiae, modestiae, & sobrietatis fines, memor non tam Potthi melissaei voti, quam mandati Apostolici, nunquam excedebat, statimque a jocis & ludicris ad seria sese referebat.

Qualis autem fuit in vita, talis etiam in vestitu. Saepe laudavit in Uldarico Hutteno, Equite Franco, rationem vestiendi. Is enim sola lana, eaque in suo territorio nata, usus est: nullis externis, aut transmarinis, mercibus accersitis. Mundiciem tamen adhibuit decentem, quae agrestiam inhumanam effugeret: adeoque grata erant ei omnia simplicia, nativa, mediocria. Itaque recte mansit illi hoc verbum, Symboli loco usurpatum: *Simpliciter sine strepitu.*

Caeterum, ut concludamus narrationem hanc vitae Lotichianae, paucis expediendum videtur, quid & de hujus, & aliorum Poëtarum, amoribus. quibus se teneri passim in carminibus queruntur, sentiendum sit. Est autem, ut ipsi Poëtae explicant, amor ille coelestis atque aetherius, ac rerum coelestium terrestriumque contemplatio. Hic amor facit Poetas, facit Philosophos, facit Medicos, omnium denique abstrusissimarum scientiarum peritos. Unde ille:

*Vates non Veneris fax improba, verum  
Aeterni amor generosus urit Numinis.*

Quamquam nec hoc dissimulandum, adamatas a Lotichio fuisse puellas quasdam ingenuas, ac scitae formae. Claudiam enim suam non uno carmine celebrat, deinde Callirhoën tunicatam, Panaridem, ac denique non vero nomine dictam Phyllida Nicrigenam. At fecit hoc non inhoneste, nec immodeste, inque ejus nullum crimen amore fuit, uti ipse confirmat. Deinde qua fuit morum elegantia ac humanitate, facile & ipse amabat, & amabatur. Atque decantandis illis amoribus nihil aliud quaesivit, nisi oblectationem animi honestam ad leniendas animi molestias, & aegritudines.

Vacua denique (ne & hoc praetereamus) in Elegiis Lotichianis loca alicubi occurrunt ea ipse vivus reliquit consideratione quadam, ut non vulgares sententiae, collocatione verborum singulari, ibi reponerentur. Nec fratri Christiano, & Camerario, editionem parantibus, visum fuit illas veluti lacunas explere. Epitaphium ei Marius, tanquam servatori suo in Sequanae natatione, & amico fideli, apud Electorem Palatinum impetrare, tanto viro dignum, allaboravit. Verum mors improvisa illius Principis, ut alia praeclara, ita & hoc impedivit. Nec sepulcri honore eget is, cujus virtus in orbem se diffudit universum. Et haec de Lotichio satis.

PETRI

## PETRI LOTICHII SECUNDI

V I T A:

A U C T O R E

JO. PETRO LOTICHIO.

**P**ETRUS LOTICHIIUS SECUNDUS, judicio eruditorum, Germaniae Poëtarum facile Primus & Princeps, natus est Anno CHRISTI M. D. XXIIIX. postridie Calend. Novembris, loco, Deo & divinis rebus sacro, ubi, ejus boni gratia, conditum olim Monasterium, quod a glorioso illo Imperatore Carolo Magno appellatum Solitaria, scilicet quod esset Deo, & studiis, sacer recessus, imo, prout haec requirunt sacra, vere solitarius.

Parentes habuit non ampla quidem fortuna, sed antiqua probitate & virtute homines: quos gloriae, cujusmodi e literis petitur, peramantes fuisse vel exinde patescit, dum tres insimul filios bonis ac praeclaris artibus erudiendos liberaliter destinarunt. Patri Joanni Loticio gentilitium fuit nomen: quod postea communis illius temporis praeceptor Philippus Melanchthon, euphoniae gratia, in Lotichium transtulit; & quidem in P. Loticio (sic enim antiquitus vocabantur) Secundo, discipulo sibi commendatissimo.

Fratres ipsi fuere Christianus, & Georgius, aetate minores, ambo & *cantare pares, & respondere parati*. Ex illis Georgius, utique natu minimus, prima velut in herba, extinctus est Anno M. D. XLIV., sub disciplina doctissimi viri Conradi Cremeri, paedagogearchae Gelnhusani, cui, ob praeclaram, jam tum in eo, vix undecim annorum puero, notabilem, indolem, a Reverendissimo Viro, Petro Lotichio, Monasterii Solitariensis Abbate, patruo, in pietate & bonis litteris formandus, singulari cura mitti commendarique coeperat. Admirandam hujus pueri, fratris sui, effingendis in carminibus jam tum dexteritatem, & praereptam cum eo expectationem amplissimam, non uno loco deflevit Lotichius hic noster Secundus. Ut vel inde immortalem pueri dulcissimi fecerit memoriam. Christianus vero, aetate medius, Poëta idem excellens, & eximius, Secundi fratris in re poëtica gloriam feliciter aemulari coepit. Ut licet hunc non penitus, quoad artis perfectionem, aequaret, tamen caeteros Poëtas, ejus seculi famigeratissimos, exceptis Bobano Hesso, & Georgio Sabino, tam carminis elegantia, quam artificio, & elaboratione, superaret facile omnes: prout Poëmata illius Posthuma, antehac a nobis publicata, fidem faciunt.

Patru-

Patruus ipsi contigit eodem, quo Poëta, nomine dictus Petrus Lotichius, Coenobii Solitariensis divina bonitate Abbas, (ad cujus discriminationem Poëta suo iudicio admodum adolescens Secundus appellari voluit) vir insigni pietate, beneficentia erga pauperes, virtute, sapientia, doctrina, omnique genere laudis, praestantissimus. Qui non solum, cum hoc Nepote clarissimo, familiae suae luculentam accendere coepit facem, sed inprimis (quod majori, immo immortalī, laude dignum est) Dei Opt. Max. gloriam, Ecclesiamque D. & S. N. JESU CHRISTI, propagatione illustravit. Immo sanctae Religionis opus Scholasticasque disciplinas, eo seculo, fere barbaro, collapsas ac quasi desitas, suo loco feliciter restauravit. Usque adeo, ut isthoc saltem nomine, si non alias ob virtutes haud obscuras, penes Historicos aeternam tam sibi, quam posteris, & gentilitio nomini, compararit famam. Hujus, inquam, viri sapientis & magni, Patruī sui, verius Patris, auspiciis Lotichius puer, posteaquam prima pietatis & artium in Schola Solitariensis Coenobii, a Patruo feliciter constituta, imbibisset elementa, ob generosam indolem, mature ad vicinam Scholam Francofurtensem ablegari, ejusque Rectori Jacobo Micyllo, Poëtae ac philologo eruditissimo, diligenter commendari coepit. Quo sub optimo praeceptore optimus discipulus non tantum Latinas Graecasque litteras, prae aequalibus suis, facile arripuit, verum in re poëtica tantos fecit progressus, ut, paucorum annorum interlapsu, adhuc adolescens, & Academiae Marpurgensis civis, Carminum bonitate & elegantia, etiam ipsum Micyllum praeceptorem, haud infimi subfellii poëtam, jam tum superaret.

Anno Christi M. D. XLIV. ad praedictam Academiam Marpurgensem perrexit Lotichius. In qua tum temporis Abbas Patruus integram juvenum studioforum catervam, ad Ecclesiarum Scholarumque suarum ministeria deinceps promovendam, propriis sumptibus alebat liberalissime. Eo in loco commodo temporis spatio versatus adolescens Lotichius, vere Poëtam agere coepit, hoc est, Lanum, fontes, rura silvasque petiit, inprimis tam elaborata, tam delicata, scripsit ediditque Carmina, quae cum erudita Ovidii, & Tibulli, aetate certarent. Hac instructus elegantioris eruditionis supellectili, Witebergam in Saxonias abiit, ad audiendos ejus temporis celeberrimos Philosophos, Philippum Melanchthonem, & Joachimum Camerarium. Horum in favorem & amicitiam, Patruī commendatione, tantum abest, ut difficulter admitti coepërit, ut magis ab illis, ob singularem carminis praestantiam, virtutem & doctrinam egregiam, morum juxta raram concinnitatem, solidumque animi candorem, mirifice sit dilectus, quin immo Academiae Witebergensis studiosae juventuti, tanquam ingenuae virtutis, doctrinaeque venustioris exemplum, ad imitandum, fuerit propositus. Cujus rei, praesertim carminis excellentiae, a tam illustribus Philosophis amplissima consecutus est testimonia. Dum uterque Lotichium non tanquam popularem discipulum, sed Academiarum & Germaniae lumen, adeoque divinum (prout ipsi, scriptis testibus, praedicant) poëtam, per omnem deinceps vitam magni fecit.

Obortis postea funestis inter Carolum V. Imperatorem, & Joan. Fridericum Saxoniae Duce[m] & Electorem, itemque Philippum Hessiae Principem,

pem, Anno M. D. XLVI. belli motibus, cum, passim saeviente Marte, Musae Scholaeque dissiparentur, neque satis tuta ipsa Witeberga praeberet halcyonia. Ecce! Lotichius, quo erat animo praesente, & patriae libertatis amante, loca pleraque Martis plena, & desperata esse videns, militiae nomen dedit, una cum commilitonibus aliis, juvenibus nobilibus & eruditis, Melchiore Zobello, Joanne Alto, Varo, & Acontio, majori ex parte singulis poëtis. Nihilo minus tamen, etiam medios inter strepitus classicos, Martis in castris Musis suis vacavit poëta, & elaboratissima ad amicos perscripsit Carmina: quibus istius temporis asperitatem, & improbam vitam militarem persequitur.

Reducta pace, Erphordiam, veterem illam bonarum artium officinam, petiit, missisque caltris, cum veteribus amicis, id est, libris studiisque suis, in gratiam rediit. Inde Melanchthonem, cum caetu Academico ex Hallis Saxoniciis Witebergam redeuntem, ad continuanda studia Philosophica, paulo post secutus est. Cum quo deinceps per omnem vitam vixit conjunctissime. Tantum vero illi tantus contribuit Philosophus, ut Lotichium Magisterii Scholastici titulo, & omnibus, quibus posset, modis ornaret.

Cum autem ab Abbate patruo vocaretur in patriam, instructus litteris Joachimi Camerarii, conciliari coepit Illustri viro Danieli Stibaro, Canonico Herbipolensi primario. Qui quidem Stibarus Lotichium, partim commendatione Camerarii, partim autoritate Abbatis Patruum, inprimis vero singulari ipsius & multiplici virtute, motus, in familiam atque amicitiam suam libenter admisit. Ab eo praefectus fuit certis quibusdam Equestribus, agnatis suis, quibuscum, studiorum morumque formandorum ergo, adjuncto sibi Georgio Vischero Argentineni, hypodidascalo, in Gallias abiit. Hoc ingressurus iter Lotichius, annorum viginti & duorum juvenis, Effigiem suam, recens depictam, Solitariae reliquerat. Sub qua quidem Tetrastichon illud, a se ipso, de se ipso scriptum, quadratis, ceu vocant, litteris ascribi curavit. Quo se se, non tam quoad externam corporis formam, quam interiores illos animi mores, apprime contemplandum exhibuit. Tale autem illud est:

*Talis adhuc juvenis Lotichius, adderet annis  
Bis duo cum natus lustra duobus, erat.  
Ira brevis, moderatus amor, patientia victrix,  
Invidia pectus, carmina felle carent.*

Primum igitur Parisios, deinde Mompelium concessit, praecipuas Galliae visitando Academias. Quibus per quadriennium inhabitatis, visitatis vero urbibus illius Regni celebrioribus, postquam sub itineribus hisce, praetertim apud Narbonem, temporibus belli, inter Carolum V. Imperatorem, & Henricum II. Galliarum Regem gliscentis, multa, etiam cum vitae periculo conjuncta, pertulisset, Germaniam, suorum cum coetu, repetiit. Inque reditu, de voluntate Stibari Maecenatis, in Saxonias iter flexit, ad consulandos praeclaros illos Philosophos, & praeceptores,  
Phil.

Philippum Melanchthonem Witebergenfis , & Joachimum Camerarium Liptienfis Academiae fydera.

Perlustratis ita juſto tempore Galliis, cum porro Italiae ſimulatque videndae deſiderio flagraret Lotichius, rogata venia, a Stibaro liberaliter & honeſtiſſime dimitti coepit. Patavium quapropter recta petiit. Poſtea, oborto illic peſtis contagio, Bononiam (antiquitus Felſinam dictam) glorioſam illam ſtudiorum matrem, conceſſit. Ibi cum, ob peculiarem loci amoenitatem mirifice afficeretur, accepto in menſa per imprudentiam, quod contubernali ſuo, Equiti & Canonico Bavaro, in juſculo appoſitum fuerat, philtro, in malignam, & periculi plenam, incidit aegritudinem. Qua deinceps liberatus, ſupremos in Arte Medica aſſumpſit honores, Romaque inſalutata, Italiae, imo Felſinae ſuae, longum dixit vale.

Conſummatis apud Italiam ſtudiis, & acceptis Scholaſticis honoribus ampliffimis, in patriam reverſus Lotichius, duplici denuo moerore turbari confundique coepit, cum ob praematurum Danielis Stibari, patroni ſui obitum, tum ob trucidatum factioſa manu, & quidem intra mediam civitatem, Melchiorum Zobellum, Francorum Ducem optimum, amicum, & commilitonem ſuum integerrimum. Cujus quidem execrandae caedis hiſtoriam, Friderici Epifcopi & ſucceſſoris hortatu, Lotichius litteris mandaffe, fama licet incerta, haſtenus creditus eſt. Nos autem eum libellum, Lotichio auctore ſcriptum, tandem e Simonis Schardii Ic. Hiſtoriarum lib. III: quae in gubernationem Ferdinandi I. Imperatoris inciderunt, in lucem producimus, & cum eruditis confidenter jam nunc communem facimus. Perpetratum fuit nefandum iſtud, in media civitate Herbipolitana, paricidium a Grumbachio, & ſicariis ejus, Anno M. D. LVIII. xv. Aprilis. A quo, deinceps, ex lege Imperii, ſolenniter proſcripto, & in poteſtatem redacto, ſumptum ſupplicium Anno M. D. LXVII., xviii. Aprilis.

Secundum haec, dum ab itinere Italico requieſcentem velut, novisque honoribus auctum, Lotichium apud Herbipolim retinere ſtudent Fridericus Epifcopus, & Illuſtris ille Erasmus Neuſtetterus, cognomine Sturmerus, ecce! auſpicato evenit, ut, volente Celſiſſimo Principe, Othone Henrico Septemviro, ad Academiam Heydelbergenſem, pro accipienda ac tractanda Medica profeſſione, honorifice & ſolenniter vocaretur. Quid vero Secundus noſter? Ille oblatam apud Heydelbergenſes accipit provinciam, eaque cum inſigni nominis ſui, magis ac magis inclareſcentis, fama praecclare perſungitur.

Ad eandem Profeſſionem Medicam obeundam (prout invitatoriae loquantur litterae, nobiſcum ſuperſtites) paulo poſt idem Lotichius, annuente Illuſtriſſimo Heſſiae Landgravio, & univerſa requirente Academia Marpurgum ſolenniter vocari coepit Anno M. D. LX., xxviii. Septembris. Verum ille in ſtatione Heydelbergenſi, eaque honorifica, libenter permansiſt! donec, modico interlapſo tempore, ex annuo morbo, mortalem hanc vitam cum immortalis commutavit, eodem Anno, vii. Novembris, eodem fere die, & menſe, quo hanc in mundi lucem intraverat. Praematurus tanti litteratoris caſus quam acerbe toti fere acciditſet Germaniae, inprimis litteratiſſimis & ſummis viris, inter caetera, teſtimonio eſt vel



Funeralium Liber singularis , quo quidem defuncti raræ virtutes , & laudes , a summis ejus seculi ingeniis certatim & cumulatissime concelebrantur.

Fuit autem Lotichius , Hagio teste , vir honestæ staturæ , & virilis , mediocris tamen , corporis habitu medio , membrorum soliditate firma , & laboribus perferendis apta , valetudine alias bona , robustaque. Quoad animi temperamentum , morum elegantia , ac suavitate singulari , immo admirabili dulcedine , is , quamdiu vixit , a gravissimis viris præstitisse perhibetur. Ita ut , ubicunque sibi virtute atque industria sua locum penes magnos præclarosque viros semel aperuisset , dignissimus deinceps habitus fuerit omnibus , qui in dies charior redderetur atque acceptior. Emanavit hinc ab amicis , Lotichium , alterum Germaniæ Orphea , homines in amorem sui pertrahere. E quibus præcipue occurrit Joannes Hagus , popularis , coæteraneus , studiorum & peregrinationum socius , inprimis Lotichianæ vitæ scriptor diligentissimus. Qui quidem hanc in rem , sub præfatione ad Illustrem virum Erasmum Neustetterum , de Lotichio confidenter & conceptis verbis prædicat : *Nullum se in vita nosse , & litteris communibus , (quorum utique se habuisse fateatur & plurimos , & honestissimos) sodalium , de quo mortuo meminerit extitisse bonoratiora iudicia , auditas ampliores laudes , ingenii divitis præclaras dotes magis admirarentur omnes , de cujus vita , moribus , totaque disciplina , præclarior sentiant , minus detraberent , magis laudarent omnes.*

Puellas amavit ingenuas & venustas. E quibus Witebergensem illam Claudiam suam non uno carmine reddidit immortalem. Callirhoën deinde , sive puellam Tunicatam , quæ Celtibera fuit , in Montepessulano arsit , ejusque obitum Elegia luctuosissima integerrime deploravit. Tertio Panaridem Italam , religiosam nympham , quam pecoris custodem vocat , Bononiæ dum vixit , sicut colligitur , deperiit. Et quarto , non vero nomine dictam , Phyllidem , Nicrigenam , Heydelbergæ ubi doceret & philosopharetur , divino carminis elogio , ex ultimo velut amoris affectu , celebrem fecit. Nihilofecius tamen caste amavit. Et , tametsi nobilia , & honestissima connubia a Camerario , Peucero , & amicis aliis , ipsi proponerentur , modeste ea renuendo , per reliquam vitam (quam quidem sibi , ob haustum apud Bononienses imprudenter toxicum , non ita diuturnam fore , ob annuas mali recidivas , ipse vates hac quoque parte optimus , prævidisse colligitur) coelebs permansit. Sicque litterario in otio , & quidem in Academia , (extra quam vitam non esse , dum viveret , ad amicos sæpe numero professus erat) lubens perstitit , & animam illic conditori Deo Opt. Max. pie reddidit.

Testimonia Eruditorum de Petro Lotichio Secundo , Germaniæ Poëtarum facile primo , & principe , inter alia plurima , (de quibus in præmissis) pauca sunt illa.

Philip. Melanchthon , Petrum Lotichium Secundum , adhucdum adolescentem , magnum vocavit Academiae Witebergensis ornamentum , ob Carmina ab eo illic edita , in Epistola , ad Petrum Lotichium Abbatem scripta.

Joachimus Camerarius Papebergensis , posteaquam præstantissimis illis Ger-

Germaniae Poëtis, Eobano, inquam, Hesso, & Georgio Sabino, curiosam Lotichianae Musae felicitatem confidenter antetulisset, toties divina vocat Petri Lotichii Secundi Poëmata. Cujus, inter caetera multa, extat Epicedium, in praematurum ejusdem Secundi obitum, Graeco idiome scriptum, atque a Sebastiano Artomede Latine redditum, tanto Philosopho Camerario, tantoque Vate Lotichio, dignum.

Jacobus Augustus Thuanus, Histor. part. II. lib. XXVI. ad finem, Petrum Lotichium Secundum, omnium totius Germaniae Poëtarum, post Eobanum Hessum, pronunciat praestantissimum. Sed (pace Thuani!) etiam ipsum Eobanum Hessum, suo tempore dictum Poëtarum Regem, carminis artificio, elaboratione, & elegantia, hic Lotichius superavit: prout, inter caetera, vel e Noctibus Academicis nostris, super censura Poëtarum Nov-antiquorum, & naevis Eobani illius, fiet evidens.

Inter alios superioris illius seculi viros consummatissimos, & celeberrimos, Caspar Peucerus, Joannus Sambucus, Georgius Cracovius, Joannes Posthius, Petrus Melissus, Franciscus Modius, Henricus Smetius, Justus Lipsius, Joannes Jacobus Boissardus, aliique propemodum innumeri Philosophi, ac scriptores, incredibili consensu Petro Lotichio Secundo, Germanorum Poëtarum primo, quoad carminis bonitatem, & elegantiam, principatum deferunt, honestissimeque assurgunt. Ut omnia ejus Elogia, quae quidem extant, conscribere velle, plus laboris, quam forte delectationis, sit futurum.

Eidem Petro Lotichio Secundo, vero patriae suae, imo Germaniae, lumini, ob Carminum & nominis celebritatem, annua Solitariae honorificentissime persolvi coepisse Parentalia, meminimus, Anno M. DC. IX. postridie Calend. Novembris, a Magnifico & Nobilissimo viro Othone a Grymath, Consiliario Archipalatino intimo, & Ecclesiastici Dicasterii Praefide, accedentibus aliis, tam Archipalatinis, quam Illustriss. Comitatus Hanovici, consiliariis, viris spectatissimis, una tum apud Coenobium Solitariense feliciter congregatis. Cujus rei, & solennis actus, in memoriam, per universum Gymnasium Solitarianum, in honores natalitios anniversarios Petri Lotichii Secundi, diversa Georgius Fabricius Solitariensis, Ecclesiae Windeccensis, & vicinarum parochiarum, Superintendens, Theologus & Poëta doctissimus, tantum non publicavit Epigrammata. Verum etiam publi Scholasticae singulas per classes, maxime superiores, exemplum Petri Lotichii Secundi, Solitariensis, Poëtarum principis, Germanico idiome praelegit, ad imitandum proposuit, indeque dictata in Latinum sermonem pro more transferre jussit.

Quid vero de eo dicendum maxime? Nempe Petrum Lotichium Secundum, tantum non Carminis excellentia omnes facile Germaniae Poëtas antecelluisse, sed etiam vero Vatis charactere, ipsomet vaticinio, totius Italiae Poëtas nov-antiquos superasse. Pro teste est Elegia illa, quae nuper in Magnatum, & ducum militarium, multorumque eruditum hominum, manibus fuit, a Clariss. viro Mart. Opitio Germanico carmine redita. Qua quidem ante septuaginta annos ad omnem posteritatem memorabile, & nimis flebile, urbis & fortalicii illius Magdeburgensis ad Albim

Excidium vaticinando praevidit. Imo vero magni illius, intricati, & post triginta annos expirantis, nuper Belli Bohemo-Germanici catenam, progressum, eventum & finem divinavit. Huic, inquam, & quidem gemino, veroque Carminis Vaticinio an alius ex optima quantumvis notae Poëtis, sive Italis, sive Gallis, sive Germanis nostris, par haberi amet, equidem in medio libenter relinquo. Per fidem! si e superioris seculi autoribus, inter caeteros, revivisceret Hilarius Cantiuncula, Jureconsultus, & Poëta Hendecasyllabicus, ille Lotichium nostrum, vel ejus vaticinii, & praerogativae, intuitu, facile omnibus Latini Carminis autoribus anteferebat. Qui alias, ab integris sexdecim seculis, secundum Tibullum, Petro Lotichio Secundo parem haud exitisse, disertis verbis professus est, & quidem sequentibus versiculis, super ejusdem Lotichii Elegiarum Libro II. scriptis: quibus Hendecasyllaborum libro, Venetiis Anno M. D. LV. typis excuso, ita excurrit ad Musas:

*Nunc vos judicium meum approbate,  
Primum, interposui quod, & secundum,  
Quod non secula sexdecim secundum  
A primo tulerint fere Tibullo,  
Cultum qui magis exprimat Poëtam.  
Musae dicite, si quid est, fuitve,  
Umquam cultius, elegantiusve?  
Vos & reddite nunc suos SECUNDO  
Divinos Elegos.*

Si nunc igitur praefatus ille Cantiuncula saltem e lectione Elegiarum Libri II. hunc Lotichium, post Tibullum, sine exceptione omnibus praeferre coepit melioris notae Poëtis; dubio procul, ubi omnia, quae extant, Lotichii opera cum Tibullianis illis paulo accuratius contulisset, etiam ipsi Tibullo in multis eundem anteferre potuisset Lotichium. Taceo hujus Vaticinia, ipso eventu confirmata: quibus neque Tibullus, neque Italarum Poëtarum alius quisquam, facile par. Quid plura! Colophonem imponamus hoc nostro, in rari, ac veri, sacrique Vatis laudem alibi nascente, versiculo:

*Esse Propbeta potest quando Poëta, sat est.*

EJUS.

( 167 )

E J U S D E M

PETRI LOTICHII SECUNDI

V I T A :

E X E J U S D E M

JOANNIS PETRI LOTICHII  
POËTARUM NOV-ANTIQUORUM

P A R T E   I I I .

*Carminē primus eras, cognomine, Petre, Secundus,  
Aut, si non primus forte, secundus eras.  
Salve dulce decus! Vivet tua gloria semper,  
Posteritas Clarias donec amabit aquas.*

**P**etrus Lotichius Secundus vitales hausit auras Solitariae, Anno Christi M. D. XXVIII. postridie Calend. Novembris. Hoc oppidum in Superiori Hanoviae Comitatu situm est, ad Drusi montem, loco, Deo & divinis rebus sacro, bonorumque ingeniorum feraci. Ubi olim, pietatis causa, conditum Monasterium, a glorioso Imperatore Carolo Magno Solitariae nomine dictum. Eo, quod esset Deo, & Musis sacer ille recessus, & veluti sacra illa requirunt, vere solitarius.

Parentes habuit non fortuna quidem ampla, sed pietate, & antiqua virtute, praeditos. Quos bonarum artium fuisse amantes, vel ex eo liquet, quod tres infimul filios, liberalibus studiis erudiendos, ferulae submittere. Patri Joanni Loticio gentilitium fuit nomen. Quod postea Philippus Melanchthon, ejus aetatis communis praeceptor, euphoniae gratia, in Lotichium transfudit, & quidem in Petro Loticio (ita enim antiquitus vocabantur) Secundo, discipulo sibi commendato, & charo.

Fratres ipsi fuere Christianus, & Georgius, natu minores: ambo, secundum Virgilianam Eclogam, numero VII. *Et cantare pares, & respondere parati.* Modo illis diutius fata vitam indulgissent. Georgius enim, natu minimus, prima velut in herba, extinctus est Anno M. D. XLIV. pro pridie D. Magdalенаe, sub disciplina doctissimi viri Conradi Cremeri, paedagogearchae Gelabufani. Cui ob eximiam, jam tum in eo, vix undecim

cim annorum puero , notabilem , indolem , in pietate , & bonis literis formandus , ab Abbate Patruo , Viro Reverendissimo , Petro Lotichio , singulari cum cura , commendari coeperat. Admirandam hujus pueri , fratris sui , in effingendis Carminibus , ea aetate industriam , atque extinctam cum eodem speim amplissimam , admodum lugubri Epigrammate plangit Lotichius hic noster Secundus. Quod , super praematurum illius obitu , legitur Carminum lib. I. Christianus vero , (Avus noster) aetate medius , poëta pariter excellens , ob carminis elaborationem , & elegantiam , etiam Joanni Stigelio , etiam ipsi Eobano Hefso , praeferendus , Secundi fratris , in Poëtica , praerogativam , & gloriam , pari passu proxime secutus est. Cujus rei fidem faciunt ejus poemata , a nobis edita.

Patruus ei contigit , eodem , quo poëta , nomine dictus Petrus Lotichius , Coenobii Solitariensis divina bonitate Abbas. Ad cujus differentiam , poëta , admodum adolescens , suo judicio , Secundus appellari & voluit , & postulavit. Fuit hic vir insigni pietate , sapientia , doctrina , virtute , humanitate , munificentia , & omni genere laudis , suo illo tempore , praestantissimus. Qui modo non natales , familiamque suam , una hisce cum Nepotibus , tanquam nobili , & raro Vatum Excellentium pari , illustravit. Verum , inprimis rudi , & tumultuoso isto seculo , Dei Opt. Max. gloriam , Ecclesiamque D. N. Jesu Christi , utiliter propagavit ; dum , non obstantibus magni nominis , & loci , Adversariis , consilio , & modestia usus Philippi Melanchthonis , Coenobium illud suum , ab eoque pendentes complures Ecclesias Parochiales , sub pia , & modesta Reformatione , a traditionibus , ac foetoribus Monasticis repurgavit. Illudque institutum factumque suum , sub certo quodam Apologetico , Reverendissimo Praefuli Philippo , Abbati Fuldensi , inscripto , & publici juris facto , cordate tueri coepit. Usque eo , ut , ob id genus sanctum pietatis Zelum , amorem in honestas literas , literatosque , beneficentiam in pauperes , aliasque virtutes haud infimas , aeternam ab Historicis & sibi , & familiae suae , compararit famam. Id quod e Vita , & Epistolis illius , a nobis editis , cuivis fiet evidentissimum.

Puer ubi in Schola Solitariensi , a Patruo Abbate optime constituta , Pietatis , & Literarum tyrocinia apprime imbibisset , & jam tum eximiae , & generosae , indolis manifesta praeberet indicia , a praedicto Patruo , verius Patre , vero & gnesio ejus loci Maecenate , veluti adoptatus , porro ad finitimum Gymnasium Moeno-Francofurtanum mitti , ejusque Rectori , Jacobo Micyllo , Poëtae , & Philologo doctissimo , commendari coepit. Quo sub optimo praeceptore optimus discipulus tantum non Graecas , Latinasque literas , prae aequalibus suis , facile arripuit. Verum etiam arcanam illam , ac latentem Naturae vim , imo divinum ad Poëticam facultatem impetum , ita feliciter exeruit , ut postmodum eleganti huic literaturae per omnem vitam , & quidem immortalis cum nominis sui gloria , adhaerere addictissimus. Abhinc ad Academiam Marpurgensem transit , in qua tum temporis Abbas Patruus integram studiosorum juvenum catervam propriis sumptibus alebat liberalissime , ex iis deinceps Ecclesiarum , & Scholarum suarum idonea suscepturus fulcra. Eo in loco visus fuit Lotichius noster

noſter vere Poëtam agere, id eſt, montes, velut Heliconem, petere, Lanum, & fontes, tanquam Caſtalias undas, creberrime ſalutare, urbiſque taedio, prae ruris amoenitate, affici. Unde, velut Apolline, & Muſis diſtitantibus, Carmina effudit delicatiſſima. Qualia cum antiquitate certant: Et ipſius Tibulli puritatem, ac ſorem, me iudice, ſuperant. Cujus quidem ſaporis eſt Elegia, ab illo, admodum adoleſcente, Anno M. D. XLIV. Marpurgi ſcripta, & praefato Jacobo Micyllo, praeceptorſi, inſcripta, & a nobis recens appoſita. Qua ejus laudes decantat.

Hac erudita, & quidem poëtica, inſtructus dexteritate, Academiam Witebergensem petiit, auditurus ejus aetatis principes apud Saxoniam Philoſophos, communes Germaniae praeceptores, nempe Philippum Melancthonem, & Joachimum Camerarium Papebergensem. Quorum in amicitiam, commendante Patruo tantum abeſt, ut difficulter admiſſus ſit. Ut verius ab eiſdem, ob egregiam virtutem, raram, & incomparabilem, carminis praefantiam, ſingularem morum concinnitatem, candoremque pulcherrimum tantum non mirifice diligere coeperit. Ut etiam toti Academiae, pro ornamento, ſtudioſae inprimis juventuti, tanquam vivum virtutis, & eruditionis venuſtioris, exemplum, ad imitandum, propoſitus ſit. Cujus quidem rei, inprimis excellentiae poëticae, a tam illuſtribus Philoſophis, praeclara meruit teſtimonia. Dum uterque Lotichium, tanquam ſaeculi decus, & Germaniae lumen, imo Poëtam, prout ipſi vocant, divinum, etiam Eobano Heſſo, etiam Georgio Sabino, poëtis ejus aetatis claſſiſſimis, carminis excellentia, praelatum, per omnem vitam magni fecit.

Inter haec, naſcente, in Religionis cauſa, inter Carolum V. Imperatorem bellicoſiſſimum, ab una, & Joan. Fridericum, Saxoniae Ducem, & Electorem, itemque Philippum Heſſiae Landgravium, caeterosque Imperii Principes, dictos Proteſtantes, ab altera parte, bello, cum Mars, prout ſit, Muſas, Scholaſque diſſiparet, et pleraeque per Germaniam regiones armis civilibus perſtreperent. Ecce! Lotichius, turbatis rationibus Academicis propemodum omnibus, ſicut erat patriae amans, & cordatus, militiae nomen dedit: accedentibus hoc ad belli-contubernium juvenibus aliis nobilibus, & ornaſſiſſimis, Melchiore Zobello, Joanne Alto, Varo, & Acontio, amicis interioribus, majori ex parte ſingulis Poëtis. Nihilominus, medios etiam inter tumultus claſſicos, Martis in caſtris Muſarum ſimulatque ſigna ſecutus Poëta, Carmina ad amicos dedit elaboratiſſima. Quibus acerbiter temporum accuſat. Militiae ſuae cauſas explicat. Et improbam militum vitam deteſtatur.

Facta pace, primum Erphordiam, deinceps Witebergam, rediit. Quo loco Magiſterii Philoſophici honoribus inſignitus, Patruo volente, patriam repetiit. Hoc tempore in Gallias dum meditatatur iter, opportune accidit, ut a Joach. Camerario conciliaretur Magnifico & prae nobiliſſimo viro Danieli Stibaro, Eq. Franco. Qui Lotichium certis quibusdam adoleſcentibus Equeſtribus, agnatis ſuis, ſtudioſorum cauſa ad Gallos ituris, ephorum ac ductorem praefecit, adjuncto Georgio Viſchero, Argentinenſi, hypo-  
didafcalo.

Y

Hoc

Hoc iter ingressurus, infra Effigiem suam, pictoris penicillo deductam, & miro tandem eventu ad nos relatam, sequens Tetrastichon quadratis, ceu vocant, ascribi curavit literis. Quo quidem interiorem sui Effigiem ipse, quovis Apelle, Protogene, aut Myrone, (qui arte & industria sua etiam animarum imagines repraesentare conabantur) rectius delineavit. Tale autem illud est:

TALIS ADHUC JUVENIS LOTICHIVS, ADDERET ANNIS  
BIS DUO CUM NATUS LUSTRA DUOBUS, ERAT.  
IRA BREVIS, MODERATUS AMOR, PATIENTIA VICTRIX,  
INVIDIA PECTUS, CARMINA FELLE CARENT.

Completo apud Parisinam, & Monspeliensem, Academias, quadriennio, tentata etiam, belli sub discrimine, in Hispanias, non sine vitae periculo, peregrinatione, in Germaniam reversus, & a Stibaro honestissime dimissus, in Italiam perrexit. Illic cum primo Patavii pedem fixisset, mox, nascente pestis contagio, Bononiam petiit, sed cum damno suo. Quippe, hausto illic per imprudentiam toxico diu gravi cum aegritudine conflixit. A qua tandem liberatus, assumptis in Arte Medica supremis Doctoratus titulis, Italiae longum vale dixit.

Sic denuo in Germaniam, & quidem Franconiam patriam, reversus, denuo gravi, & quidem duplici, moerore affici coepit. Cum, quod Magnificum virum, Daniele Stibarum, interea morte surreptum, amisisset. Tum quod Melchior Zobellus, Episcopus Herbipolitanus, Franconiae Dux, a factiosa & nefaria manu intra urbem, & Principatus sedem, trucidatus esset. Illi igitur, ceu patrono, de se bene merito, Elegia honestissime parentavit. Hujus vero necem, utique amici, & commilitonis nuper conjunctissimi, parricidalis manu, etiam intra moenia Anno M. D. LVIII. xv. Aprilis, perpetratam, lugubri, at cordata, Oratione prosecutus est. Quam quidem e Simonis Schardii lib. III. Historiarum, cujusmodi in gubernationem Ferdinandi I. Imperatoris incidere, alibi produximus.

Hoc pacto de Francica Nobilitate bene meritum dum in patria retinere laborant amici, commodum evenit, ut, pro suscipienda Medicinae professione, ad Academiam Heydelbergensem honorifice vocaretur. Quo publico dum ille, summa cum laude, fungitur munere, accidit, ut deinceps eum, pro eadem, publice tractanda, Medicinali Professione, solemniter invitaret quoque Academia Marpurgensis. Sed ille pristina in functione perstitit. Et paulo post, eodem fere mense, ac die, quibus hanc in vitam intraverat, vitam pie terminavit Anno M. D. LX. VII. Novembris, aetatis xxxii.

Inopinatum, ac praecocem tanti viri obitum omnes per Germaniam graviter tulere literati. Eo, quod esset, ad exemplum, Hagio teste, amabilis, & Poëta sine pari. Phil. Melanchthon hunc Lotichium, adhuc adolescentem, nominavit Academiae Witebergensis ornamentum. Jacobus Augustus Thuanus illum, secundum Eobanum Hessum, vocat totius Germaniae Poëtarum praestantissimum. Sed rectius, & accuratius Joachimus Ca-

Camerarius etiam Eobano Heffo, etiam Georgio Sabino, adeoque indifferenter omnibus, excepto nemine, praefert Lotichium. Hunc eundem, post Tibullum, a quindecim seculis, Hilarius Cantiancula ponit sine pari. At nos, (pace tantorum Autorum!) secundum Ovidium, cui cedit noster, etiam ipsi Tibullo anteferendum censemus Lotichium. Accedit, hunc vere vatem, vere divinum, fuisse. Dum urbis Magdeburgensis halosin- & superioris Belli Germanici trigesimalis illius historiam, longe ante, tam quam ex tripode, quod dicitur, non tam praedixit, quam praescripsit.

Illustris vir, Erasmus Neustetter, dictus Sturmer, Equ. Francus, & Praepositus Chomburgensis, tale Petro Lotichio Secundo condidit Epitaphium.

*Hoc fitus est tumulo LOTICHIVS ille SECUNDUS,  
Carminē qui primus, primus & eloquio.  
Virtus, ingenium, multa experientia, si quid  
Carmina docta valent, vivere dignus erat.  
Sed, quia cuncta rapit fatum, pia membra quiescant  
Molliter, ipse animus astra petita tenet.*

Idem eidem sequens condidit Monumentum:

D. O. M. S.

*Petro Lotichio Secundo, Artium & Medicinae Doctore, Poetae clarissimo, celeberrimae Heydelbergensis Academiae Professore, Viro eruditione, integritate, constantia, prudentia, ac omni virtutum genere, primo praestantissimoque. Qui annum XXXIII. vix attigerat, Id tamen ingenii bonitate adeptus erat, ut in utroque scribendi genere, nemini hoc seculo facile cederet, & quod laudandum maxime, in re literaria, prodesse & vellet, & posset, in rebus omnibus candidus. Is quoque multis animi praeclaris dotibus multarum linguarum cognitionem addiderat, nec non aliarum rerum difficultium, variarumque usum, cum singulari quadam, in negotiis omnibus gerendis, industria junctum. Atque virtute duce, ita in lucem emerferat: Seque ipsum summos inter viros collocarat. Ut patriae ac sibi, magno jam ornamento existeret. Sed ut plerumque naturae excellentes fato a perfectione prohibentur. Sic ille, ardentissima paucorum dierum Febri afflictus, cum maximo omnium Literarum dolore, VII. Id. Novembris interiit, summum sui desiderium amicis post se relinquens. Ex quibus E. N. D. S., amicitiae, ac memoriae, ergo, H. M. F. & P. C. Anno M. D. LX.*

Confer Vitam Christiani Lotichii, Secundi fratris, ibidem.



( 172 )

EX EJUSDEM

JOH. PETRI LOTICHII

CENSURA SUPER POËTIS LATINIS

NOV-ANTIQUIS

SIVE

PROMULSIDE CRITICA.

C A P. XIII.

*De Petro Lotichio Secundo , Poëtarum Germaniae facile primo & principe.*

UT haec aetas , & quae instat posteritas , haud difficulter aestimare quita sit , habere nos , immo habuisse superiori seculo , inter litteratores , virosque alios , in omni facile honestae eruditionis genere , florentissimos , Poëtas itidem , cujusmodi cum veterum illorum Poëtarum optimis maximis , nempe Virgilio , Ovidio , Tibullo , & Horatio , nativa carminis bonitate , atque inusitata elegantia , quam proxime componi sustineant . Ecce ! hanc quoque in scenam criticam sisto , immo novis a me studiose auctum , ac mox tandem publicandum , accessionibus , produco Petrum Lotichium Secundum , Solitariensem , Francum , Poëtarum Germaniae facile primum , & principem . Ita enim illum confidenter appellare oportet . Sicut Elogia superioris , & hujus , aetatis virorum amplissimorum , ( qualia novae Editioni magno numero deinceps praemittere decrevimus ) fidem faciunt amplissimam .

Nolo equidem istuc injuriam facere sive Eobano Hesso , sive Georgio Sabino , Poëtis Elegiacis , inter caeteros , facundissimis , tersissimisque . Quorum carminibus , eleganti artificio elaboratis , lubens assurgo . Verum hoc saltem cum eminentissimo superioris illius aevi Philosopho , Joachimo Camerario Seniore , Papebergeni , profiteor , atque inculco . Futurum , si quis attentius legat , pensiculatusque excutiat , P. Lotichii Secundi divina ( prout Camerarius vocavit ) Carmina , dubio procul passurus fit ultro pluribus quidem in locis , Eobanum videlicet , & Sabinum , tam mira Carminis suavitate , artificio , compendio , pondere , quam elaborationis , exprimendaeque vetustatis , studio , ab illo superari . De quibus jam consulto prolixior non sum . Et ne forte Suffenus in Lotichianis illis , ipse Lotichius ,

chius, esse videar, ad Musas Lotichianas, parique passu ad censuras, ac judicia, virorum celeberrimorum, qui de re poetica sententiam ferre & possunt, & volunt, provoco.

Caeterum, e nostris illis additamentis, nova sub, eademque absoluta, Editione, patebit, superiorum illarum multiplicium Editionum inscriptionem, quae hactenus P. Lotichii Secundi Opera omnia asseruit, fuisse nimis largam. Praesertim, cum ea nunc adjiciamus, quae illius omnino sunt, hactenus fere suppressa. Sicut sunt Carmina nonnulla tam propria, quam adoptiva. Itemque Historia necis Melchioris Zobelli, Episcopi Herbipolitani, Epistolae, alia. In conquirendis vero Lotichianis Elegiis, Carminibusque, ceu vocant, adoptivis, merito, ac libenter, confiteor, me opera clarissimorum, optimaque notae, virorum apprimè adjutum esse. E quibus, honoris causa, nomino Hermannum Vultejum, Rodolphum Goclenium Seniore, Melchiorem Goldastum Heiminsfeldium, Dominicum Porcium, Francofurtensem. Joan. Thudium, Patavinum, Joan. Rodolphum Lavaterum, Tigurinum, Jo. Jacobum Grasserum, Basiliensem. Philippum Pareum, Palatinum, Conrad. Bachmannum, Hessum, Georg. Fabricium, Solitariensem, Artum Vigeliū, Wetteravum, Joan. Musculum, Solitariensem, alios. Quibus ob id solennes debeo gratias. Quod studiosos nostros, super augmentandis illis Lotichianis, conatus amice provexerunt.

Interim, non defuere, qui a me alias peterent, Vitam Lotichianam, a Joan. Hagio, Medico Franco, prolixè descriptam, ut compendifacerem, illam nimis fusam, immo taediosam, excurrere, caussantes. Verum enim verum, ita quidem ego domi meae sentio, semperque judicavi, unicuique autori sua, quae dedit, & quo modo dedit, relinquenda esse sarta testata. Ita ut unicuique suum constet studium, sua autoritas. Quod si quis maxime eo, dum honestis litteris operam praestat suam, reprehendi posse videatur, id fieret, salvo nihilo-minus auctoris contextu, respectuque. Ubi enim verba alterius aut truncare, aut recidere, aliaque interjungere, alicui videbitur operae pretium, per fidem, istud mihi neutiquam probatur institutum. Qui malo auctori cuiuscunque sua esse propria, incorrupta, atque inviolata. Quam ut alterius viri boni labor lacerari debeat. Si enim autor aliquis, velut antea attingi, culpari merebitur, quis, te rogo, non videt, hoc extra scriptoris contextum, ac verba, peragi oportere? Ut discrimen extet, quid inter autorem ipsummet, & scholiastem, intersit. Consultius proinde judicavi semper, Clariss. optimi, viri, Joan. Hagii illius historicam Vitae Lotichianae narrationem, integre, prout est, & ab ovo, ut ajunt, proponendam esse. Quod ab illo hac in parte praestitum Lotichiano nomini honorem, juxta cum viris aliis eximiis, Lotichiorum amantibus, non nisi dissuaviari debeam.

De caetero, si quis Lotichii hujus vitae compendiariam amat, ille ad Simonis Sthenii, Lomacensis, itemque Melchioris Adami, aut nostram, quam superaddimus, descriptionem, sese conferat. Quatuor enim, sive quinque diversas, narrationes, ad Lotichii Secundi honorem plenius facientes, de industria proponere allubescit. Ut, si cui in transcurso velut,

ac perfunctorie , rideat Lotichianam hanc delibare , is ad Sthenii compendiarium defleat. Sin vero alter interiorem, atque uberrimam, vitae ejus cognitionem desideret, luculentam Joan. Hagii narrationem depopuletur. Mediam hos inter viam ingressuris satisfaceret aut gemina Melch. Adami, aut nostra quoque delineatio.

Inter haec, ne forte longiorem hic praetexam, tamquam in operis ipsius limine, praefationem. Agedum, exemplo caeterorum Poëtarum nov-antiquorum, scenam in hanc criticam productorum, de erroribus quoque, sive dubiis, dispiciemus. Cujusmodi sub divino, & maxime emaculato, Lotichianorum Carminum opere, nobis occurrunt. Omnino autem praeexcusandus nobis tersissimus Poëtarum videtur P. Lotichius Secundus noster, dum ipse immatura nimis morte praereptus, ultimam manum non imposuit illis, quae secundum Ovidianum,

*Emendaturus, si licuisset, erat.*

Unde, inter caetera, tot lacunae, atque hiatus, extant in Elegiis aliquammultis. Quibus de alias mentionem olim peregit Joach. Camerarius, ejus aetatis philosophus consummatissimus. Praedicatque candorem fratris Christiani Lotichii, avi nostri. Qui illos defectus, tamen ab erudit-  
tis admonitus, explere noluerit. Rectius, ante nos quoque, olim censentis, sua auctori suo relinquenda, ac conservanda, esse.

Absque dubio igitur in operas typographicas mendum unum, alterumque cudi queat. Qui (mirum?) quam autores, alias emendatissimos, saepenumero naevis suis prostituunt. Quo major hic excusationi futurus est locus, dum, post auctoris fata, amicis procurantibus, haec demum publicari coepere opera. Quanquam vero tam expedita, elaborataque, ac rara, elegantia, pleraque ne dicam Lotichiana omnia sint conscripta. Ut, si maxime marmori, atque aeri, sempiternae memoriae ergo, forent incidenda, certe aetatem, ac canitiem, ipsamque aeviternitatem, ferre possint. Nihilominus tamen pauca notamus, quae quidem castigatione digna occurrunt.

Ex quibus fallor? an Grammaticis aliquid desideratur in his. Quae habentur lib. II. Eleg. X.

*Et modo Massiliae portus miramur, & altas  
Puppibus antiquum Staecbadas hospitium.  
Phocaicosque sinus: Et qui laetissima sulcat  
Arva, Pyrenaeis montibus ortus, Atax.*

Quo quidem loco pro qui legendum videtur quae. Ut ad arva sit relativum.

Sic, lib. IV. Eleg. V. v. 59. typosetae error animadvertitur:

*Et cineres idem, quod terras, aequora, coelum  
Conteget*

Equi-

Equidem pro *τῷ idem*, in neutro genere usurpatum, cujus prima regulariter est correpta, substituerem *id idem*, vel *iiidem*. Parissime, super hoc dubito Pentametro, lib. iv. Eleg. ult. ad S. S. Spiritum:

*Cuncta sui reddens regna vigoris ope.*

Ego sic legerem:

*Cuncta sui reddens plena vigoris ope.*

Clariff. memoriae nuper Philosophus, philologus, & Criticus, Rodolphus Goclenius, Senior, me superioribus annis tam coram, quam litteris, hoc de Lotichiano monuit. Quod irrepsit ad Georg. Schetum, Carm. lib. i. p. 145.

*Memor ruentis patriae, beu calamitas!*

Goclenius, citra legem, hic secundam in *τῷ calamitas* produci, aiebat. Quae alias, quod a *calamo* descendat, natura esset brevis. Interim Dominicus Portius, poëta Elegiacus eruditus, judicabat aliter. Poëtamque Lotichium suo more, ut omnibus fere praeponere, ita hic defendebat. Regerebat autem, poëtam in *calamitas* secundam haud produxisse. Quod in Carmine senario id genus saepe numero ab aliis ad finem quoque ante ultimam ponantur tres correptae, sicut hic. Si itaque diphthongus in ultima *patriae* non elidatur, in quintam regionem ita dactylus incidet:

*Memor-ruen-tis pa-triae beu cala-mitas.*

Substituerem ego, pro *calamitas*, *τὸ malignitas*.

Lapsus typothetae priori sub Carmine, ad Schetum eundem, facile apparet in his.

*Padipe ripis inambulans, ignobili.*

Legendum enim sic est:

*Padipe ripae, inambulans, ignobili, &c.*

Eodem modo, extra auctoritatem, antepenultima in *τῷ memoriam* producit hoc hendecasyllabico, Carmin. lib. ii. ad Joan. Hagium, p. 169.

*Conserve memoriam Secundi.*

Ququam autem, apud trivialis monetae poetas, non raro secunda in *memoria* aliquando producta occurrere amet. Interim Lotichio, gravi, & praecipuo, Poetae, eque recentioribus classico, necdum ociosis, ac frigidis, licentiis utenti, hoc pacto satisfieri non posse, arbitror. Lego itaque, cum Goclenio, ita:

*Esse baud immemores juvet Secundi.*

( 172d. )

Atque haec duo postrema primum nobis monstravit Goclenius, amicus, & Praeceptor. Excusabat autem ipse, tum septuagenario major, Lotichium nostrum. Cujus tanquam primarii sui seculi poetae Musam, fere incomparabilem, ex merito satis se depraedicare vix posse, deponebat. Interim ipsum illum, praecoce fato praereptum, editionem neque procurasse, neque emendasse, differebat. Ut etiam ad Hendecasyllabica, in juventute effusa, rarius accederet, aut vix curioso oculo relegeret. Elegias enim, Eclogasque, illius, prout sunt, ita quidem elaboratas esse, confirmabat. Ut illis nemo facile limam afferre, ac ne par quidem facere posse, videatur. Haec de Goclenii illius judicio haftenus.

Interim, multo plura, ac non toleranda, sphalmata lectori, rei poeticae gnaro, occurrabunt. Sicubi Conradi Celtis, Eobani Hessi, Ulrici Hutteri, Jul. Caesaris Scaligeri, Jani Pannonii, Jacobi Micylli, Joan. Stigelii, Joan. Posthii, Pauli Melissi, Joan. Schofferi, & nuper Nicod. Frischlini, Friderici Taubmanni, Jo. Jacobi Grasseri, aliorumque, non minus elegantium, sed haud accuratiorum, poetarum opera diligenter inspiciat. De quibus per ocium videbimus. Ex illis autem Sabinus, & Lotichius, respective, tanquam in suo genere regnantes, aut nullis ferme, aut paucissimis, erroribus tenentur. Qui quidem viam, quae veterum, Ovidii, inquam, & Tibulli imitationem, veraeque elegantiae artificium, deducit, unice calcant, & praemonstrant.

Neque ego denique dubitare velim. Quin brevi aliquando futurum sit, ut aliquis emaculatissima Petri Lotichii Secundi opera, antiquitatem apprime sapientia, tanquam vetustos illos poetarum optimorum antecessores, Catullum videlicet, Virgilium, Ovidium, Tibullum, Horatium, Propertium, Claudianum, Aufonium, aliosque, notis, atque interpretamentis, illustrare velit. Hic enim (mirum!) e caeteris fere recentioris aevi poetis omnibus, veri ac gnesii Vatis partes obire visus est haftenus. Dum flebilem Magdeburgensis Civitatis illius ad Albim halosin, longe ante tanquam e tripode, vaticinatus praedixit. Quibus de alias. Et suo loco.



VITAE

( 172 e. )

V I T A E

# PETRI LOTICHII SECUNDI

\* D E S C R I P T I O A L T E R A ,

A U C T O R E

MELCHIORE ADAMO, SILESIO.

**S**olitariis, oppido ad Drusi montem sito, in Hanovica ditione, natus est Petrus Lotichius Secundus, anno Christi millesimo, quingentesimo, duotriceſimo, die Novembris ſecunda. Parentes habuit honeſtos,

*Divitiae quorum meſſis & arbor erant.*

Qualis ſiderum hora natali fuerit poſitus, unde iudicium facere de vitae curriculo Mathematici aſſolent; deſcribit ipſe elegia de ſuo natali hiſce verſibus: lib. II. El. VIII.

*Cingite Pieridis viridi mea tempora myrto;  
Aut maris ornatas rore ligate comas.  
Lapſaque ſub terras (nam vos meminiftis) & orta,  
Tempore natalis ſigna referte mei.  
Flava pruiſoſas Aurora ſugaverat umbras,  
Enixa eſt utero cum pia mater onus.  
Scorpius Eoo ducebat ab orbe recentes,  
Purpureum ſcandens aethera, Solis equos.  
Et matutinos Cyllenius ante jugales  
Utile carpebat, Ploiaſe natus, iter.  
His comes, o pelagi ſurgens natalibus undis,  
Alma caſiſtratas Cypris agebat aves.  
Poſt hanc Phyllirides, iaculis armatus, & arcu,  
Et, coeli, Aegoceros, qui iacet ante fores.  
Et puer Iiades, & amantes flumina piſces,  
Et quibus hic Boreae proximae, ille Notus.*

*Fulva*

\* Alteram hanc vitae Lotichianae Deſcriptionem per Melchiorẽ Adamum, quae in MS. exemplari, a Joh. Petro Lotichio ad editionem adornato, deſiderabatur, addere hic placuit ex Ejus Vitis Germanorum Medicor. pag. 49 & ſeqq. Quam enim ſupra exhibuimus, legitur in ejusdem vitis Germanor. Philoſophor. pag. 96. & ſeqq. Haec licet poſt primam Adami enarrationem vitae Lotichii ſequi debuiffet, deſcriptis jam per typographum praecedentibus foliis, & Adoptivorum nonnullis. demum me advertit, itaque eam malui loco non oportuno, una cum Cap XIII. Promulſidis Criticae Joh. Petri Lotichii, quod modo praecediffet, potius inferere quam totam omittere; quae etiam cauſa eſt. cur ejusdem paginae numerus elementis additis hic aliquoties geminetur, ne Bibliopola, reſeſſis ac denuo recuſis foliis abſolutis, inpenſa inutili oneraretur.

( 172 f. )

*Fulva sequebatur, Pbryxum, Pbryxique sororem,  
Per mare quae nitido vellere gessit, ovis.  
Torva laboriferi gradiens per cornua Tauri;  
Falcifer occiduo stabat in orbe senex.  
Hinc cum fratre pio, felix concordia, Pollux  
Ibat, ubi sedes mors habet atra suas.  
Iuppiter Herculei lustrabat terga Leonis?  
Iuppiter in medio laetus bonore polo.  
Saevaue ne rigidus tentaret praelia Mavors:  
Ultimus, & duro carcere clausus erat.  
Sic vaga per coelum Diis astra volentibus ibant:  
Dulcia qua vitae munera luce tuli.*

Secundi nomen sibi adscivit discriminis causa; cum patrum haberet cognominem, Solitariensis monasterii antistitem, patrum inquam cognatione; animo revera patrem. Hic enim ubi puerum mirifica virtutis indole praeditum perspexit: alendum & in literis erutiendum suscepit: ac primum Jacobo Micyllo, ludi apud Francofurtenses tunc moderatori, eum commendavit: cujus industriam, doctrinam, & fidem Lotichius in elegia funebri depraedicat; ubi inter alia haec sunt:

*Ergo quod Aonii secretas fontis ad undas,  
Plena puer Pbobo pocula dante, bibi:  
Longius & cultos Sopbiae digressus in hortos,  
Florida de lauro ferta virente tuli:  
Me fateor debere tibi: cinerique rependam  
Omnia, quae pietas suadet amorque, tuo.*

Ufus est etiam praeceptore adolescens Joanne Pedioneo Rheto: poetices & oratoriae Ingolstadtii postea professore. Francofurto de patris consilio Marpurgensem in Academiam se contulit, vixitque apud Joannem Hiltenbrandum Ictum, contubernalem nactus Joannem Hagium, Francum, medicinae postea doctorem, & fidelissimum per omnem vitam amicum.

Hic cum animum doctrina & Philosophiae cognitione eleganti expolisset, patruo sic volente, in Saxoniam ad audiendos principes ejus aevi viros Melanchthonem & Camerarium abiit. Verum cum paulo post a Principibus ad saga itum esset: & Germania bello arderet: scholis dissipatis Lotichius cum aliis tribulibus, Melchione Zobelo, Joh. Alto, Acontio, Varo, militiae nomen dedit, atque in castris Joannis Friderici Electoris Saxoniae laborem militare perpeffus fuit: id quod haec carmina ejus innuunt: lib. 1. El. 2.

*Nec mihi fit damno, quod me lacrymosa coegit  
Praelia deserto Mars Helicone sequi.  
Non ego supposui tectis insontibus ignes:  
Facta nec injusta est dextera caede nocens.  
Et licet ad magnos victoria flexerit hostes,  
Arma tamen causa pro meliore tuli.*

Ab

Ab armis deinde de libros reversus, aliquantisper Erphordiae egit: inde Wittenbergam ad Melanchthonem rediit: cumque eo conjunctissime vixit; ipsoque sic volente, philosophicorum honorum ornatus est insignibus. Hic cum a patruo domum revocaretur: Joachimus Camerarius, studiis doctrinaque adolescentis delectatus, Danieli Stibaro equiti Franco nobilissimo, & literarum Maecenati summo abeuntem commendavit. Cumque facilis sit commendatio bonorum, ipse brevis consuetudinis usu hoc consecutus est: ut Stibarus deductum illum ad se gauderet, omnique modo ornandum statueret. Itaque propinquis suis, in quorum spem sumtus non parvos impendit, Lotichium praefecit, praeceptorem ac magistrum: & in Galliam tanquam ad mercatum bonarum artium cum illis ablegavit. Ibi cum partim Lutetiae Parisiorum, partim Agathopoli, quae hodie est Monspessulanus, partim in aliis Galliae celebrioribus oppidis quadriennium exegisset: per Allobrogum fines & Helvetiam reversus in patriam est cum suis, anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto. Quantis autem & quot periculis in peregrinatione ista literaria cum suo comitatu expositus fuerit: alibi exposuimus verbosius, ex narratione de vita Lotichii ab Joanne Hagio contexta.

Caeterum Lotichius domum reversus, ut colophonem studio medico adderet: in Italiam, sumtus suppeditante eodem Stibaro, profectus comite Joanne Hagio, Patavii primum substitit: ac inde Venetias, in sinu Adriatico urbem principem, crebro excurrit. Audit Patavii medicos magna cum voluptate, viros doctissimos; & Robertellum historias ac Aristotelem interpretantem. Inde ipse ad Georgium Sabinum: lib. III. El. IV.

*Forſan & haec inter noſtri tibi mutua cura eſt:  
Quicque ſedens Veneto littore, quaeris, agam?  
Scilicet hic obitus rerum contemplor & ortus,  
Et quibus e cauſis ordine cuncta fluant.  
Et diſco, quicquid medicos mare gignit ad uſus,  
Quicquid & omniſero terra benigna ſinu.  
Saepe juvat Solem gelida vitare ſub umbra:  
Multaque de plantis arboribusque loqui.  
At me praecipue felix delectat Hyacus,  
Et platanus, manibus conſita, Bembe, tuis.  
Nam platanum Bembus, patriae non immemor, olim  
Traſtulit e campis Sicelis Enna tuis.  
Saepe levi remo Venetas luſtrare paludes,  
Saepe libet totos ducere rure dies:  
Solarique aeſtus in gramine, ſicubi forſan  
Laurus odoratas explicat alta comas.*

Glifcente autem sub id tempus pestis contagio: ipse Bononiam, studiorum jam olim matrem, se contulit. Quo loco possumus dicere, quod apud Poëtam Dido de adventu Aeneae queritur:

*Felix, beu nimium felix, ſi littora tantum  
Nunquam Dardaniae tetigiffent noſtra carinae!*

Z\*

ita



ita felix fuisset, Deo volente, hic noster, si Bononiam numquam venisset. Nam cum ibi nobili quodam Bavaro, Canonico Monacensi, contubernali uteretur: cepit Canonicus amare foris, quod domi habebat. Id hospita animadvertens, *Medea animo aegra, amore saevo saucia*, permoleste tulit; juvenisque amorem delenimento, seu amatorio poculo, sibi conciliare est aggressa, idque hoc modo. Apposuit aliquando duobus illis juscula, ac de more gentis singulis singula. Ibi cum Lotichio pinguius, nobili inacrius, sed intoxicatum praebitum esset: ille qui a pinguibus natura abhorreret, suum jus cum alterius commutat. Verum simul ac forbere cepit, vim veneni sensit: defectione animi concidit. Mox furibundus arma rapit: stricto gladio contubernalem invadit. Post paululum ad se reversus, hausto oleo olivarum partem veneni vomitu rejecit. Inde febris maligna corripitur: quae cum abiisset, & capillus & unguis deciderunt: animoque ac corporis habitu mutatus apparuit. Ac remanserunt mali reliquiae, dum vixit. Nam quotannis sub autumnum recruduit vis mortiferi veneni, cum quadam deliratione & febris. Vigilandum itaque est semper peregrinantibus, praesertim illis locis, ubi multae insidiae bonis.

Eodem circiter tempore, quemadmodum nulla calamitas est sola, amissit Lotichius Daniele Stibarum, Maecenatem suam: cujus immaturum obitum, cum quinquagenario major non fuerit, ut lacrymis deflevit calidis; ita virtutes & merita ejusdem elegia eleganti celebravit: quam omnino hoc disticho clausit:

*Sit tranquilla tibi requies spesque inscia luctus:*

*Jamque vale: manes subsequar ipse tuos.*

Haud longo etiam intervallo post vita functi sunt duo illius Stibari fratris filii, Henricus & Martinus: quorum in Galliis Lotichius fuerat ephorus.

Caeterum casu tanto monitus iter Italicum abruptit; ac Doctoris Medici titulo, de amicorum potius, quam suo consilio, ornatus, praepropere in Germaniam rediit. Hic cum & a praefule Wurceburgico, & Sturmiero unice expeteretur: illustrissimus Princeps Elector Otho Henricus, Heidelbergam, ut ibi artem medendi doceret exerceretque honorifice eum invitavit. Lotichius & Principis autoritate & loci celebritate motus, annuit; eoque venit anno millesimo quingentesimo duodesexagesimo. Vixit ea in Academia, dum vixit, principibus commendatus, collegis jucundus, civibus Academicis utilis. Interea etiam Marpurgum, Cattorum Academiam inclutam, fuit evocatus: sed prima in provincia substitit, Deoque & sibi, & Musis coelebs vixit.

Sed ut plerumque naturae excellentes fato a perfectione prohibentur, & juxta Latini Tragici pronunciatum,

*Res Deus nostras celeri citatas*

*Turbine versat:*

idem in hoc nostro heu nimis cito est completum. Morbo enim illo de more redeunte, febris ardente consumtus, placide ultimum vitae diem clausit Heidelbergae, anno millesimo quingentesimo sexagesimo, die septimo Novembris: cum annum aetatis trigelimum secundum attigisset; & Melanchthoni eodem anno non multis ante mensibus defuncto, elegia scripta, parentasset. Elatus est, funus procurante Joh. Posthio, humeris

humeris octo artium bonarum Magistris , & ad D. Petri sepultus sine monumento , quo non opus habuit.

Poëmata triennio post auctoris mortem a Joachimo Camerario collecta & publicata sunt ; fidem apud posteritatem factura , quid ab illo expectari debuerit , si longiorem ei vitam Deus annuisset. In medicis nihil , quod sciamus , editum ab ipso est , praeter theses Heidelbergae in medicorum acroaterio discussas , ut de concoctione , respondente Rascalono , & aliis.

Obitum viri ut doctissimi , ita memoria sempiterna dignissimi , lacrymis funeralibus & carminibus epitaphiis deplorarunt viri ejus aetatis clarissimi , quae elegiis Lotichianis adjuncta. Nobis unum saltem de illis adscribere visum est D. Georgii Cracovii J.C. quo curriculum ejus perstrinxit : estque hujusmodi epitaphium :

*Ossa sub hoc tumulto sacri sunt condita vatis  
Lotichii : tener at spiritus astra colit.  
Occubuitque novem decus immortale sororum  
Maxima Pegasidum fama sepulta jaces.  
Probi quantum ingenium dulcedo quantaque morum  
Sedit in illius pectore , nata D E O.  
Doctrinae studiis teneris excultus ab annis ,  
Ingenii fructus mox dedit ipse sui.  
Ad ter quinque suos nondum pervenerat annos ;  
Cum tibi discipulus , docte Miculle , fuit.  
Tunc tamen argutos norat conscribere versus.  
Quales Naso tener , tuque Tibulle , canis.  
Post vigor ingenii crevit crescentibus annis ,  
Nec contenta suo pondere Musa fuit.  
Italiae primas illi tribuere poëtae ,  
Illi visa utinam non ea terra foret !  
Cessit Flaminus , concessit Cottaque palmam :  
Castalon multo visus es inferior.  
Hanc praeter laudem fausto quoque sidere Doctor  
Ille Macbaonia claruit arte potens.  
Amplius baud talem natura effoeta poëtam  
Proferet : ad finem nam ruit iila suum.  
Ergo qui transis , tam docto mollia vati  
Optes fata ; brevi macbina celsa cadet.*

Moribus fuit candidus , modestis , jucundis ; affabilis omnibus : in amicitia constans : diligentia singulari ; ut qui a teneris circa lectulum libros habuerit , etiam de nocte commentandi causa : fortitudine bellica & philosophica insignis : irae tamen tenacior. Et quemadmodum ipse mordaci carmine perstrinxit neminem , ita & a nemine est laesus : vixitque secundum symbolum suum : SIMPLICITER SINE STREPITU.

Haec de Lotichio perhibent J. Hagius Med. D. in narrat. de vita Lotichii : item poëmata ipsius Lotichii : Jacob. August. Thuanus lib. xxvii. Historiar. Plura de eo qui desiderat , adeat vitas Philosophorum Germanorum.

PETRI

**PETRI LOTICHII SECUNDI**

**A D O P T I V O R U M**

**L I B R I I I I.**

QUORUM PRIMUS AMICORUM SALUTATIONES,  
S E C U N D U S F U N E R A L I A:  
TERTIUS DEFUNCTI ELOGIA,  
INTEGRIS CARMINIBUS DECANTATA,  
C O N T I N E T.

**C O L L E C T I**

**2**

**J O. P E T R O L O T I C H I O.**

PETRI LOTICHII SECUNDI  
A D O P T I V O R U M

L I B E R P R I M U S .

A M I C O R U M S A L U T A T I O N E S  
C O M P L E X U S .

---

C H R I S T I A N U S L O T I C H I U S  
S O L I T A R I E N S I S ,

A D

P . L O T I C H I U M S E C U N D U M ,  
F R A T R E M ,

D E O B I T U M A T R I S .

**E**cquis erit finis lachrymis? ô tristia fata!  
An mala non aliquem sunt habitura modum?  
In sua dum vertit sceleratas viscera dextras,  
Quam grave sustinuit Teutona terra malum?  
Cogimus innumeras ad bella domestica turmas,  
Spargimus & propria caede subinde solum.  
Debita nec patriae pietas praestatur ab ullo,  
Turpiter audaces ad mala nostra sumus.  
Et vacuas aedes, segetesque tenemus adustas,  
Et nostrae a nobis diripiuntur opes.  
Saepe fit, ut fratres, contraria signa secuti,  
Alter ab alterius mortuus ense cadat.  
Saepe pater clausa natis simul urbe relictis  
Sustinet infandam, raptus ab igne, necem.  
ô Populi miseram sortem, patriaeque ruentis,  
Cujus in excultos irruit hostis agros!

Y 3

Quis-

Quisquis es, hunc saevo qui milite concutis orbem,  
 Ponis & in patrio Martia castra solo:  
 Te scelerum ultrices Furiae, te pessima semper,  
 Vindex infandae fraudis, Erynnis agat!  
 Natus ad interitum populi, patriaeque videris,  
 Perfidiae paenam, perfide, quando dabis?  
 Hei! poterat domitis auferri Thracibus Helles,  
 Et Rhodus, & Pelopis regia, nostra forent.  
 Si, quae civili ceciderunt agmina dextra,  
 Movissent rigidis fortia bella Getis.  
 Sed, quid in has demens frustra prorumpo querelas?  
 Vos adeo vestram pergite Fata viam.  
 Interea lachrymas nos fundimus, atque dolemus  
 Plurima per multos funera facta dies.  
 Utque tot omittam: Tua nunc, charissima mater,  
 Frigida per moestum colligit ossa thorum  
 Scilicet illud erat, quod neptis humata biennis  
 Indicium subita flebile morte dabat.  
 Neptis adhuc aviae, dum viveret, intimus ardor,  
 Vix bene molliculos ducere docta pedes.  
 Sic igitur semper fatis agitabar acerbis,  
 Haec mihi fatali stamina ducta colo.  
 Bis duo compleram vixdum septennia vitae,  
 Moestus ubi vidi tristia fata patris.  
 Ingenuasque sequor doctae dum Palladis artes,  
 Difficili longas fecimus orbe vias.  
 Nam quater incaluit rapidis fervoribus aestas,  
 Arva Palatinae dum colo juncta Scholae.  
 Venimus ulterius, qua tardus plaustra Bootes  
 Non procul a summo ducit itura polo.  
 Vidimus ad motum stagnantia flumina Lunae,  
 Ad solitum toties versa redire locum.  
 Ut taceam, quantis me fors inimica periclis  
 Fregerit, in cunctis Maste furente locis.  
 Sicut ubi ripis effunditur altior amnis,  
 Quem nix opposito monte soluta juvat.  
 Aufugit effuso fluitantia gurgite rura,  
 Collocat in iacta seque viator humo:  
 Sic ego, ne caderem sub iniqui turbine Martis,  
 Cogebam multis exul abire locis.

Militis,

Militis, ut taceam, quod tunc effugimus ensem,  
 Aptabat jugulo qui sua tela meo  
 Ille meis armis tamen est repressus, & ipse,  
 Tendebat nobis quod male, vulnus habet.  
 Incolumisque domum mox inde revertor, erantque  
 Matris ab adventu gaudia nata meo.  
 Officiis fessam studui lenire senectam;  
 Est nato matrem dulce videre suam.  
 Vana sed haec hominum sunt gaudia, mixtaque lactis  
 Saepius hora brevis tristitia multa tulit.  
 Nam miserranda parens, febrilibus obruta flammis,  
 Paulatim morbo concidit ulla gravi.  
 Tu tamen, externo dum vivis in orbe, Secunde,  
 Expers materni funeris esse potes.  
 Quae sibi dum sensit, fatalia numina, Parcas  
 Stamina consumpta rumpere velle colo,  
 Te vocat absentem, solum suspirat, & optat,  
 Sublataque iterat nomina voce tua.  
 Atque ita: prima mei felix fors mascula partus,  
 Dulce mei senii, nate, levamen, ubi es?  
 Cum mihi jam restent bini, cumque unicus astat,  
 Consecratae gratam qui mihi praestat opem.  
 Cur tibi, cum reliquis referam mandata suprema,  
 Non etiam possum dicere, nate Vale?  
 Nate vale, cum fratre, meis diuturnior annis,  
 Inque dies crescant nomina vestra magis!  
 Dixit: &, astantes ad nos conversa, jubebat  
 Juncta piis precibus solvere vota Deo.  
 Audiit, & membris animam subduxit, & ipsi  
 Donat, ut aetherea vivat in arce, Pater.  
 At tu nec miserae morienti lumina claudis,  
 Nec pia defunctae justa parare potes.  
 Verum moesta soror mecum, cum conjuge moesto,  
 Rite parentales apparat exequias.  
 Illa comas laniata, manu sua pectora tundens,  
 Incusat Superos, se miseramque vocat.  
 Liquitur, ut cum vere novo spirantibus Austris,  
 Instar aquae tenuis, nix resoluta cadit.  
 Sed neque per lachrymas, aut, tristitia munera, questus  
 Mater in hanc poterit viva redire diem.

Nos

Nos vero coelum, cui te Deus intulit, aequae,  
 Post pia supremo tempore fata, manet.  
 Patria vera polus! Superest spes omnibus ista:  
 Frangitur aerumnis caetera vita suis.  
 Obvius hic veniet conjunx tibi, funere laetus  
 Exutam cunctis te superesse malis.  
 Adducetque manu natum: quem funere mersum  
 Fata peregrino supposuere solo.  
 Larga novem dederant puero cui dona sorores,  
 Plena duo vitae vix ubi lustra facit.  
 Ipse tibi binas neptes, parvumque nepotem  
 In gremio faciet ludere, ut ante, tuo.  
 Fata tibi aeternae pepererunt gaudia vitae,  
 Cara parens, haec te duxit ad astra via.  
 Nos tamen, hei! vobis utrisque parentibus orbi,  
 Prosequimur lachrymis funera vestra piis.  
 Dum licuit, pietate graves vixistis honeste,  
 Et senium canos fecit utrique suos.  
 Et vobis, si fata favent fratrique mihiqae,  
 In nobis etiam pars quota laudis erit.  
 Vestraque contiguis recubant velut ossa sepulchris,  
 Sic animas coeli jungat in arce Deus.

I D E M  
 I N N A T A L E M E J U S D E M  
 P E T R I L O T I C H I I S E C U N D I ,  
 F R A T R I S .

**C**are mei fratris properans Natalis ad ortus,  
 Candidus Eois exoriare vadis!  
 Ecce! tibi cingo fertis florentibus aram,  
 Thuraque odoratis addo cremanda focis.  
 Subque reverfurum tibi debita sacra quotannis  
 Candidus in nivea veste parabo diem.

Accipe

Accipe dona libens, & multos concolor annos  
 Ad tua felici lumine sacra redi!  
 Quisquis ades, dulci conjunctus amore Secundo,  
 Solve Deo mecum per pia vota preces!  
 Vivit ut externo dum frater in orbe Secundus,  
 Decurrant soliti fata tenoris iter.  
 Sive tenes ipsum nunc Gallia, Sequana cujus  
 Lata vagabundo flumine rura fecat:  
 Et bifido veterem Regis circumfluit urbem  
 Amne, suas postquam Matrona junxit aquas.  
 Seu nunc Hesperias ultra concessit in oras,  
 Depopulante tuum, Gallia, Marte solum.  
 Aut ubicumque suae decurrit tempora vitae:  
 Parca trahat plena fortia fila colo!  
 Hei! timeo, dubiaque tremit formidine pectus,  
 Utque magis timeam, gensque locusque facit.  
 At tu, Christe, Dei soboles, mundique Redemptor,  
 Edite de pura virgine verus homo!  
 Discute, sollicitant animum quae fratris amantem,  
 Atque jube tepidos irrita ferre Notos!  
 Denique cum fuerit jam doctus in arte medendi,  
 In patrios reducem siste, precamur, agros.

I D E M E I D E M:  
 S U P E R A N N U L O S I B I  
 D O N O M I S S O.

Jam Latonia contrahit reflexa  
 Plenum cornua septies in orbem,  
 Ex quo carpis iter, procul jugosas  
 Gressus in Latium ferens per Alpes,  
 Jucundissime mi Secunde frater,  
 Plus dilecte mihi meapte vita!  
 Hinc nox nulla mihi diesque fluxit,  
 Qua non saepe tui recorder oris,  
 Haerentis mihi sensibus sub imis.  
 Cum Sol mane revertitur sub ortum,

Z

Nocturno



Nocturno vehiturque Luna curru,  
 Me desiderio tui flagrantem  
 Inter Piërias vident Camoenas.  
 Et tu me, nisi me meus fefellit  
 In te certus amor, tuis ocellis  
 Praeponis, rutilo & Tagi fluente.  
 Hoc nexu Annule triplici cohaerens  
 Testaris, mihi quem tulit revinctum  
 Ramo Piëriae recente Lauri,  
 Fratris mnemosynon mei Secundi.  
 Pro quo cum nequeam referre grates,  
 Quales par fuerat: solum, polumque  
 Et quodcumque boni latet sub istis,  
 Complectens animo, tibi vicissim  
 ô Dulcissime reprecor Secunde!  
 Nunc feliciter, & diu valebis.

C A S P A R P E U C E R U S

D E

PETRO LOTICHIO SECUNDO.

Μῦσαι ὀφείλατε ἴνδ' ἐστὶν ἡ καὶθεὶς? καὶ  
 Λαλῆχ'· ὅγῃ δ' ἰστέας ἀγρότερον.

*Hi versiculi praemissi sunt Eclogae Lotichianae de Viburno Venatore,  
 quae edita est Witebergae Anno M. D. LIV.*

H I.

HILARIUS CANTIUNCULA,  
 A D M U S A S,  
 D E  
 P E T R I L O T I C H I I S E C U N D I  
 E L E G I A R U M L I B R O S E C U N D O.

**M**usae, quae colitis sacros recessus,  
 Vestro nomine mī suum Secundus  
 Secundum aureolum dedit libellum:  
 Vestro quin etiam favore, vobis  
 Et praesentibus, alterum Secundi,  
 Illum (Jupiter!) aureum, libellum  
 Perlegi, subitoque devoravi.  
 Num vos judicium meum approbate,  
 Primum interposui quod, & secundum;  
 Quod non secula sexdecim secundum  
 A primo tulerint fere Tibullo,  
 Cultum qui magis exprimat Poëtam.  
 Musae dicite, si quid est, fuitve  
 Umquam cultius, elegantiusve!  
 Vos & reddite nunc suos Secundo  
 Divinos Elegos, eique rursus  
 Nostros Hendecasyllabos minutos  
 Commendate, sit ille ut his amicus  
 Primis more suo meis Camoenis.  
 Tunc vestro anteferam nihil favori,  
 Quae sacra colitis vireta, Musae!

A D E U M D E M  
P. LOTICHIIUM SECUNDUM:

D E F E S T O

D. C A T H A R I N A E.

**C**ras vicesima quinta lux Novembris  
Oratoribus , & sacris Poëtis  
Festum more pio diem reducit.  
Tu, qui Phoebum imitatus , ô Secunde,  
Lumen , fideris instar , es bonorum  
Vatum , cui citharam & suos lepores  
Dîi boni , & faciles dedere Musae!  
Quin dicis bona verba , te , Secunde,  
Talis tangit honos. Ego profecto,  
Immunis licet haud velim videri ,  
Oratoria , & ista , quae Poëtae  
Puris sunt manibus colenda , solus  
Illotis pedibus frequento sacra.

I D E M A D E U M D E M.

**Q**uae mî praemia pro meo libello  
Proponis , rogo , ne velis licenter  
Profanare : Novem tuae puellae  
Non cuivis hederas recentiores ,  
Et lauros , & Apollinis coronam ,  
Sacris , ut tibi , nutriunt in hortis.  
An tu non metuis probare carmen ,  
Quod non multa coërcuit litura ,  
Et non in melius subinde multa  
Dies rettulit , & morae , & labores  
Adjuvere ? Profecto , mi Secunde,  
Tanti non fuit excitare famam ,

Et

Et sacri pretium referre vatis.  
 Nam me fata alio vocant , & ipsae  
 Desertorem Aganippides puellae  
 Indignantur , & hoc ferunt moleste ,  
 Quod non praemia jam mei laboris  
 Exspectem , neque forsitan quid olim  
 Conferri poterat mihi , perenni  
 Fama persequar ; hunc quidem libellum  
 Victurum minime , sed esse quoddam  
 Infelicitis opus sine arte Musae.  
 Sed , quid tanta recolligo , invenusta  
 Versu incommoda ? Non ego laboro  
 Doctis vatibus inferi. Quod autem  
 Nunc prodire sino minuta quaedam  
 Ultra Carmina , sic habeto ! Quicquid  
 Olim forte probatius fuisssem  
 Perfecturus , & elegante cultu  
 Ornaturus , inelegante cultu  
 In lucem viridi in mea juvenia  
 Maluisse venire , in has Camoenas  
 Quam tum insumere de integro laborem ,  
 Rebus quando gravissimis dicatus  
 Isti non videor vacare posse  
 Incoepo mihi Carminum libello.  
 Ast haec pluribus undequaque verbis  
 Dixi multoties , pigetque causas  
 Me tam saepe referre. Jamque inanes  
 Depono calamos. Mihi licebit  
 Jam tandem studiorum inire longe  
 Diversam rationem , & avolare  
 Ad signa Imperialia , inque castris  
 Digna laude forensibus mereri :  
 Et sic Legibus , ut pater volebat ,  
 Magno cum studio applicare mentem.

*Hujus Hilarii Cantiunculae Hendecasyllaborum Liber  
 prodiit Venetiis Anno M. D. LV.*

JO. FABRICIUS MONTANUS,

TIGURINUS,

A D

P. LOTICHIUM SECUNDUM.

**R**edditæ, Petre, tuis mihi nuper epistola verbis,  
 Spem dederat, reddi te quoque posse mihi.  
 Sed quid speravi miser, aut quæ carmina finxi?  
 Non venis, a nobis longius ire cupis.  
 At quanti fuerat dextræ conjungere dextram,  
 Et mihi seu salve dicere, siue vale?  
 Scilicet extinxit veterem nova Gallia curam,  
 Plusque valet lacrimis Italis ora meis.  
 En! tibi cum lacrimis supplex mea brachia tendo,  
 Flecte, precor, cursus ad mea vota tuos.  
 Non ego te jubeo sævas accedere Syrtes,  
 Non maris iratum sollicitare fretum.  
 Ut venias, oro, mihi quem vicinia jungit,  
 Quid factururus eras, si via longa foret?  
 Nunc subit illius mihi tristis imago diei,  
 Quæ nos Saxoniciis ultima vidit agris.  
 Flebas discedens, (non hoc quoque, credo, negabis)  
 Et lacrimas inter singula verba dabas.  
 Sæpe vale dicens iterumque iterumque redibas,  
 Sæpe tuam comites increpuere moram.  
 Tecum, dicebas, (superet modo vita!) Fabriti,  
 Omne lubens magni metiar orbis iter.  
 Sic tu dicebas, sic credulus ipse vicissim  
 Attonito falsas ore bibi lacrimas.  
 Quinque sed interea messes, totidemque peregit  
 Cynthus autumnos, sextaque venit hyems,  
 Ex illo fortuna die manet aspera nobis,  
 Et tu jucundum, me sine, tempus agis.  
 Conjugis ante diem tristissima funera vidi,  
 Corpora natarum quattuor urna tegit.

Altus,

Altus, amicitiae mihi sancto foedere junctus,  
 Nunc etiam umbrarum caecum iter ingreditur.  
 Quam nihil humanis fas quemquam fidere rebus!  
 Altum Lethaeae ripa coërcet aquae.  
 Te tua vita manet, sed nostri nescia vita,  
 Nempe bibis vivo pectore Ditis aquas.  
 An, quod Apollo tibi Medicinae tradidit usum,  
 Nigraque te succis pellere fata putas?  
 Propterea veterem focium fastidis, Oresti  
 Qui tibi ceu Pylades cognitus alter erat?  
 Sunt mihi sunt herbae, fateor, sunt gramina cordi,  
 Et Regum titulis praefero ruris opes.  
 Tristia sed lentis componere pharmaca morbis,  
 Ars bona, sed studiis est minus apta meis.  
 Me juvat in silvis omnem consumere vitam,  
 Qua viret umbrosis arbor opaca comis.  
 Et procul ex alto fontes audire cadentes,  
 Aut gelidas imis vallibus ire vias.  
 Nunc placidum formosa sequi per gramina fomnum,  
 Quem crepitans leni murmure ducat aqua.  
 Nunc votiva sacris solventem carmina Musis  
 Arguta gelidum rumpere voce nemus.  
 His ego divitiis contentus, munera Regum  
 Possideo, nullas quamlibet inter opes,  
 Hanc etiam, memini, vitam laudare solebas,  
 Quo tua simplicitas tempore major erat.  
 Nunc, quia nobilium mensas & tecta frequentas,  
 Dissimilis studiis incipis esse tuis.  
 Si tamen herbarum quaedam te cura remordet,  
 Haec etiam regio fertilis esse solet;  
 Hic quoque sunt montes, sunt prata virentia rivis,  
 Multaque in irriguis nascitur herba locis,  
 Auraque coelestes gratissima temperat ignes,  
 Non sic Hesperii incubat orta jugis.  
 Illic, ut perhibent, serpentes arida tellus  
 Gignit, & abjectos quaelibet herba tegit.  
 Nulla sed Helvetiae citrus pubescit in hortis,  
 Raraque odoratam laurus obumbrat humum.  
 Quid tum? si calidis longe simul exulat oris  
 Febris, & arenti pallida membra siti.

Ista

Ista juvent alios ! Nobis felicia mala  
 Pomifer aestivis educat annus agris.  
 Sectaque mobilibus passim sunt gramina rivis,  
 Labuntur passim flumina littoribus.  
 Nec procera tamen graveolentes pinus amiētus  
 Conigeras abies non negat alta comas.  
 Quercus, & irriguis ulmus viret avia filvis,  
 Lariceaeque ferax arbor odora picis.  
 Sed quid ego causas nequicquam necto morandi,  
 Dum procul huc illuc missa tabella venit?  
 Tu juga nubiferae superas ventosa Pyrenes,  
 Aut Rhodani celeres remige findis aquas.  
 Quae te cumque tamen regio tenet, invida nobis,  
 Quum perarata meo pollice scripta legis.  
 Siste gradum, dictaque mihi, precor, ante salute,  
 Post reliquam dextro Numine carpe viam !

*Jo. Fabr. Montani bujus Carmina edita sunt Tiguri,  
 Anno M. D. LVI.*

JOAN. AURPACHIUS ALTANUS,

A D

P. LOTICHIIUM SECUNDUM.

Quam fortuna volubile  
 Ducit praecipiti nos per iter via!  
 Quam nostris aliud nihil  
 Usquam triste nisi rebus inest malum!  
 Quo te scilicet efferas,  
 Duro difficilis fors manet exitu.  
 Tetrum dira necessitas:  
 Adducit dubio fine periculum.  
 It luctus comes, & dolor,  
 Et funestarum agmina cladium.  
 Dum te stare putas, cadis,  
 Et pes sub tremulo pondere deficit.

Id

Id nos erudiit tuus,  
 Lotichi, tumido casus in Hadria,  
 Quem fero mihi vespere,  
 Narrasti patulas ante fores heri?  
 Vates mitis amat Deus,  
 Et parcit trepidis ipse clientibus:  
 Qui gratum resonant melos,  
 Divinisque canunt carmina laudibus,  
 Tu ventos aliis move  
 Iracunde truces Hadria! quos Deus  
 Dextra protegit ardua,  
 Illos Aeolii non lacerant Noti:  
 Illos non maris obruit  
 Tempestas, rigido percita turbine.

I D E M  
 DE C A R M I N I B U S  
 .  
 PETRI LOTICHII SECUNDI,  
 A D E U N D E M.

**I**nspexi semel, elegante versu  
 Quem scripsit tua Pieris, libellum,  
 Aspirantibus omnibus Deabus,  
 Sacro quas Heliconis in recessu  
 Tenent Aoniae fluenta lymphæ.  
 Illum, quaeso, remitte, tantum  
 Inspexi semel, & semel relegi,  
 Ut rursus inspiciam, & legam, libellum,  
 Da pulchros iterum videre versus,  
 Oro te per Apollinem comatum,  
 Qui versus tibi dictavit illos.

A a

E J U S.



## E J U S D E M A D E U N D E M,

## P R O P E M P T I C O N.

**I**mperioſe, truces qui ſpargis in aequore fluctus,  
 Et reſonas ſurdis, Aeole, littoribus,  
 Adverſis inſurge Notis, emitte furentes  
 Auſtros, & ventis Carpathium omne fremat,  
 Frugiferam vaſto qui concutit impete terram,  
 Perturbet falſas Ennoſigaeus aquas.  
 Eveniat, quodcunque moram, ne nautica pinus  
 Intempeſtivum per mare currat, habet,  
 Pars animi non parva mei Lotichius, aequor  
 Scandit, & a nobis hinc procul ire parat.  
 Aeolii properate Noti, fluctusque ſonantes,  
 Ex omni tumidum cingite parte fretum.  
 Non ut mite caput, dulcem aut feriatis amicum:  
 Hoſtibus eveniant talia vota meis!  
 Sed quia nulla poteſt ratio, nullique ſodales,  
 Fleſcere, ne non hoc tam grave carpat iter.  
 Officium imploro veſtrum, fluctusque, Notique,  
 Si qua movet pietas, injicitote moram.  
 Hoc abeunte, mihi non veris tempore flores,  
 Idaliisque dabunt lilia miſta roſis.  
 Pro viola rigidis creſcet paliurus in hortis;  
 Horrebit duris ſentibus omnis ager.  
 Arida maturas ſegetes non proferet aeſtas,  
 Grata nec autumnſi tempore vitis erit.  
 Poma nec abripiam primis pendentia ramis,  
 Ut mittam dominae munera grata meae.  
 Omnibus infelix lolium naſcetur in arvis,  
 Praecipuum ſterilis ſumet arena locum.  
 Ante diem laetas populatrix vivida frondes  
 Sternat hyems, ne ullis ſit decus arboribus.  
 Poſthac non myrtus me ſacra juvabit, & umbra, &  
 Quod ſalut e ſummo vertice murmur aquae.

Non

Non referamque cava Nymphae de rure sonanti  
 Verba unquam verbis, carmina carminibus,  
 Ergo (ô asperitas duri urgentissima fati?)  
 Omnia, Lotichi, te nihil ista movent.  
 Si nihil ista movent, lachrymis moveare necesse est,  
 Queis rigat humidulas fida puella genas.  
 Ecce! rubent oculi, diversos vertice crines  
 Injecta lacerat vis miseranda manu.  
 Aut igitur nobis, afflictæ aut parce puellæ,  
 Aut, si te prorsus nil retinere potest;  
 Effuge tantum æquor, tumidis ne te objice ventis,  
 Quod petis ex undis, id quoque terra dabit.  
 Expaveo, quoties hæc audio nomina dici,  
 Remi, undae, venti, navita, transtra, rates.  
 Insano qui se pelago committit, & Austris,  
 De vita leviter cogitat ille sua.  
 Qui classẽ Lybicus Trojanam vexit ab oris,  
 Submersus rapido (scis) fuit ille salo.  
 Ipse gubernator quamvis doctissimus esset,  
 Ac omnis, sciret, quo venit aura loco.  
 Heu! toties repetens gratos Leander amores,  
 Facta est angustæ mors tua crimen aquae.  
 Sed te nulla movent exempla, nec ipse moratur  
 Aeolus, & mediis addita faxa vadis.  
 Omnes immoto vultu meditaris eundi,  
 Nec dubii cursus terret imago, vias.  
 Sic tua fata volunt, fatis contraria, nemo,  
 Qui sapit, (ut fuerint aspera sæpe) facit.  
 Sta mare, state Noti, tristes secedite fluctus,  
 Ne resones ullis Aeole littoribus.  
 Mites aspirent Zephyri, ferus oppetat Auster,  
 Stet placidum ventis Carpathium omne suis.  
 Eveniat, quodcunque potest, ut nautica pinus  
 Per mare tranquillum currat ubique, dare.  
 Tu quoque, magne pater pelagi, qui fluctibus orbem  
 Concutis, & vasto gurgite cingis humum!  
 Sive colis ponti translucida regna profundi,  
 Altisonum superis qua mare stagnat aquis:  
 Sive tenebrosos diffulcas navibus amnes,  
 Pallida qua Stygios innatat unda lacus:

Piëria nobis jamdudum voce rogatus,  
 Dexter inoffenso nomine, quaeso, veni!  
 Quaeso, per auratum, quod territat omnia, sceptrum,  
 Et capitis trifidum per diadema tui.  
 Aeolio cohibe luctantes carcere ventos,  
 Ne ratis adverso concidat iëta Noto,  
 Te moveat vatum pietas, quae teque, tuosque,  
 Innumeris semper laudibus ornat avos.  
 Aurea quis nossset Saturni secula, cujus  
 Sanguine divino diceris esse fatus?  
 Quis fabricata tua narraret Pergama dextra?  
 Quis te tam magnum crederet esse deum?  
 Si non a sacris essent cantata Poëtis,  
 Tempora, qui norunt ista, futura scient?  
 Ergo etiam facilis nostris allabere votis,  
 Daque meas aliquod pondus habere preces.  
 Ipse ego festivis peragam tibi sacra diebus,  
 Impleboque aras thuris honore tuas.  
 Laetaque jactabo, virides Nerëides inter,  
 Assidue tacitis carmina fluminibus.  
 Atque parem, vires ultra tenuemque Minervam,  
 Mulcebo claris versibus Oceanum.  
 Et furdos scopulos Acroque Ceraunia flectet  
 Fistula, non durum quae canet alta melos.

*Hujus Altani Carminum Libri II. in lucem iere Patavii,  
 Anno M. D. LVII.*

\* A D A M U S S I B E R U S ,

A D

P. LOTICHIUM SECUNDUM.

**D**um lego numeros tuos, Secunde,  
 Illos, quos tibi Martis inter enses

Dicta-

\* Lib. III. Epigr. p. 562.

Dictavit lituosque Musa raucos:  
 Bellonae furor improbus Camoenas  
 Cum blandas procul Albidos fugavit:  
 A ripis, Getico reclusit oras  
 Et nostras equiti, Tagus maniplos  
 Et quos miserat impius politos,  
 Refertos numeros, & elegantis  
 Cultus: Me videor mihi libellos  
 Aetas volvere quos tulit beata  
 Augusti. Ingenio, Secunde, maeste,  
 Maeste Castalidum potens favore,  
 Tam docto veterum tibi suaves  
 Quae dedere modos, referre versu.  
 Te, qui Piërios colunt recessus,  
 Te, qui Moeonios bibunt liquores,  
 Aevo laudibus efferent sequente,  
 Praeponent tibi nec, Secunde, multos,  
 Tantum uno sed eris minor Tibullo.

\* I D E M A D E U N D E M.

**B**enaci vitreas quae ludit Bembus ad undas,  
 Legimus, Ausoniis aequiparanda modis.  
 Legimus, Euganeis Nymphae Nauselides antris  
 Quae dictant docto carmina Naugerio.  
 Quid fato raptum primo sub flore juventae,  
 Qui gemit Alconem, Castiliona loquar?  
 Quid Cottam, cui dextra solet faciesque puellae,  
 Et vox, & sinus evellere corde animum?  
 Aut qui, Medoaci confidens nomina propter,  
 Lazarus aeterno digna Marone sonat?  
 Sunt pariter varii, nitidi, cultique, bonique,  
 Anti qua digni prorsus & Italia.  
 Sed quæ sit, Christi quod non est nomen in illis,  
 Cujus habent omnes munere, quicquid habent?

A a 3

Est

\* Lib. III. Epigr. 562.

Est quare Flatus sacrați mentio nulla,  
 Quo vatum solq corda movente, vigent?  
 Unus Flaminus noctes vigilatque beatas,  
 Se, studiumque suum consecrat omne Deo.  
 Flaminus, Christi cui res tabescere amore  
 Nectareque & dulci dulcior ambrosia est.  
 Salve doctē senex, salve divine Poëta,  
 Perpetuo salve digna Thalia cani.  
 At tu, qui vena suavi, qui mente, Secunde,  
 Sincera praestas, iudicioque vales.  
 Rugosis Varus caedebat qualia fagis,  
 Carmina dum Venetum condidit ad Eridanum,  
 Hunc sequere, & si quos similes habet Italia tellus:  
 Nulla est, Musa Dei nomine si qua caret.

JOANNES LAUTERBACHIUS,

A D

P. LOTICHII SECUNDUM.

Si mihi forte Deus nunc diceret; Elige, quicquid  
 Ex votis animi quaeris habere tui.  
 Non Libyae pecudes, Rhodii non divitis imbrem  
 Non & Luculli, Pontificisque, dapes.  
 Non quot foecundis flores in vallibus Ennae.  
 Eligerem numeros, culte Secunde, tuos.  
 Hos quia cum docili percurro pectore, summis,  
 Ipse mihi 'videor raptus adesse Deis.

I D E M A D E U N D E M.

Cordis deliciae mei, novemque  
 Inter, Piëri, vel suprema Musas,

Si

Si non est aliqua tibi molestum,  
 Multam nomine dic meo salutem  
 Petro Lotichio tuo Secundo.  
 Quem carum veneror velut parentem,  
 Verum pectoris ob sui favorem,  
 Quem numen velut, alterumque Phoebum,  
 Totus miror, ob elegantiores  
 Virtutesque suas, suasque dotes.  
 Post verbis etiam meis rogato,  
 Ut, si qua ratione possit, istum  
 Simlerum, lepidum meum sodalem,  
 Rectis moribus, integraque vita,  
 Ornatum simul eruditione,  
 Commendatum habeat, suaeque prompte,  
 (Quod persuadeo jam mihi futurum)  
 Compotem faciat precationis.  
 Tum verbis etiam meis rogato,  
 Si fidos habeat tabelliones,  
 Docto carmine me frequens salutet.  
 Intervalla mihi licet locorum  
 Tam doctos soleant negare vultus:  
 Non prorsus tamen, ut puto, negantur,  
 Postquam quotidie licet videre,  
 Cum scribo; studeo, lego, recordor,  
 Dicto, concipio, biboque edoque,  
 Vel cum somnio, dormio, recumbo,  
 Non vere, sed imaginatione.  
 Ac quamvis procul hinc remotus absit,  
 A me non tamen est procul remotus.  
 Mecum laetus agit subinde vitam,  
 Errat ante meos subinde vultus,  
 Libros, & calamum manu requirens,  
 Ad lautas cupiens abire mensas,  
 Ad lautas comes est & ipse mensas.  
 Nequicquam facio, quod ipse mecum  
 Non idem faciatque agatque mecum.

*Oringae, III. Non. Septembris, Anno M. D. L.*

H A R-

HARMANNUS SCHOPPERUS,  
NOVOFORENSIS NORICUS,

A D

P. LOTICHIUM SECUNDUM.

**J**am mea puppis habet, quae littora saepe petivit,  
 Jam video votis pondus inesse meis;  
 Felix illa dies, niveoque notanda lapillo,  
 Qua Musae licuit scripta videre tuae;  
 Hanc ego venturos semper venerabor in annos,  
 Hanc ceu natalem concelebrabo meum.  
 Nam quoties aderit, seculo comitata futuro,  
 Ipsam magnifico semper honore colam:  
 Illa dies misero solatia praebuit, illa  
 Unica fortunae est aura vocanda meae.  
 Illa dies haec est, quae si non orta fuisset,  
 Non essent animo gaudia nata meo.  
 Haec ego cum legerem dulcissima carmina Musae,  
 Basia mille dedi, basia mille dabo,  
 Haec ego, cum tristi me fors afflaverat Austro,  
 Delicias animo semper habebam meo.  
 Hunc mihi thesaurum non aevi secula cani  
 Eripient, ultra si quid & esse potest.  
 Librorum quoque, crede mihi, penetrabile meorum,  
 Tam custoditum debet habere nihil.  
 Da veniam, nimio mea mens haec scribit amore,  
 Stultaque me subito corda furore trahunt.  
 Talia quis vellet rugosa gaudia fronte  
 Sumere, quis scripto tristis & esse tuo?  
 Doctus ut es vates, sic pangis & omnia docte,  
 O Petre, qui Clario major es ipse Deo!  
 Cur mihi tam plenis cantas praeconia buccis,  
 Cum stupidi vires pectoris ipse sciam?

Et

Et mea nota mihi satis est inscitia : Quare  
 Errorem mentis corrige , quaeso , tuae.  
 Qualis enim fuerit Schopperus , talis ametur !  
 Est magnum tanto complacuisse viro.  
 Nunc meritas capio pro scripto dicere laudes ,  
 Sed vereor coeptum ne superetur opus.  
 Ipse tibi Thamyras , etiam tibi Thracius Orpheus ,  
 Et Linus insignis , cedit Apollo tibi.  
 Qua ratione queat blaterator at anser olo  
 Stridenti similem dicere voce sonum ?  
 Denique quod superest , Vates doctissime , scito ,  
 Quod cupiam iussis moriger esse tuis.  
 Et , duce monstrato , carpam vestigia sacrae  
 Sancta viae , nequam non adeunda viris.  
 Praevius Aonias mihi Gelphius ibit ad undas ,  
 Si modo me spes non fallere forte queat.  
 Et tibi plura mei mittam monumenta laboris ,  
 Si Musae fuerint ocia plura meae.  
 Sed quaecunque dabo spinosae carmina vocis ,  
 Illa velis semper consuluisse boni.  
 Sicque novis pro te pulsabo Numina votis ,  
 Attingant Pylios ut tua fata dies.

\* J O.

Hartmanni hujus Schopperi facilem puramque in versibus Elegiacis  
 venam laudat Lotichius in Poëm. p. 288. & 311. Ed Camer. & prae-  
 ter Salomonis Proverbia carmine donata , laudem praecipuam pro-  
 meritus est , quod in prima juventute Speculum illud vitae Aulicae ,  
 seu Libros IV. de fallacia vulpeculae Reinikes , Latino carmine Jam-  
 bico , eleganti artificio ex idiomate Germanico expressum ediderit  
 Francof. 1567. habeturque in Delic. Poëtar. Germ. Tom. V. pag.  
 1437. usque ad finem. Vide de eo Gesneri Biblioth. auct. per Simler.  
 & Fris. pag. 318. & plura apud Joh. Pet. Lotichium in Biblioth.  
 Poët. P. III. pag. 134. & seqq. Ejus Eclogam , qua sub Damonis titu-  
 lo Lotichii nostri obitum desset , infra Lib. III. Adoptivor. inferemus.



\* JO. FRANCISCI RIPENSIS, DANI,  
I T E R. F R A N C I C U M :  
Q U O D , D U C E E T C O M I T E  
P E T R O L O T I C H I O S E C U N D O ,  
E X H E Y D E L B E R G A H E R B I P O L I M C O N F E C I T .

A D

F R I D E R I C U M I I . C H R I S T I A N I I I I .  
R E G I S D A N I A E E T N O R W E G I A E , M O D O D E F U N C T I ,  
F I L I U M , R E G E M D E S I G N A T U M .

**S**i vacat, & magnae concedunt otia curae,  
Nec grave jam Regni te remoratur onus,  
Accipe, quae Nicri gelidas spumantis ad undas  
Condidimus teneris pauca, sed apta, modis.  
Non iter ad Solymos, non quod Pagasaeus Iäson  
Per freta Thessalico remige fecit iter.  
Parva quidem, Friderice, via est, qua fertile Moenus  
Pulcher arenoso dividit amne solum.  
Parva fuit medii mora temporis inter eundum,  
Multa sed heu! parvum tristia tempus habet.  
Praecipue fatum lachrymabile Regis amati,  
Carmine quem deflet nostra Thalia suo.  
Si miscere tamen fas est quoque tristia laetis,  
Vade per incoeptam Calliopea viam.  
Ver erat in foribus, mensisque octava secundi  
Ibat, ab exorto Sole reducta, dies.  
Cum, duce Lotichio, (sic mens animusque ferebant)  
Dulce, Nicrum linquens, ingrediebar iter.  
Scilicet Hectoreos populos visurus, & urbem,  
Quam vetus a musto nomen habere ferunt.

Nostra

\* Legitur elegantissimum hoc carmen in Itinerariis Reuſneri  
lib. IV. p. 486 & seqq.

Nostra \* sed herbarum de nomine nuncupat aetas,  
 Moenus eam liquidis perfluit uber aquis.  
 Ergo ensem lateri, pedibus calcaria necto,  
 Quaeque alia, ut mos est, arma viator habet.  
 Jamque pari spatio Phoebus distabat utrinque,  
 Eoam spectans Hesperiamque domum.  
 Quando, Deum tacitus venerans prece, quod bene vertat,  
 Moenibus egredior praepete vectus equo,  
 Heydelberga vale! quae, Regum facta canentes,  
 Laurigero revocas ex Helicone Deas.  
 Te propter, gelida veni digressus ab Arcto,  
 Longinquae passus taedia multa viae.  
 Te propter, sacro Phoebi correptus amore,  
 Albiacis Nicrum fluctibus ante tuli.  
 Talia gramineae referens in margine ripae,  
 Carpebam notas prata per uda vias.  
 Spumeus ad dextram rapidis Nicer aestuat undis,  
 Ad laevam montes, altaque saxa, jacent.  
 Et molles, tenui labentes murmure, rivi  
 Humida foecundo prata liquore rigant.  
 Vicinisque fremunt lapsi de montibus amnes,  
 Actaque terrifico ligna fragore trahunt.  
 Ligna, procul Rheni quae navita vendit ad undas,  
 Namque habet has solas incola pauper opes.  
 Mox humiles parvae muros intravimus urbis,  
 † Qua tenet a saxis nomen & amne locus.  
 Vix egressus eram, cum nubibus ecce! solutis  
 Frigidus hyberna decidit imber aqua.  
 Horrida discordes exerceant praelia venti,  
 Acta pruinosi obstreperit aura jugis.  
 Vestibus in madidis jam Sole cadente subimus  
 Leniter acclivi moenia structa jugo.  
 § Moenibus insigne est, & nomen, cornua cervi,  
 Turribus & medio cornua picta foro.  
 Hospitium faustis monstrabat candidus alis  
 Albus olor, dextras hospitis ante fores.  
 Augurio laeti per noctem mansimus illic,  
 Cygnus enim carus vatibus esse solet.

B b 2

Nocte

\* Herbipolis.

† Neckersteinach.

§ Hirschhorn.

Nocte venit celebratque dapes vicina simplex,  
 Ebria nam Bacchi festa bicornis erant.  
 Ducere nec piguit choreas, interque puellas  
 Ludere: Sic multo nox fuit acta mero.  
 Mane per anfractus vallis, ripamque virentem  
 Pergimus, & rapidis acceleramus equis.  
 Praegredimurque urbem, cui montes inter & amnem,  
 \* Flumen, & agrestis nomina fecit aper.  
 Inde per oppositum saxoso tramite clivum  
 Arduus assensus difficilisque fuit.  
 Lustraue contigimus, dumosis horrida sylvis,  
 † Nobile quae magni nomen Othonis habent.  
 Forte quod indomitos illic consueverit urfos  
 Arbiter Imperii per nemora alta sequi.  
 Nam prisca studiis Heroes talibus olim  
 Ad grave firmabant corpora Martis opus.  
 Illis saepe famem sylvestria poma levabant,  
 Haustaue de liquido pocula fonte sitim.  
 Saepe thorum cespes sub ramis arboris altae  
 Praebuit, & tellus dulce cubile fuit.  
 Talis erat Peleus, talis Calydonius heros,  
 § Talis & armipotens Caesaris hujus avus.  
 Cujus adhuc extant veterum monumenta laborum,  
 Qua rotat Alpinas spumifer Oenus aquas.  
 Solus ubi, volucres capreas damasque secutus,  
 Sedit in aeriis nocte silente jugis.  
 Haec mihi Lotichius cupidus referebat ad aures,  
 Mentio cum Regum facta Ducumque foret.  
 Pampineo culti non illic palmite colles,  
 Non gravidis floret messibus almus ager.  
 Coniferae pinus, & fagus, & ardua quercus,  
 Junctaque nux pagis juniperique virent.  
 Rara per obscuras villarum culmina valles  
 Apparent, humiles nix tegit alta casae.  
 Sed genus acre virum, pastoralisque juvenus,  
 Cornigerum pascit per juga celsa pecus.  
 Planities herbofa jacet: sed nulla rotarum  
 Signa, viatori trita nec ulla via est.

Illic

\* Eberbach.

† Silva Othonica.

§ Maximilianus Imp.

Illic incerti cursus inhibemus equorum ,  
 Cum mihi sic, findens ligna, colonus ait :  
 Vade per has valles, patulos ubi videris agros,  
 Monstrabit certum furca bicornis iter.  
 Egressus sylvis agros, furcamque videbam,  
 Pars tamen a furca laeva recisa fuit.  
 Quae sequitur, lutulenta via est, collesque residunt,  
 Actaque jam roseae tempora lucis erant.  
 \* Protinus ante urbem, de fago nomen habentem,  
 Hospitis ingredimur, Sole cadente, domum.  
 Grata fatigatas recreant convivia vires,  
 Hinc vinum lassos calfacit, inde focus.  
 Pingua nec lautae desunt farcimina coenae,  
 Nec sale durati fumida terga suis.  
 Quid tibi pisciculos memorem, quos vimine textis  
 Alveolis captat nocte tepente puer?  
 Adde merum saliens, illis quod gignit in oris  
 Ad Moeni liquidas confita vitis aquas.  
 Insuper accedunt hilares super omnia vultus,  
 Quo nihil hospitibus gratius esse potest.  
 Duximus hinc molles, post dulcia pocula, somnos,  
 Donec ab Eöis Sol fuit ortus aquis.  
 Nocte viam tota largus corruperat imber,  
 Quae gravis, & fallax, & salebrosa fuit.  
 Carmina Lotichius veterum celeberrima vatum.  
 Cantabat variis laeta per arva modis.  
 Nunc questus, Ariadna, tuos, nunc Phyllidis ignes,  
 Et numeros cytharae, Lesbi puella, tuae.  
 Euryalique necem, Nisique canebat amorem,  
 Sic brevior dulci carmine facta via est.  
 Vespere, sex tandem pagis post terga relictis,  
 Ingedimur muros, Landa vetusta, tuos.  
 Tubarus irriguis urbem praeterfluit undis,  
 Aucturus Moenum Tubarus amne suo.  
 Comiter excipimur: sed res fuit una dolori  
 Illa, quod Hofferus Michael aeger erat.  
 Candidus Hofferus, divini buccina verbi,  
 Christicolae illic pascere iussus oves.  
 Ante fores templi stant, saxo incisa vetusto,  
 Arma Palatinae conspicienda Domus.

Bb 3

Quid

\* Buchstadium.

Quid non imminuit rerum longaeua vetustas?  
 Nunc alius tantas possidet urbis opes.  
 Postera lux illic, sed non sine litibus, acta est:  
 Musa file! litis causa tacenda mihi est.  
 Flava pruinosas aurora fugaverat umbras,  
 Surgimus, & coeptum continuamus iter.  
 Forte sed ambigua decepti fraude locorum,  
 Tubarus obliquo qua fluit amne, sumus.  
 Fleximus ad dextram cursus: Tu, caute viator,  
 Qui sequeris, laevo tramite carpe viam.  
 Devius hac illac pallantes error agebat,  
 Errori statuit nox tenebrosa modum.  
 Valle sub obscura, primis surgentibus astris,  
 Vidimus exiguae rustica tecta casae.  
 Excipit hic fessos, dubiisque erroribus actos,  
 Pauperis agricolae non inamoena domus.  
 Agricolae viridi jam filia nubilis aevo  
 Dulce ministrabat, patre iubente, merum.  
 Semirecincta sinus ibat, tergoque fluentes  
 In nodum longas jusserat ire comas.  
 Vernabant sine labe genae, ceu saepe per hortos  
 Candent parte sui lilia, parte rubent.  
 Protinus occultis (quis crederet?) ignibus arsi,  
 Captus & ingenua simplicitate fui.  
 Saepe propinabam dilectae vina puellae,  
 Saepe propinanti rettulit illa vicem.  
 Jamque suo plaustrum vertebat ab axe Bootes,  
 Actaque pars gelidae maxima noctis erat.  
 Saucius agresti stipulae fenoque rigenti  
 Ante focum curis membra levanda dedi.  
 Non tamen aegra levis mulcebat pectora somnus,  
 Nec mihi condebat lumina fessa sopor.  
 Sed, repetens tota suspiria nocte, jacebam,  
 Correptus flammis, magne Cupido, tuis.  
 Quid tibi cum pago, pharetrati mater Amoris?  
 Quid tibi cum duro stramine, saeve puer?  
 Mane recessurus, figens prius oscula, dixi,  
 Candida formosi ruris alumna, vale.  
 Inde per oppositos via visa brevissima colles,  
 Perque frequens piceis, ilicibusque, nemus.

Donec

Donec turrigeris celsam cum moenibus urbem  
 Vidimus ad ripas, coerule Moene, tuas.  
 Hic facunde tuas, <sup>1</sup> Sturmere, subivimus aedes,  
 Qui trahis a veteri nobilitate genus.  
 Quem chorus Aënidum, Charitesque, & fautor Apollo  
 Certatim donis excoluere suis.  
 Tres illic fausto consumpsimus omine luces,  
 Hospitio laeti, mitis Erasme, tuo.  
 Nos sacer Antistes, mensa dignatus & aula,  
 Convivas inter iussit habere locum.  
 Nobiliumque decus, gentisque <sup>2</sup> Huttenus avitae,  
 Proximus a sacro Praefule cujus honor.  
 Huttenus, rediens qui nuper ab urbe Quirini,  
 Moestus, ob amissi funera fratris, erat.  
 Tu quoque, Jane, decus Graeae linguaeque Latinae,  
 Signa voluntatis grata, <sup>3</sup> Zabelle, dabas.  
<sup>4</sup> Rugeriusque meus, cultique <sup>5</sup> Sinapius oris,  
 Poëonii praestans lumen uterque chori.  
 Advena magnificae Moenus praeterfluit urbis  
 Moenia, vitiferis undique cincta jugis.  
 Lata racemifero sunt confita palmitum rura,  
 Si videas, Bacchi dixeris esse domum.  
 Arx, alto constructa iugo, supereminet urbi,  
 Et rigui liquidas despicit amnis aquas.  
 Cujus in acclivi Zobellus tramite Princeps  
 Occidit ante suum proditione diem.  
 Heu scelus, heu crudele nefas! quis barbarus ausus  
 Praefulis innocui tingere caede manum?  
 Templum vetusta jacent, ubi contumulata virorum  
 Corpora nobilium, morte soluta, cubant.  
 Illic Lotichius, monstrans mihi triste sepulchrum,  
 Hic, ait, ossa meus testat <sup>6</sup> Stibarum habet.  
 Auspice quo sacros hausi de fonte liquores,  
 Quo levat ipsa suam Calliope sitim.

Tertia

<sup>1</sup> Erasmus Neustetter, dictus Sturmer.<sup>2</sup> Wolfgangus Theodorus ab Hutten, Decanus.<sup>3</sup> Joann. Zobelius, Eq. Fr.<sup>4</sup> Guilh. Rugerius D.<sup>5</sup> Joan. Sinapius D.<sup>6</sup> Daniel Stibarum, Eq. Fr.

Tertia sed roseos jam lux iteraverat ortus,  
 Lotichiusque suo munere functus erat.  
 Tollimur, & Laudam, sic re cogente, redimus,  
 Tres ubi nos imbres detinuere dies.  
 Interea rumor perculsas occupat aures,  
 Saeva Palatinum fata tulisse Ducem.  
 Extinctumque tuum, clarissima Dania, \* Regem,  
 Atque alium patriae jam dare jura meae.  
 Non secus obstupui, quam si, redimita colubris,  
 Ante oculos starent Gorgonis ora meos.  
 Scilicet hic magnis fatalis Regibus annus  
 Et Ducibus, dixi, Principibusque fuit.  
 Occidit aeternis Caesar virtutibus ingens  
 Carolus, Hesperia contumelatus humo.  
 Carolus armipotens, cui secula pace, vel armis  
 Nulla ferent unquam, nulla tulere parem.  
 Caesaris adde duas, sublatas morte, sorores,  
 Quaeque tuas, discors Anglia, rexit opes.  
 Regis & ipse sui consortem funere raptum  
 Sarmaticus largis Vistula luxit aquis.  
 Adde Duces, quorum letho Germania flevit,  
 Adde Palatinae funera bina Domus.  
 Nec fatis hoc fuerat: Sed te quoque, Dania, Rege  
 Orbavit saevae mortis acerba dies.  
 Ergo jaces, patriae pater ò fortissime, cujus  
 Dextra fuit factis inclyta, clara fide.  
 Vindicibus cujus se gloria sustulit armis,  
 Fregit & hostiles Marte favente minas.  
 Quid loquor? ut subitos sedaveris inde tumultus,  
 Ut dederit victas Hafnia capta manus?  
 Nil locus, aut muri, nihil insuperabile vallum,  
 Nil circumfusae profuit usus aquae.  
 Laeta tamen, niveis plaudens victoria pennis,  
 Concolor, & nullo sanguine tincta, fuit.  
 Sed majora canam. Tu Juris amator & aequi,  
 Tu cultor verae religionis eras.  
 Vana superstitio quod nostris exulat oris,  
 Quod dedit impietas, cedere jussa, locum.  
 Se debere tibi sincero corde fatentur  
 Indigenae, quotquot Dania fortis habet.

Nec

\* Christianum III.

Nec minus ad gentes sacra propagare studebas,  
 Frigidus a celfo quas videt axe polus.  
 Dicite, vos Musae, quis vos adduxerit istuc,  
 Qua jacet hyberno Dania cinéta mari?  
 Inclytus, in terras demissus ab aethere princeps!  
 Hoc fera barbaries vindice pulsa fuit.  
 Ille domum profugis, & culta palatia, struxit,  
 Atque alio iussit vos Helicone frui.  
 Hafnia qua, numero doctorum clara virorum,  
 Aëonias largo flumine fundit aquas.  
 Per te parta quies, Rex ô fortissime, per te  
 Patria tranquilla pace quietata fuit.  
 Qualiter, Halcyonum dum pendent aequore nidi,  
 Per mare securum navita carpit iter.  
 Non horrenda truces exercent praelia venti,  
 Sed placidis abies labitur uncta vadis.  
 Talis erat Regni per te florentis imago:  
 Usque adeo sanctae pacis amator eras.  
 Ergo velut cultis se tollit laurus in hortis,  
 Servat & aeterno frondis honore comam.  
 Sic tua per populos, nullo debilis aevo,  
 Gloria se liquida tollit in astra via.  
 Inter & Heroas frueris felicibus illis,  
 Turba quibus Christi morte redempta, bonis.  
 Jamque vale, tumultoque, precor, secunda quiescant  
 Ossa, sit exuviis paxque quiesque tuis.  
 Eque tuo violae crescant & lilia busto,  
 Regia perpetuis floreat urna rosis.  
 At tu, qui sumis Regni successor habenas,  
 Jamque sedes Patris, Dux Friderice, loco.  
 Auspiciis sceptrum capias felicibus, opto,  
 Claraque per magni facta Parentis eas.  
 Ut felix placida populos in pace gubernes,  
 Candida dum niveae tempora pacis erunt.  
 Adsit & in dubio belli certamine Mavors,  
 Si fuerint forti bella gerenda manu.  
 Tu quoque magna feres clarae praeconia famae  
 Inclytus, & prisca non inhonoris avis.

Nec

\* Ad Fridericum Ducem, designatum Regem.

Cc



Nec deerunt, celebres olim qui dicere laudes,  
 Et tua certatim condere facta, velint.  
 Tu modo praestantes victuro carmine vates,  
 Et defende novem, quas Pater ante, Deas.  
 Munere Pieridum solo post funera Reges,  
 Morte vel invita, nobile, nomen habent.  
 Maeste animo, populisque potens & divite Regno,  
 Gaudeat imperio terra fretumque tuo!  
 Sed repetamus iter. Jam Martis flava Calendas  
 Attulerat roseo Memnonis axe parens.  
 Digredior, letho Regis turbatus amati,  
 Lotichius Lauda ducit in urbe moram.  
 Ut vada contigeram, qua montes inter amaenos  
 Defluit, & ripa floret utraque, Nicer.  
 Hic segnis pertaesius equi, durique laboris,  
 Nave levi prono devehor amne domum.  
 Heydelberga, domus Phoebi clarissima salve!  
 Atque eadem, quamvis non mereare, vale!  
 Sed non culpa loci est. Quid pergis dicere Clio,  
 Omnia? Jam coeptrae meta peracta viae est.  
 Caetera, cum fuero, Princeps Friderice, reversus,  
 Ipse tibi praefens commemorabo, vale.

Editum etiam hoc Fr. Ripensis Iter Francicum in Nath. Chytræi  
 Hodoeporicis pag. 165. & seqq.

## I D E M A D E U N D E M P. LOTICHIUM SECUNDUM.

**D**octe vir, Aonidum celeberrima fama fororum,  
 Salve, Pegasei lausque decusque chori!  
 Seu vigili tractas Medicorum dogmata mente,  
 Felici relevans languida membra manu.  
 Mollia seu tenero deducis carmina plectro,  
 Publica seu fido munia corde geris.  
 His, precor, interdum studiis defessus, amici  
 Digneris rebus consuluisse tui.

Neve

Neve tui spernas juvenilia carmina vatis,  
 Carmina sollicitae tempore scripta viae.  
 Judicio nam cuncta tuo submittimus illa,  
 Adde, precor, limam, culte Secunde, tuam.  
 Spiritus ante meus tenues discedet in auras,  
 Officii nolim quam meminisse tui.  
 Ante meos oculos tua nam versatur imago,  
 Perpetuo praefens ut videre mihi,  
 Atque utinam tecum liceat sic ducere vitam,  
 Fatales servant dum mea fata Deae?  
 Gratus his possit mihi nil contingere votis;  
 Candide, Piëridum cultor, amice vale.

I D E M,  
 . HEYDELBERGA DISCEDENS,  
 A D E U N D E M.

**E**rgo ego tam subito te, care Secunde, relinquam?  
 Rursus & ignotas cogar inire vias?  
 Nuper amicitiae tecum mihi contigit usus,  
 Quale olim Pyladi fidus Orestis erat.  
 Bis vix Luna cavum ter luce repleverat orbem,  
 Veris, & aetatis praeteriere dies.  
 Ex quo prima tui monstrabas signa favoris,  
 Signa vel extremo non peritura die,  
 Hospitio Arctöis venientem primus ab oris  
 Excipis ad flavi littora cana Nicri.  
 Atque locum placuit dare caros inter amicos  
 Ignoto, & fociis annumerare tuis.  
 Ex voto potuit mihi nil contingere majus,  
 Nec mihi res unquam gratior ulla fuit.  
 Hoc unum repetens semper meditabar eundo,  
 Hoc vigilans, somnus sollicitabat idem.  
 Et, desiderii jam factus compos, amoris  
 Perpetuo nostri foedera grata colam.

Cc 2

Com.

Communes suadent, castissima numina, Musae,  
 Summus & Aoniae praefes Apollo lyrae.  
 Id benefacta volunt sincero praestita corde,  
 Et, nutrita pio pectore, nuda fides.  
 Seu patulos vestit radiis Sol aureus agros,  
 Seu mox coelesti gramina rore rigat.  
 Hujus ego (testor Superos) memor usque manebo,  
 Qua licet, & Musis hanc celebrabo meis.  
 Est grave sincero mihi sed discedere amico,  
 Ingredior nolens, te remanente, viam.  
 Hic ego dum vixi, non amplius hora videtur;  
 Usque adeo tecum vivere dulce fuit.  
 Tristis erat, fateor, caris discessus amicis,  
 Dum liqui patrii dulcia rura soli.  
 Tristis & Albiacis discessi nuper ab oris,  
 Dum tibi cum lachrymis diximus, Albi vale.  
 Ille quidem tristis ducebar amore parentum,  
 Littoribus cessi tristior, Albi, tuis.  
 Invitus siquidem te, docte Philippe, reliqui,  
 ô Decus, ô animae portio magna meae?  
 Et reliquas dulces animas, fidosque sodales,  
 Quorum quam memori nomina corde gero.  
 At, ego Lotichio quod nunc divellor amato,  
 Mors mihi discessu durior esse nequit.  
 Sic, cum fata jubent, quibus est parere necesse,  
 Triste tibi dico, culte Poëta, vale,  
 Ad tua forte licet quondam seu tecta redire,  
 Seu prohibet reditum Parca severa meum.  
 Non Lethaea meam capient obliviae mentem,  
 Quin resonet nostro nomen in ore tuum.  
 Dum memorem ipse mei fuero, dum sidera coelum  
 Volvit, & altifonas Balthica Thetis aquas.  
 Grataque dum tellus cunctis alimenta ministrat,  
 Pascit & aligeras liquidus aër aves:  
 Pectore perpetuo nostro tu fidus inhaeres,  
 Lotichii semper me meminisse juvet.

H E N

HENRICUS SMETIUS A LEDA,  
A D  
P. LOTICHIIUM SECUNDUM.

**T**urbet honoratas tibi quod nova Musa Camaenas,  
Da veniam, vates, doctior esse cupit.  
Sceptra rudis cecinit, magnis celebranda Poëtis,  
Et verita est tantis Regibus esse parem.  
Ergo rogat, tenuem libeat lustrare laborem,  
Primum ubi cum Musis otia Phoebus aget.  
Quicquid erit vitii, damnes. in utrumque parata est,  
Vel stare, arbitrio vel cadere illa tuo.  
Arte suos illam doceas cantare Monarchas:  
Sic te pro meritis officiosa colet.

I D E M A D E U N D E M.

**D**octe Secunde mones, nostros ut per loca versus.  
Publica, cum Solymis Regibus, ire sinam.  
Quis, quaeſo? heu! miseri, patriis e sedibus acti,  
Quique nihil, praeter nomina sola, tenent.  
Et mala pro Regno tenui congesta papyro.  
Carmina, solari queis sua damna queant.  
Qui temere audebunt, externo ex orbe profecti,  
Non nota in populo per loca ferre pedes?  
Ni bonus, & clarus dux hac regione locorum  
Voce peregrinos, officioque juvet.  
Commendetque viros populis, tutumque per orbem,  
Nestoreo linguae munere, pandat iter.  
Quare, Teutonicis vates celeberrime terris,  
Gallica quem tellus novit, & Ausonia.  
Ne pigeat summae hoc inopum donare salutis:  
Per sua te Reges sceptris misella rogant.  
Si facias, tandemque illos meliora revisant,  
Atque novas sedes condere fata sinant.  
Hos nulla tui capient obliviae facti,  
Gratia sed per opes, quanta licebit, erit.  
Ergo age, & officium fac praestet, eosque modesto  
Ut tua commendet carmine Musa, jube.

I D E M,  
A D  
A D A M U M G E L P H I U M:  
DE LECTIONE VERSUUM EJUS,  
ET CARMINE  
PETRI LOTICHII SECUNDI,

**V**esperis hesterni recolo dum carmina, Gelphi,  
Auditor quorum, te recitante, fui.  
Seu placidae formam canerent, seu ferta Melissæ,  
Quae tibi non ficti pignus amoris erant.  
Seu vatis flammæ in Leucorea urbe referrent,  
Privatas Paphiae numine, Lotichii.  
Unde, nec immerito, malefido iratus Amori,  
Illius a castris Martis ad arma fugit.  
Nec dubitat galea sacros ambire capillos,  
Et tenerum rigido cingier ense latus,  
Sive per Aufoniam meliores vatis amores  
Audirem, tecto nomine Callirhoës.  
Quae redamet, vel quae sit non immitis amanti,  
Fecit ut ad ripas Albidis illa prior.  
Has mihi, praeteritæ per somnia noctis, inanes  
Sistebat Morpheus ante thorum species.  
Primo equidem clausis in moenibus esse videbar,  
Cinxerat hostili quae fera turba manu.  
Cernereque infestas prosterni fulmine turmas,  
Muræ ignitos aere vorante globos.  
Quae simul ex oculis abrepta fuisset imago,  
Alterius venit laetior umbra rei.  
Scilicet, a tergo petulans me Phyllis adorta,  
Visa est amplexu corripuisse suo.  
Excitor aurora. Vanum Dii Morpheæ perdant,  
Ne mage me vanis ludat imaginibus.

P E T R I

PETRI LOTICHII SECUNDI  
 CARMINUM ADOPTIVORUM  
 LIBER SECUNDUS.  
 QUI CONTINET FUNERALIA.

---

D. O. M. S.

**P**ETRO LOTICHIO SECUNDO, ARTIUM ET MEDICINAE DOCTORI, POËTAE CLARISSIMO, CELEBERRIMAE HEIDELBERGENSIS ACADEMIAE PROFESSORI, VIRO ERUDITIONE, INTEGRITATE, CONSTANTIA, PRUDENTIA, AC OMNI VIRTUTUM GENERE PRIMO PRAESTANTISSIMOQUE. QUI ANNUM XXXIII. VIX ATTIGERAT: ID TAMEN INGENII BONITATE ADEPTUS ERAT, UT IN UTROQUE SCRIBENDI GENERE NEMINI HOC SEculo FACILE CEDERET, ET, QUOD LAUDANDUM MAXIME, IN RE LITERARIA PRODESSE ET VELLE, ET POSSET, IN REBUS OMNIBUS CANDIDUS. IS QUOQUE MULTIS ANIMI PRAECLARIS DOTIBUS MULTARUM LINGUARUM COGNITIONEM ADDIDERAT, NEC NON ALIARUM RERUM DIFFICILIVM VARIARVMQUE USUM, CUM SINGULARI QUADAM IN NEGOTIIS OMNIBUS GERENDIS DEXTERIATE CONJUNCTUM: ATQUE VIRTUTE DUCE, ITA IN LUCEM EMERSE- RAT, SEQUE IPSUM INTER SUMMOS VIROS COLLOCARAT, UT PATRIAE, AC SIBI, MAGNO JAM ORNAMENTO EXISTERET. SED, UT PLERUMQUE NATURAE EXCELLEN- TES FATO A PERFECTIONE PROHIBENTUR, SIC ILLE, ARDENTIS- SIMA PAUCORUM DIERUM FEBRI AFFLICTUS, CUM MAXIMO OMNIUM LITE- RARUM DOLORE, VII. ID. NOVEMBR. OCCIDIT, SUMMUM SUI DESIDERIUM AMICIS POST SE RELINQUENS. EX QUIBUS ERASMUS NEUSTETER, DICTUS STURMER, AMICITIAE AC MEMORIAE ERGO, H. M. F. ET P. C. ANNO. M. D. LX.

HOC SITUS EST TUMULO LOTICHIVS ILLE SECUNDVS,

CARMINI QUI PRIMVS, PRIMVS ET ELOQUIO.

VIRTUS, INGENIVM, MULTA EXPERIENTIA, SI QVIV

CARMINA DOCTA VALENT, VIVERE DIGNVS ERAT.

SED, QVIA CUNCTA RAPIT FATVM, PIA MEMBRA QUIESCANT

MOLLITER, IPSE ANIMVS ASTRA PETITA TENET.

P A U L E

I D E M,

A D

A D A M U M G E L P H I U M:

DE LECTIONE VERSUUM EJUS,

ET CARMINE

PETRI LOTICHII SECUNDI,

**V**esperis hesterni recolo dum carmina, Gelphi,  
 Auditor quorum, te recitante, fui.  
 Seu placidae formam canerent, seu ferta Melissæ,  
 Quae tibi non ficti pignus amoris erant.  
 Seu vatis flammæ in Leucorea urbe referrent,  
 Privatas Paphiae numine, Lotichii.  
 Unde, nec immerito, malefido iratus Amori,  
 Illius a castris Martis ad arma fugit.  
 Nec dubitat galea sacros ambire capillos,  
 Et tenerum rigido cingier ense latus,  
 Sive per Aufoniam meliores vatis amores  
 Audirem, tecto nomine Cailirhoës.  
 Quae redamet, vel quae sit non immitis amanti,  
 Fecit ut ad ripas Albidis illa prior.  
 Has mihi, praeteritæ per somnia noctis, inanes  
 Sistebat Morpheus ante thorum species.  
 Primo equidem clausis in moenibus esse videbar,  
 Cinxerat hostili quae fera turba manu.  
 Cernereque infestas prosterni fulmine turmas,  
 Murali ignitos aere vorante globos.  
 Quae simul ex oculis abrepta fuisset imago,  
 Alterius venit laetior umbra rei.  
 Scilicet, a tergo petulans me Phyllis adorta,  
 Visa est amplexu corripuisse suo.  
 Excitor aurora. Vanum Dii Morphea perdant,  
 Ne mage me vanis ludat imaginibus.

P E T R I

PETRI LOTICHII SECUNDI  
 CARMINUM ADOPTIVORUM  
 LIBER SECUNDUS.  
 QUI CONTINET FUNERALIA.

---

D. O. M. S.

**P**ETRO LOTICHIO SECUNDO, ARTIUM ET MEDICINAE DOCTORI, POËTAE CLARISSIMO, CELEBERRIMAE HEIDELBERGENSIS ACADEMIAE PROFESSORI, VIRO ERUDITIONE, INTEGRITATE, CONSTANTIA, PRUDENTIA, AC OMNI VIRTUTUM GENERE PRIMO PRAESTANTISSIMOQUE. QUI ANNUM XXXIII. VIX ATTIGERAT: ID TAMEN INGENII BONITATE ADEPTUS ERAT, UT IN UTROQUE SCRIBENDI GENERE NEMINI HOC SEculo FACILE CEDERET, ET, QUOD LAUDANDUM MAXIME, IN RE LITERARIA PRODESSE ET VELLE, ET POSSET, IN REBUS OMNIBUS CANDIDUS. IS QUOQUE MULTIS ANIMI PRAECLARIS DOTIBUS MULTARUM LINGUARUM COGNITIONEM ADDIDERAT, NEC NON ALIARUM RERUM DIFFICILIVM VARIARVMQUE USUM, CUM SINGULARI QUADAM IN NEGOTIIS OMNIBUS GERENDIS DEXTERIATE CONJUNCTUM: ATQUE VIRTUTE DUCE, ITA IN LUCEM EMERSE- RAT, SEQUE IPSUM INTER SUMMOS VIROS COLLOCARAT, UT PATRIAE, AC SIBI, MAGNO JAM ORNAMENTO EXISTERET. SED, UT PLERUMQUE NATURAE EXCELLEN- TES FATO A PERFECTIO- NE PROHIBENTUR, SIC ILLE, ARDENTIS- SIMA PAUCORUM DIERUM FEBRI AFFLICTUS, CUM MAXIMO OMNIUM LITE- RARUM DOLORE, VII. ID. NOVEMBR. OCCIDIT, SUMMUM SUI DESIDERIUM AMICIS POST SE RELINQUENS. EX QUIBUS ERASMUS NEUSTETER, DICTUS STURMER, AMICITIAE AC MEMORIAE ERGO, H. M. F. ET P. C. ANNO. M. D. LX.

HOC SITUS EST TUMULO LOTICHIVS ILLE SECUNDVS,

CARMINI QUI PRIMVS, PRIMVS ET ELOQUIO.

VIRTUS, INGENIVM, MULTA EXPERIENTIA, SI QVIV

CARMINA DOCTA VALENT, VIVERE DIGNVS ERAT.

SED, QVIA CUNCTA RAPIT FATVM, PIA MEMBRA QUIESCANT

MOLLITER, IPSE ANIVS ASTRA PETITA TENET.

P A U L U S



PAULI MELISSI SCHEDII,  
 FRANCI COMITIS PALAT. ET EQUITIS,  
 CIVIS ROMANI,  
 M E L O S,  
 A D  
 JOANNEM HAGIUM,  
 MEDICUM ET PHILOSOPHUM,  
 DE PRAEMATURA  
 PETRI LOTICHII SECUNDI  
 M O R T E.

**H**agi Secundi prime fodalium :  
 An Fama pennae verbere Noricos  
 Petiuit agros, lugubremque  
 Moeſta obitum tibi nunciauit  
 Clari Poëtae, plus oculis tuis  
 Subinde amati? Me prope nuncius  
 Funebris a Nicro huc proſectus  
 Terrifico exanimauit ictu.  
 Moenus ſtupescens attonito parem,  
 Nymphaeque tristes me, velut antea  
 Vix noſſe prae ſqualore dicunt:  
 Uſque adeo mihi luſtuofus  
 Eſt peſtus angor. Sturmerias genas  
 Coram videres, oraque Rugeri,  
 Quicum hoſpitatus ſum, recenti  
 Utraque pallidior cerâ  
 Jurare poſſes: Occidit, occidit  
 Haud parua noſtrae gloria Franciae,  
 Flos ille vatũ cultiorum  
 LOTICHIVS, Charitum voluptas,

Le.

Leposque Musarum, & nova Apollinis  
 Imago, nostris vix modicos dies  
 Ostensa terris! Sicne linquis  
 Triste solum & petis astra? sicne  
 SECUNDE, amicos deferis & fecas  
 Spem curtam amicorum? heu breve & irritum  
 Stamen vacillantum Dearum!  
 Heu subito cita fata casu!  
 Venisse me mensem ante modo unicum  
 Ad Myrtili moenia, nec tuos  
 Vidisse vultus, SECUNDE:  
 Nec sociam tetigisse dextram?  
 Habere nullam abs te Schedium notam,  
 Nullum & characterem ingenuae manus?  
 Ecquis Poëtarum recentum  
 Nunc Elegos canet, Eclogasve  
 Aequae elegantes? quis pedis impares  
 Modos Phalaeci? Cui dabitur bono  
 Aequare dignam posse versu  
 Phyllida, Callirhoëque pulcram,  
 Longoque amatam tempore Claudiam?  
 Ut hoc praeoptet quis, tamen anxium  
 Frustra laborem sumet, Hagi,  
 Sidera ni faveant aventi  
 Movere plectrum: quin sciet hoc idem,  
 Si quis benignum fors (sed enim boni  
 Nascuntur, haud fiunt Poëtae)  
 Possideat genium Secundi.

*Wircepurgi.*

IN ADVERSA VALETUDINE  
 PETRI LOTICHII SECUNDI,

MEDICI AC POETAE EXCELLENTISSIMI,  
 LACRYMAE ADAMI GELPHII, CUM  
 IPSI AEGROTANTI ASSIDERET.

**H**uc, huc fororum Pegasidum decus,  
 Huc Phoebe vatū praefēs & arbiter,  
 D d

Me.

Meumque magnum (heu) sub imis  
 Pectoribus refera dolorem.  
 Tu quaeso plectrum flebilibus modis  
 Deprome, carmen dic mihi lugubre,  
 Et cuncta lacrymationum  
 Nunc referare memento claustra,  
 Dic tale carmen, quale per herbidi  
 Littus Caystri cygnus, arundine  
 Percussus aerata, sonorus  
 Guttare jam moriente cantat.  
 Vel quale rapta conjuge concinit  
 Orpheus, magister Thræiciae lyrae,  
 Ditem tremendum quo movere  
 Et Stygias potuit sorores.  
 Ah unde questus incipiam meos?  
 Aut prima quae vox pectore se efferat,  
 Laxare quae possit meatus  
 Fletibus atque meis querelis?  
 Vix jam Mycilli fata miser mei  
 Parentis udis finieram genis  
 De flere, Musarumque cladem  
 Perniciemque nimis dolendam:  
 En rursus (heu!) luctus adest novus:  
 Lotichium mors atra vocat meum.  
 Heu mortis exoranda nulli  
 Asperitas, avidique Fati!  
 Illum medendi munere nobilem  
 Illum canendi munere nobilem

Teutonicae Latiaeque lumen.  
 Huic jam rapaces numinibus Deae  
 Junctis severas injiciunt manus,  
 Et flexuoso brachio illi  
 Stamina rumpere texta tentant,  
 Ah, ah, feroces, quid facitis Deae?  
 Huic quaeso Parcae parcite, parcite,  
 Ah cur virum laetae juventae  
 Tollere pergitis ante tempus?  
 Quem nuper ipsae per juga Pessuli  
 Duxere Musae, summaque tempora

Cinxere

Cinxere lauro tam nitenti,  
 Floribus innocuaeque myrthi.  
 Hunc tam virentem flosculum Apollinis  
 Quem tot dierum vix spacium tulit,  
 Nunc una, cunctis tam sinistris  
 Sideribus, mala perdat hora?  
 Hunc & vocantem numen Apollinis  
 Apollo temnis? quis tuus amplius,  
 O saeve, quis sectator ultra  
 Nunc cupiat tuus esse, Phoebe?  
 An hoc quis unquam te coluit magis,  
 Aut pluribus te laudibus obruit?  
 Seu pelleret morbos sagaci  
 Sedulitate periculosos.  
 Is seu tenella blandus amoribus  
 Cantaret aptos voce Elegos, levi  
 Seu Daphnidis mortem cicuta  
 In liquidas resonaret auras.  
 Nos hujus (ah!) quae non facimus tamen  
 Causa? sacras num cingere parcius  
 Aras honore thuris? an non  
 Quod fatis est, precibus litamus?  
 Tam mane Musas non repeto meas,  
 Nec lectulum tam vespere visito,  
 Ad te prius quin lacrymarum  
 Flumina magna precumque fundam.  
 Quid? si feris Parcis placitum foret  
 Cujusque vitae quae rescant colum,  
 Hujus quum ego mortem libenter  
 Morte mea cuperem pacisci?  
 Sed scis, quod ipsis longe aliter Deis  
 Visum est. Sua stat cuique dies: cogi  
 Triumque jus saevum fororum  
 Nemo valet variare quisquam.  
 Quid? morte clarus Pirithous sua  
 Num Theseum carum, aut Pylades suum  
 Audax Oresten liberare  
 Evaluit violento ab Orco?  
 Haud credo sane. Non potuit, neque  
 Potest id ullus. Fata recludere

Unius est tantum Dei, qui  
 Distribuit sua cuique fata.  
 Ergo dolentes jam satis ac super  
 Sat copioso moesta rigavimus  
 Fletu ora, sat jam lacrymando  
 Lumina commaduere nostra.  
 Quod restat, omne id coelitis placet  
 Mandare, nutu hi provideant suo,  
 Cunctis quod olim vergat atque  
 Corporis atque animae in salutem.

A D A M P L I S S I M U M V I R U M,  
 NOBILITATE, DOCTRINA ET VIRTUTE PRAESTANTEM,

D. ERASMUM NEUSTETERUM,  
 COGNOMENTO STURMERUM, &c,  
 E Q U I T E M F R A N C U M,

J O A N N I S P O S T H I I  
 GERMERSHEMII ELEGIA.

**M**oesta quod a Nicro passis Elegia capillis  
 Venit in aspectum, fortis Erasme, tuum :  
 Nec gerit insignem lauri de fronde coronam,  
 Nec movet auratae fila sonora lyrae :  
 Sed nigra tempus redimita utrumque cupresso  
 Ingeminat tristes corde dolente sonos :  
 Nil mirum, quia tacta gravi modo fulminis ictu  
 Languet, & ah miseros vix trahit aegra pedes.  
 Causa mali, vatem illa suum, famamque perennem  
 Tristis in ardentem vidit abire rogos.  
 Quippe Camenarum decus & nova gloria Phoebi  
 Lotichius summum clausit in orbe diem.  
 Acta pruinosi fuerat lux prima Novembris,  
 Furvaque nocturnum Luna terebat iter :  
 Cum tacitam sensit labi per viscera pestem,  
 Aegraque non solito membra dolore premi.

Nec

Nec mora, dira lues omnes augefcit in horas,  
 Ulla nec ardentem diluit unda fitim.  
 Artifices adfunt vitae, succosque falubres,  
 Et quaecunque folet herba juvare, ferunt.  
 Nec minus interea pectus quatit aspera tuffis,  
 Torret & accensum febris anhela jecur.  
 Hic fuit heu nulla morbus fanabilis arte,  
 Nil lacrimae, sanctae nil valere preces,  
 Hei mihi, quam fragile est, quam fallax, quam breve noſtra  
 Vita bonum, miſera eſt. ſi modo vita bonum.  
 Quam cito bulla perit pluvias ſublata per undas,  
 Tam cito vitalis deſerit oſſa vigor.  
 At mortale genus ſibi ſpe blanditur inani,  
 Illecebrisque malis, divitiisque inhians:  
 Sic, tanquam Parcae manibus poſt terga revinctis,  
 Lanificae nequeant rumpere penſa coli.  
 Sic, tanquam liceat ſtabiles hic ponere ſedes,  
 In quibus aeternum fata manere ſinant.  
 Haec ſtultas hominum quia ducit opinio mentes,  
 Immemores propriae conditionis agunt.  
 Ille leves faſtu tumidus ſeſtatur honores,  
 Vanus in his ſummum conſtituitque bonum.  
 Illum caſtra juvant, ſaevique licentia ferri,  
 Partaque ſanguinea praeda opulenta manu.  
 Agros ille colit, cultique novalia campi  
 Plurima cum teneat, plura tenere cupit.  
 Lucri alius ſtudio ſitientes currit ad Indos,  
 Mille ferens pelagi taedia, mille viae.  
 Extruit infanis altas hic ſumtibus arces,  
 Ad dominos credas ſcandere velle Deos.  
 Interea indignans vaſtum Libitina per orbem  
 Invehitur tenebris dirum adoperta caput.  
 Et male ſecuras inopino funere gentes  
 Sternit, & infernos cogit adire lacus.  
 Florida non aeras, robur non pectoris illam  
 Nobile, non animi dona beata movent.  
 Hecſtora ſed Paridi, Bavium ſed jungit Homero,  
 Et natos moeſto patre vidente rapit.  
 Hic, modo qui cecidit, quot erat virtutibus auctus  
 Quam fuit ingenio, quam fuit arte potens?

Dd 3.

Vix

Vix alius miseris poterat felicius aegris  
 Arte salutifera triste levare malum.  
 Hinc quoties mediam sese tulit ille per urbem,  
 Omnibus augusti numinis instar erat.  
 Adde, quod & citharam dederant, artemque canendi  
 Thespiadum rector, Thespiadumque chorus.  
 Sive modis etenim gravioribus iret in altum,  
 Aemulus Andini carmine vatis erat.  
 Seu levibus castos Elegis cantaret amores,  
 Certabat numeris, culte Tibulle, tuis.  
 Sive lyrae digitis resonantia fila moveret,  
 Ornabat faciles gratia blanda modos.  
 Quid referam eloquii vires, & fertile pectus,  
 Quid tincta hyblaeis verba disertis favis?  
 Sic igitur nobis, sic ô divine Poëta,  
 Ante suum rapuit te fera Parca diem?  
 Nec chorus Aonidum, nec carminis autor Apollo,  
 Nec tibi Poëtoniae profuit artis honos?  
 Quin procul a patria Nicri spumantis ad undas  
 Obrueret sanctum vilis arena caput?  
 Vixisses saltem, donec suprema fuisset  
 Per te ipsum scriptis addita lima tuis.  
 Ut quae nunc variis sunt edita carmina libris,  
 Illa simul possent continuata legi.  
 Praeferrent nullum tibi secula nostra Poëtam,  
 Pace loquor Bembi, pace, Sabine, tua.  
 Multa etiam passim heu perituris illita chartis  
 Nullius ingenio perficienda jacent.  
 Effigies Veneris sic imperfecta remansit,  
 Quam mira Cous pinxerat arte senex.  
 Prohi superi, tenebris tot carmina lecta prementur,  
 Nec poterunt vatem nobilitare suum?  
 Sic heu, sic teneri velluntur ab arbore foetus,  
 Sic modo nata cadit falce resecta Ceres!  
 At vos, quando jubent ita fata, Deusque, Camenae,  
 Nec licet in superas bella movere domos:  
 Mittite, qui superant, ad secula cana libellos,  
 Nec finite his longam posse nocere diem.  
 Tu neque, Musarum columen, patieris Erasme,  
 Ut pereant vatis carmina docta tui.

Scili.

Scilicet hac animum spe solabatur & ipse,  
 In tepido versans languida membra thoro:  
 Saeva licet duram properent mihi fata quietem,  
 Et florens campos mittar ad Elysios:  
 Tu tamen, ô vatum decus & spes dulcis, Erasme,  
 Plurima quo vivus munera dante tuli.  
 Tu facies, ut quae laudes tibi grata rependit  
 Musa, volet late docta per ora virum.  
 Musa quidem levis est mea, sed tua gloria magna  
 Cum Musa vivet tempus in omne mea.  
 Talibus ille modis aeger tunc ora resolvit,  
 Ora propinqui pallida facta nece.  
 Quae tamen ira Deum, quae te mala fata tulerunt?  
 Quid te, dulce caput, commeruisse putem?  
 Scilicet indomitus, sprete pietate poloque,  
 Jecisti in magnos verba superba Deos.  
 Aut tibi nulla fuit sanctorum cura parentum:  
 Aut tibi labe fuit commaculata manus:  
 Aut placidae miles turbasti commoda pacis,  
 In natale ferens arma inimica solum.  
 At tibi non aliquis vel dicto laesus amaro est,  
 De factisque fuit nulla querela tuis.  
 Quin potius mitis coluisti, fraude remota,  
 Et studiis homines, & pietate Deum.  
 Tu vero ô nimium, nimiumque infeste November,  
 Cur Phoebus & Musis impia bella moves?  
 Ille tuis cecidit telis, tu funeris autor,  
 Ah pudeat tanti criminis esse reum.  
 Audierit quicumque, tibi convicia dicet,  
 Detestans menssem terque quaterque tuum.  
 Phoebeae nobis tu tempus amabile lucis  
 Furaris, longas substituens tenebras.  
 Tu pluvias tristes, tu frigora saeva reducis,  
 Tu spolias moestum frondis honore nemus.  
 Tu quoque deformas nudatos gramine campos,  
 Dum madido gelidas spargis ab axe nives.  
 Mense tuo nec laeta greges per pascua ludunt,  
 Nec resonat volucrum picta per arva chorus.  
 Credibile est igitur genitum te nocte profunda,  
 Cum veniens orbi nil nisi triste feras.

Sed



Sed quid ego vanus queror? aut quid inania fingo  
 Somnia? parce pater, non ea culpa tua est.  
 Tempora nil peccant, rapidum quae versus in orbem  
 Metitur, Phoebos sic moderante, polus.  
 Coelum crimen habet nostri caussamque doloris,  
 Vosque per aetheream sidera fixa domum.  
 Vos duras fato leges praescribere certum est,  
 Vos penes est vitae, vos necis arbitrium.  
 Mirabar, citius solito quid subdola Cypris  
 Cum Sole occiduas ingrederetur aquas.  
 Scilicet heu nocuo se armavit uterque veneno,  
 Cor ubi lethiferum Scorpius acer habet.  
 Quadrataque ferox acie, facibusque cruentis  
 Impetiit Lunae Mars trepidantis eques.  
 Nec minus ense truci, clavaque timendus Orion  
 Instabat capiti Cynthia moesta tuo.  
 Inde mali fluxit morbi lethalis origo,  
 Vincere quem medicae non potuere manus.  
 O superi, quid signa juvat radiantia coelo  
 Fixisse, igniferos quid variasse globos?  
 Sponte sua morbi veniunt, saevique dolores,  
 Sponte sua e misero corpore vita fugit.  
 Lumina si coeli terris nocitura fuerunt,  
 Una novi facies debuit esse poli.  
 Sed neque credibile est, pietas neque credere suadet,  
 Sideribus solis omnia nata regi.  
 Astra vices peragunt iussas: Deus astra gubernat;  
 Hunc vitae penes est & necis arbitrium.  
 Cum libet, ipse pios mediis e fluctibus aevi  
 Eripit, & regno dat meliore frui.  
 Nulla ubi praecipiti volvuntur secula cursu,  
 Nec rapit occiduum nox tenebrosa diem.  
 Nullum ubi morborum genus est, ubi nulla fatigat  
 Cura animos, sancti nil ubi triste timent.  
 Sed pax alma tenet regnum, dulcisque voluptas,  
 Laetitia & demto fine perennis adest.  
 Huic comes it facilis ridenti Gratia vultu,  
 Exhilaratque homines, exhilaratque Deos.  
 Quisque ligat dulci felicia pectora nodo,  
 Perpetuum immenso flumine abundat Amor.

Et

Et liquido resonant cantu Jovis aurea templa,  
 Angelicque movent tinnula plectra chori.  
 Hos inter cithara praestans & voce Secundus  
 Concinit aeterno carmina laeta Deo.  
 Ille canit, cantus iterant & verba frequentes  
 Coelicolae, vatem suspiciuntque novum.  
 Suspicit ipse parens vatum laudatque Micyllus,  
 Discipulo gaudes, magne Philippe, tuo.  
 Ille velut sanctos coluit vos usque parentes,  
 Et tumultis solvit debita iusta piis.  
 Nec tantum sparsit violisque rosisque sepulcra,  
 Et tristes sedit flebilis ante rogos:  
 Vestra sed & doctis celebravit busta libellis,  
 Quos poterunt nulli post abolere dies.  
 Salve magne Dei vates, decus addite coelo,  
 Salve, & perpetuum, care Secunde, vale.  
 Me sine dulce tibi sedes habitare beatas,  
 Sed manet heu nobis te sine dulce nihil.  
 Tecum deliciae perierunt, omnia tecum  
 Gaudia jam tenebris nostra sepulta jacent.  
 Laeta tuis olim studiis modo Gallia luget,  
 Tergit & humentes Ausonis ora genas:  
 Et magno ante alios tua mors inopina dolori est  
 Sturmero, ante alios qui tibi carus erat.  
 Eloquentiaque potens & carminis arte Sabinus  
 Ad Viadri maestras te gemit amnis aquas.  
 Stigelius numerans exacti temporis annos  
 Conqueritur vitae de brevitate tuae.  
 Et Latio & Graeco tua funera pectine deflet  
 Cracovius Phoebi gloria, juris honos.  
 Blandaue cui facili decurrunt carmina vena  
 Löscherus lacrimis irrigat ossa piis.  
 Et carum veluti fratrem te luget ademptum  
 Cisperus patriae lumen honorque suae.  
 Quid loquar, ut noctes gemitu, lucesque fatiget  
 Cultor amicitiae Gelphius ille tuae.  
 Gelphius ille, tibi niveo candore probatus,  
 Cui dedit ipsa suam Calliopea lyram.  
 Qua nunc tale tibi meditatur condere carmen,  
 Quale canit tristi tempore mortis olor.

Ec

Dii

Dii facerent possem, simili, cultissime vates,  
 Ipse quoque ornarem funus honore tuum.  
 Sed mihi cum juveni desint in carmina vires,  
 Manibus & nequeam scribere digna tuis:  
 Haec precor ah saltem mea sit tibi grata voluntas;  
 Sic tua suspensus contegat ossa lapis.  
 Et lapidem juxta laurus pulcherrima surgat,  
 Quae sit honoratis semper odora comis.  
 Qua residens dulces iteret Philomela querelas,  
 Semper & hanc circum plurima cantet avis.  
 Ut tua praeteriens olim monumenta viator  
 Sentiat Aonias hic habitare Deas.  
 Atque locum venerans cineri nova ferta ministret;  
 Hisque legat brevibus carmina caesa notis:  
 Lotichio, eximio Medico, eximioque Poëtae  
 Extincto Charites hanc posuere domum:  
 Quamque vides laurum tumulo super impendentem  
 Transtulit Aonidum huc ex Helicone Pater.  
 Caetera Sturmerus dedit ornamenta: Camenae  
 Vatis custodes ad pia busta sedent.

*Heidelbergae, Anno Domini M. D. LX.*

JOANNES POSTHIUS JOANNI  
 HAGIO MED. DOCTISS. S.

Suppressurus eram carmen juvenile, quod olim  
 Effudi in maesto funere Lotichii.  
 Hoc tu care vetas, Hagi, vetat umbra Poëtae,  
 Nec pia Sturmeri cura favorque sinunt.  
 Cedo igitur, vobis quia sic placet, ut mea, quamvis  
 Sit rudis, in lucem Musa novam redeat.  
 Ne videar nostro plus consuluisse pudori,  
 Quam laudi ac famae, culte Secunde, tuae.

*Wirtzeburgi, Anno Domini M. D. LXXXIV.*

I. N.

IN EUNDEM EJUSDEM  
 PETRI LOTICHII SECUNDI  
 OBITUM, FRANCISCI MODII BRUGENSIS ELEGIA.

**B**is decies magnum Sol circumvolvitur annum :  
 Adde annos gyro de breviorē duos :  
 Cum facer ille Heliconiadum Phoebique sacerdos  
 Prima suae gentis gloria Lotichius ,  
 Parcarum imperio, hoc, nisi me sententia fallit,  
 Ad plures ipso jussus abire die est.  
 Et cessatis adhuc segnes in vota, Poëtae,  
 Tam sanctam vobis rite piate animam ?  
 Tuque adeo ante alios, Posthi cultissime, cujus  
 Sunt maesta illius lumina clausa manu.  
 Ultro cui citharam ille suam, docilesque cicutas  
 Tradidit, Aonio non renuente Deo :  
 Et dixit moriens: tu nunc haec alter habebis  
 Posthi, maeste meis invidiose bonis :  
 Dicensque in te sic sese insinuavit, ab illo  
 Lotichii ut solo coeperis ore loqui :  
 Annua nonne refers soliti libamina honoris,  
 Testatus memorem vatibus esse fidem ?  
 Si bene te novi, jamdudum totus in uno hoc,  
 Manibus & vino & lacte operatus ades.  
 Nec pietas tua te tam festa luce prophanis,  
 Sat scio, permittit deditum in officiis.  
 Jungam igitur lacrimas, solitum testamen amoris :  
 Et de non longis segmina curta comis.  
 Ac tibi pro me etiam memminente Secunde, querela  
 Nunc maestus faciam, nunc faciam lacrimis.  
 Istis, ante diem propero quod funere raptō  
 Mellea vox medio sic stetit ista sono :  
 Ad vada cygnei ut, fati secura, Caystri,  
 Cum cadit, inque ipso funere cantat avis.  
 Illa, quod misero optatos mihi cernere vultus  
 Tam cari haud saltem nominis ante fuit.

Ee 2

Quam

Quam res humanas linquens cervicibus iret  
 Auttum Atlantaeis assoliti axis onus.  
 Nequicquam lacrimis: quis cui sapit, abnuat hoc, cor?  
 Nequicquam querulis, culte Secunde, sonis.  
 Sentio: nam neque te producere longius aevum  
 Tum sunt passa nigrae jura severa Deae:  
 Nec nunc te saltem tantillo saeva reverti,  
 Quod volo tum videam, tempore fata sinunt.  
 Ergo igitur quod post ista ut non improbus optem,  
 Hoc precor, hoc votis opto, Secunde, meis:  
 Nostris te talem dare uti dignere libellis:  
 Posthiadae nostri qualis in ore sonas.  
 Juratusque tibi hoc promitto, Secunde, vicissim,  
 Fas erit aetheria dum mihi luce frui;  
 Quo tibi denato, felicibus infito & olim  
 Ordinibus magni janua aperta poli est;  
 Semper honoratum mediis licet exuli in Indis  
 Hunc fore, sit dicti testis Apollo, diem.

*Wirtzeburgi, Anno Domini M. D. LXXX.*

AD REVERENDISSIMUM VIRUM  
 PETRUM LOTICHIIUM,  
 ABBATEM ECCLESIAE MONASTERII SOLITARIENSIS  
 CAROLI HUGELII  
 ELEGIA.

**H**uc ades, intentant vati mala sidera mortem,  
 Huc ades o medicae Phoebe repertor opis.  
 Si potis es lenire malum, vel si quibus unquam  
 Causa sub extrema morte salutis eras.  
 Nunc propera, nunc adfer opem, te nulla pigebit  
 Cura, nec optatas adplicuisse manus.  
 Per decus immortale, tuae per candida frontis  
 Lumina, quae mundus vix capit, adfer opem.  
 Profuerit sacros vati coluisse recessus,  
 Corporaque e mediis eripuisse rogis.

*Sancte*

Sancte veni, solitam reditum nec differ in horam,  
 Currus in occiduas vix tuus ivit aquas.  
 Flecte viam, tecumque seras, quicumque liquores  
 Possunt fatales vi prohibere minas.  
 Pelle graves morbos, & quicquid triste timemus  
 Jactent æerii per freta summa Noti.  
 Eia age Phoebe redi, jam corpore deficit aeger,  
 Jam vires abeunt, Eia age Phoebe redi.  
 Sed moritur, jam vita fugit, tu qui regis astra,  
 Qui pia coelesti lumine corda rigas.  
 Discedenti animæ, tibi quæ constanter adhaesit,  
 Pande serenati testa beata poli.  
 Respice grassanti quæ mens exhausta dolore  
 Edidit in maesto verba suprema toro.  
 Fata vocant, lux alma vale, mihi meta dolorum  
 Ultima, quod toto pectore laetor, adest.  
 Regia siderei me me vocat aurea coeli:  
 Dulcis amicorum jam mihi turba vale.  
 Et si gratus eram, meritis hoc addite vestris,  
 Gaudeat ut digno funus honore meum.  
 At tu summe parens, qui mortis jura gubernas,  
 Unica qui vitae lux & origo meae es:  
 Da precor, ut liceat, quæ per superum aethera fulget,  
 Tecum perpetuo tempore luce frui.  
 Efficiar coeli novus incola, si mea coelum  
 Respexit pietas, si tua iussa fides.  
 Sic intenta Deo mens jam moritura vocabat  
 Voce redemptorem deficiente suum.  
 Donec mors animam placide subduxit, & artus  
 Irruit extremo plena sopore quies.  
 Ergo velut culto flos intemeratus in horto,  
 Deficiunt ævi fila, Secunde, tui.  
 Ter decies sacras & bis prostratus ad aras  
 Solvisti genio debita sacra tuo:  
 Vrere cum gravibus coepit tua viscera flammis  
 Ipso natali febris anhela die.  
 Febris quæ misero spacium tibi finiit ævi,  
 Nox ubi ab Hesperiiis septima venit aquis.  
 Jamque jaces, tecumque jacet laudabile quicquid  
 Inclita Pegasei numina fontis habent.

Quaque Medusae secessibus aemula ripae  
 Educat humentes Acidis unda rosas.  
 Nam soror & frater, & avito sanguine juncti,  
 Extincto cineri dona suprema dabunt:  
 Marmora quo viridi decorentur coerula myrto,  
 Flebilis & Tyrio floreat urna croco.  
 Sed bene habet, tristi redimita Thalia cupresso  
 Attulit Aonii lumina prima chori.  
 Omnis adest aetas, & tristi plena dolore  
 Venit in exequias longa caterva pias.  
 Tempus adest, jam tu Musis operata juvenus  
 Ad tumulum mecum flebile defer onus.  
 Fallor? an insolitos Nicer hoc in funere luctus  
 Vidit, & erecto flumine tristis ait:  
 Hei mihi, cur dulces tenui sub fronde Napaeae  
 Arguto querulos promitis ore sonos?  
 Naiades, tanto quem vos dessetis amore,  
 Ut redeat celsis icta querela jugis?  
 Anue, Deo sacras quae jam ducuntur ad aedes,  
 Ultima sunt magni funera Lotichii?  
 Quid caput hoc toties fors impia deprimis? heu heu  
 Conficis assiduo quid mea fata malo?  
 Tertia venit hyems, memini, cum sancta Micylli  
 Spe citius lacrymas ossa bibere meas.  
 Et jam Pieria longe praestantior arte  
 Littora destituens nostra Secundus obit?  
 Ah desiderium, ah gemitus, quos ipse reliquit,  
 Deliciae & tituli jam periere mei.  
 Cum fortuna meis tantum decus attulit oris,  
 Sponte sua dulces protulit Hybla favos.  
 Terraque purpureos vicina per arva colores  
 Edidit, & foliis litia cana suis.  
 Tunc ego regnabam laudata per arva, nec ullum  
 Flumen in obliquo notius orbe fuit  
 At jam me miserum divini casus oloris  
 Turbat, & ornatus concidit ille meus  
 Bruma riget, Boreasque fremit, stat densior aër,  
 Et gelidas medio fundit ab orbe nives.  
 Tristantur sylvae, tristantur mollia prata,  
 Arbor & umbrosas exuit alta comas.

Creta

Grata coronatis & defunt murmura rivis,  
 Nascentemque diem nulla salutat avis.  
 Sola graves iterat dulcis Philomela querelas,  
 Pendula qua liquidas myrius obumbrat aquas.  
 Sola necem queritur, reliquis dolor improbus obstat,  
 Nec finit, ut sueto gutture more sonent.  
 Signa tamen luctus edunt, cum dulcia Vatis  
 Conspiciunt alta carmina nocte premi.  
 Carmina, praeclaras quae possent ire per aures,  
 Tutaeque Pierii docta per ora gregis.  
 Ergo meas donec per saxa sonora volutans  
 Excipiet lato gurgite Rhénus aquas:  
 Nulla dies umquam luctus mihi finiet aegros,  
 Semper erit lacrimis turbida lympa meis.  
 Haec & plura Nicer: Sed jam bona verba facerdos,  
 Dum sacra sub tumulo condimus ossa, refert:  
 Quod Vates requiem ducat, quod dulciter umbra  
 Dormiat, & cineri sit levis iste sopor.  
 Quodque Deus, gelidi quae jam capit urna sepulcri,  
 Exuviis iterum vestiet ossa suis.  
 Adscribetque choro Superum, quæ corda piorum  
 Sanctus inexhausto flatus amore replet.  
 Nam quicumque Deum colit, & se munera vitae  
 Justifica gratis credit habere fide:  
 Ille jugum mortis superans, coelestibus adstat  
 Conciliis, summo perfruiturque bono.  
 Ilinc spes firma piis oritur, quod splendida nostri  
 Vatis in aethereo gaudeat umbra throno.  
 Extollatque caput sanctum, cui gloria Phoebi  
 Cedit, & extremo quae micat orbe soror.  
 Salve anima illustris, pulcri quam regia coeli  
 Jam capit, & dulci nectare Christus alit.  
 Quas precor inferias, cineri quae dona rependam?  
 Quae solvam meritis praemia digna tuis?  
 Grande voco meritum, mihi quod stetit usque benigni  
 Pectoris atque animi janua aperta tui.  
 Grande voco meritum, quod me per inhospita saxa  
 Duxisti in Clarii culta vireta Dei.  
 Has molles violas, utinam tibi plura liceret!  
 Accipe pro tantis praemia muneribus.

F f

Accipe,



Accipe, nam precium nequeo dare majus adempto,  
 Accipe, sed lacrimis fecta rigata meis.  
 Nec lacrimas, nec sperne rofas, cultissime vates,  
 Inque Dei capias ocia laeta sinu.  
 Tu quoque nate Dei, nostri qui victus amore,  
 Mortis fregisti vincula morte tua.  
 Da precor, ut misero superant quae tempora mundo,  
 Omnia mandatis sint operata tuis.  
 Sterne viam nobis, quae recto tramite planum  
 Ad sacra coelituum gaudia monstret iter.  
 Perque procellosae metuenda pericula Syrtis  
 Navita fluctifonas te duce tranet aquas.  
 Donec conspicuo venturus ab aethere iudex  
 Perpetua tutos in statione loces.  
 Et radiant jam signa polo manifesta sereno,  
 Auguror adventum non procul esse tuum.

AD CLARISSIMUM VIRUM,  
 NOBILITATE, ERUDITIONE AC VIRTUTE PRAESTANTEM  
 ERICUM VOLCKMARUM A BERLEPSCH,

ELEGIA  
 ABRAHAM I LOESCHERI  
 IN OBITU  
 PETRI LOTICHII SECUNDI.

**M**E quoque Lotichii mors importuna coëgit  
 Scribere, sed moesta carmina pauca manu.  
 Mens adflicta gemit, crebrisque offensa querelis  
 In luctus toto pectore tristis abit.  
 Pierides sed idem, sed idem pulcherrimus ordo  
 Musarum, Phoebos praecipiente, facit.  
 En inculta jacet, tenebrisque abscondita Clio,  
 Plorat inornatas dilaniata comas.  
 Flet pia Calliope, fidibusque infesta sonoris  
 Abjecit tristem tristior ipsa lyram.  
 Quaeque suo flores solita est effundere vati,  
 Deficit, & lacrimis fecta Thalia riget.

Flebilis

Flebilis ante alias Elegeia sparsa capillis,  
 Jam sibi non fictum nomen inesse putat.  
 Ingeminat longos inter suspiria planctus,  
 Atque ait : heu ! tantus debuit ille mori :  
 Heu modo tantus ubi es ? quae te vis mortis ademitt ?  
 Haec sunt ingenio dona parata tuo ?  
 Exitus hic vati datus est ? quem vita perennis,  
 Quem suus aeterna laude decebat honos.  
 Haec, aut plura refert, lacrimis verba ultima claudens :  
 Aggemit Aonii caetera turba chori.  
 • Nos Musas sequimur (quid ni sequeremur ?) amici,  
 Exequiasque tibi quisque, Secunde, parat.  
 Quilibet, ut debet, meritos instaurat honores,  
 Manibus & pergit solvere iusta tuis.  
 Hoc quicquid tamen est, nihil est quod laudibus aequet  
 Lotichii, toto quod viget orbe, decus.  
 Ipsa nitet per se virtus, propriisque superbit  
 Praefidiis, alias splendida nescit opes.  
 Cumque suos late fulgens ostendet honores,  
 Externae precium laudis habere negat.  
 Vera tamen serae dicent praeconia gentes  
 Lotichio, & memori carmine dona ferent.  
 Huic locuples natura viro (sit gratia dictis,  
 Posteritas iudex & mihi testis erit.)  
 Effundens gremio cunctas dedit ubere dotes,  
 Sensibus humanis quae potuere dari.  
 Quicquid ab antiquis docuerunt tempora sectis,  
 Seu Chrysippe tuis, Pyrrhia sive tuis :  
 Tradita Cecropiae quondam secreta senectae,  
 Et placita Aufoniis quae valere scholis :  
 Democriti doctos risus, Samiumque tacentem,  
 Et quod quisque novum, nobilis arte, dedit.  
 Hic animo tenuit, tenuit primordia rerum,  
 Atque harum quae sint semina, quaeque vices.  
 Quae sit norma boni, quo limite constet honestum,  
 Quo degi possit vita beata modo.  
 Natura abstrusas his insuper addidit artes,  
 Quas simul hic longum commemorare foret.  
 Oceanus refluus toties cur aestuet undis,  
 Cur sale stagnantes inficiantur aquae.

Qua caussa imbriferae nubes, ventique creentur :  
 Quis supero teneras mittat ab axe nives.  
 Quae vis fulmineos ex aëre concitet ignes,  
 Cur Sol obscuret lumina, curve foror.  
 Cur Iris, quoties spectatur in aethere, vultus  
 Signatos arcu versicolore ferat.  
 Denique quae tristes incendat flamma Cometas,  
 Ex ista veniant cur fera bella luc.  
 Signa etiam volucris gemmantia novit Olympi,  
 Rimatus leges, fixaque jura poli.  
 Quo teretes opifex rerum trahat ordine stellas,  
 Quo surgant illae cardine, quove cadant.  
 Quae sint errantes, cur oblucentur in ortum,  
 Nec comites mundi totius esse velint.  
 Quo positu natis quid sidera singula donent,  
 Sidera quo positu singula quidve negent.  
 Donat honoratos hoc Jupiter ordine fasces,  
 Hoc infinitas tramite spondet opes.  
 Hic tribuit summos, cunis blanditus, honores,  
 Hoc nexu incolumes jungit amicitias.  
 Hoc saepe indomitos munimine reppulit hostes,  
 Fausaque victrici rettulit arma manu.  
 Servat inoffensam pacem, studiumque quietis  
 Insinuat, pietas hoc duce tuta sedet.  
 At tu qui Latia quondam tellure latebas,  
 Coelitibus regnis ut Jove pulsus eras:  
 Cur tot in humanas vecors incommoda gentes  
 Congeris? Innocuos haec decet ira Deos?  
 Cur nos praecipiti properas absumere fato?  
 Nostraque lethali corpora falce metis?  
 Ingenii nervos habetas, atri que venenum  
 Sanguinis ad certam spargis in ima necem.  
 Tu seris occultas intra praecordia lites,  
 Cumque timor non est, vana timere jubes.  
 Insidias nectis, nocuumque latronibus ensem  
 Exacuis, crudo, dic, quot ab ense cadant?  
 Te socium caedis poscit, sequiturque ferocem  
 Et parat alternas Martia stella neces.  
 At melior Sol est, melior quoque Luna, Venusque,  
 Et Maja natus qui genitrice fuit.

Hi

Hi generi humano melius, vitaeque faventes  
 Felici praebent gaudia, plura situ.  
 Muneribus cumulant homines, & divite vena  
 Stipant, & cum sint plurima, plura ferunt.  
 Prorogat hic vitae spacium, mensesque secundos  
 Ducit, & effoetos vivere curat avos.  
 Illa verecundi socialia foedera lecti  
 Arctat, & aeterno jungit amore duos.  
 Munera certatim fundunt, successibus augent  
 Mortales, ne quid possit obesse, cavent.  
 Haec quorsum dices? noster quia talia norat  
 Petrus, & hac clarus cognitione fuit.  
 Nec tantum novit, sed & exornare disertus,  
 Cum voluit, dulces fudit ab ore sonos.  
 Pondus in eloquio, vivebat gratia verbis,  
 Undabat rerum flumine lingua potens.  
 Haec non ficta cano, norunt & nosse fatentur,  
 Congressus tanti qui coluere viri.  
 Testes sunt etiam, quos edidit ipse, libelli,  
 Quantus in his vigor est, copia quanta fuit?  
 Imparibus quoties versus innectere nodis  
 Institit, huic Elegi non habuere parem.  
 At simul Heroum vel gesta vel arma sonabat,  
 Vix gravitas & vox grandior ulla fuit.  
 Parcite Pierides, Germani parcite vates,  
 Lotichius Charitum gloria prima fuit.  
 His ergo auxiliis medicas accessit ad artes,  
 Sed medica, quaeſo, quantus in arte fuit?  
 Quam facile enati pepulit contagia morbi?  
 Tabe laborarint corpora, sive febri.  
 Quam bene Poeonias herbas, succosque salubres  
 Miscuit, hinc lassos ferret ut auxilium?  
 Ipse fateretur Podalirius, ipse Machaon  
 Diceret hoc: medica tantus in arte fuit.  
 Inde peregrinas saepe est excitus in oras,  
 Sanaret docta languida membra manu.  
 Cujus ad adventum melius confidere coepit  
 Aeger, & ut veniat, fortior, inquit, ero.  
 Et tamen (heu quae vis heu quanta potentia fati!  
 Heu quem non avida mors rapit atra manu.)

Occidit hic noster septem vix lustra moratus  
 In terris. En hoc omnia fine cadunt.  
 Scilicet in fatum ruimus, cursuque citato  
 Ad declinatos labitur hora dies.  
 Quicquid praeteriit spacia, simulacra gerebat  
 Funeris, & species aemula mortis erat.  
 Sicque cadaveribus simile est, umbraeque fugaci  
 Quod fuimus vitae tempore, quodque sumus.  
 Sed tamen, haec ne sint, vereor praefagia cladum,  
 Poenarumque aliquid talia fata ferant:  
 Ne dum praestantes obeunt, fatisque domantur,  
 Ingruat innumeris vasta ruina malis.  
 Dum loquor, ecce ferox ruit in certamina Moscus,  
 Et fera Riphaeis devocat arma jugis.  
 Volga pharetratas fundit sinuosa cohortes,  
 Perfidus alipedes Sarmata fraenat equos.  
 Et jam vicinas vastant incendia gentes,  
 Et cognatorum terra cruore madet.  
 Ad Tanaim Turcae, tumidasque Borysthenis undas  
 Barbara vipereo spicula felle linunt.  
 Lunatas vibrat pubes Hyrcania peltas,  
 A tergo jaciunt ferrea tela Getae.  
 Non solum populantur agros, laribusque crematis  
 Interimunt cruda corpora viva manu:  
 Sed captos abigunt cives, Mahometica cogunt  
 Quos abjurato sacra probare Deo.  
 Tormenti hoc genus est, genus est miserabile poena,  
 Heu dolor, heu gravibus secula foeta malis!  
 Talia ne sanctae videant, animaeque fideles,  
 Adspectu tristi subtrahit ipse Deus.  
 Tum poenae incumbunt, damnisque frequentibus horrent,  
 Et fortunatum quod fuit ante, trahunt.  
 At tu nunc coelo frueris, cursuque peracto  
 Incolis aethereas, Petre Secunde, domos.  
 Nunc illum tandem medicum sectaris alumnus,  
 Omnia qui sanat vulnera, nulla facit.  
 Quaeque sub obscuris quasi nubibus ante videbas,  
 Jam tibi coelesti lumine clara patent.  
 Nunc penitus vivis: pondus mortale trahebas  
 Haecenus, ex illa parte gravatus eras.

Vive

Vive igitur felix, aeternam carpe quietem,  
 Vive Panomphaei sede recepte Dei.  
 Hos tamen extremos, feralia munera, versus  
 Inscribit busti marmore Musa tui.  
 Hic est Lotichii tumulus, subsiste viator,  
 Lotichii tumulo dic age, fausta precor.  
 Si pietas, si cana fides, si vivida virtus  
 Possset ab extremis vim prohibere rogis:  
 Viveret hic: Nunc se mortalibus exiit umbris,  
 Ossa teguntur humo, spiritus astra colit.

ELEGIA IN OBITU  
 PETRI LOTICHII SECUNDI,  
 MEDICI ET POËTAE CLARISSIMI,  
 AUCTORE  
 GEORGIO CRACOVIO  
 JURECONS.

**H**eu fama infelix Rheni jam sparsa per agros,  
 Pectora cur toties nostra dolore replet?  
 Nuper doctiloqui narrabas fata Philippi,  
 Qui vir perpetuo vivere dignus erat.  
 Et nunc Lotichii praestantis prodere vatis  
 Audes fata? nimis nuncia dura mihi.  
 Conquerar an fiteam? tristem mihi Spira dolorem  
 Bis peperit: posthac Dis meliora ferant.  
 Optima quaeque prius rapit inclementia mortis,  
 Ingeniis semper dira minata bonis.  
 Sic quoque Lotichius mediae sub flore juventae,  
 Occidit iste suum (proh dolor) ante diem.  
 Multos progenuit Germania culta Poëtas,  
 Quos omnes longum commemorare foret.  
 Multos Aufoniae, multos quoque Gallica tellus,  
 Ingeniis gaudens utraque terra suis.  
 Lotichio at palmam Musae tribuere Secundo,  
 Hic vatum princeps & Coryphaeus erat.  
 Stigelius mihi testis erit, testisque Sabinus,  
 Lumina Pierii quos reor esse chori.

Sic

Sic tu censebas studiis excolte Micylle,  
 Audivi ex ore hoc, sancte Philippe, tuo.  
 Omnia certatim Charites tibi dona, Secunde,  
 Et vires numeris contribuere tuis.  
 Petre Secunde, quidem gaudebas nomine tali,  
 At nulli vatum, Petre, secundus eras.  
 Te quoties vidi properatum fundere carmen,  
 In quo visa tamen nulla litura fuit.  
 Non aliter, quam cum largus delabatur imber  
 E coelo, aut madido rore rigatur humus.  
 Non referam varias exculti pectoris artes,  
 Virtutum laudes, eloquiique decus.  
 Praetereo medica quam felix doctor in arte,  
 Doctrinae gnarus quam fuerisque Dei.  
 Ergo tuum merito lugent sacra numina fatum,  
 Te Phoebus deflet, Pegasidumque chorus.  
 Te Nicer ipse dolet, Rhenuſ te luget & Iſter,  
 Te lacrimis Albis proſequiturque ſuis.  
 Te quoque funereo gemitu deplorat Eliſter,  
 Nec Viadrus ſletum continet ille ſuum.  
 Aſt quia ſic voluit mundi ſator, arbiter aevi,  
 Rumperet ut vitae ſtamina Parca tuae.  
 Ille ego (quod ſupereſt) qui te ceu fidus Achates  
 Dilexi, tibi nunc mollia fata precor.

## E P I T A P H I O N.

**O**ſſa ſub hoc tumulo ſacri ſunt condita vatis  
 Lotichii, tener at ſpiritus aſtra colit.  
 Occubuitque novem decus immortale ſorum,  
 Maxima Pegasidum fama ſepulta jacet.  
 Proh quantum ingenium, dulcedo quantaque morum  
 Sedit in illius pectore, nata Deo.  
 Doctrinae ſtudiis teneris excultus ab annis  
 Ingenii fructus mox dedit ipſe ſui.  
 Ad ter quinque ſuos nondum pervenerat annos,  
 Cum tibi diſcipulus, docte Micylle, fuit.  
 Tunc tamen argutos norat conſcribere verſus,  
 Quales Naſo tener, tuque Tibulle canis.

Poſt

Post vigor ingenii crevit crescentibus annis,  
 Nec contenta suo pondere Musa fuit.  
 Italiae primas illi tribuere Poëtae,  
 Illi visa utinam non ea terra foret!  
 Cessit Flaminius, concessit Cottaque palmam,  
 Castalion multo visus es inferior:  
 Hanc praeter laudem fausto quoque sidere Doctor  
 Ille Machaonia claruit arte potens.  
 Amplius haud talem natura effoeta poëtam  
 Proferet. Ad finem nam ruit illa suum.  
 Ergo qui transis, tam docto mollia vati  
 Optes fata, brevi machina celsa cadet.

Legitur hoc etiam in Epitaphiis a Pantaleone collectis Lib. IV. pag. 137. ubi nonnulla aliter. ut v. 7. *Doctrina & studiis.* v. 12. *Qualis vel Naso velque Tibullus habet.* quod valde inconcinnum; ut & v. 18. *Multo Castal'ion inferiorque fuit.* v. 20. *Machaonia clarus in arte fuit.* v. 24. *celsa ruet.* quod melius esset, nisi v. 22. praecessisset *ruit*.

### Ejusdem Graecum.

Εἰνάδε Λωτιχίς νῦν ὅτ'εα κείται ἀοιδῶ,  
 ὅς ζῶσιν μετ'εὖν ἄγλαος ἔσκειν ἀνῆρ.  
 Χρήσιμος ἰητρὸς πολλῶν ἀντάξιός ἄλλων.  
 Τῇ Φυσικῇ γνῶσει καὶ κορυφαῖος ἐὼν,  
 Μοῖς ὁλόη, τοῖον ἢ ἤσπασε ἄνδρα, ὅς ἀρχῶν  
 Πάντων, ποιητῶν καλὸν εἶσε μέλος.  
 Αὐτοῦ μὲν τιμὴ εἰς οὐρανὸν αἰπὺν ἰκάνει,  
 Ἡ δὲ διδασκαλίη ἄσπον ἱστοῖ νεφῶν.  
 Νῦν μῦσαι περιπλαζόμεναι γοαῶσιν ἔρημαι  
 Αἰὲν ὀδυρόμεναι Λωτιχίς θάνατον.  
 Καὶ Ελικωνιάδες, Νίκερ νύμφαί τε πρὸς ὕδωρ  
 Πλήθυσιν φωνῇ ἄλσεν πάντα ἐν.  
 Ἄλλ' οὐπὼς θανάτῳ δύναντι δύναται τις ἀλύξαι,  
 Οὐδεὶς τοῦ μερόπων τὸν μόρον ἐκφυγεῖν.  
 Εὐχόμεθ' ὡς αὐτῷ παρὰ χριτῶ ἀφθίτα δῶρα  
 Αἰίδης ζῶης ἡδὲ δικαιοσύνης.

G g

EYXH



E Y X H fatalis auctori suo

**Ε**ν γηράσκοντος τοῦ κόσμου γήραϊ λυγρῷ  
 Τὸς θορυβὰς πλείεστε, διότατάς τε τᾶσαι  
 Αὐτὸς ἔσεσθαι ἔφη χρεῖστος πατρὸς ἀγλαὸς ἦς  
 Καὶ τῷτ' εὖ εἰδὼς ἀξιώπιτος ἔφη.  
 Ψεῦδος οὐκ ἔρει, μάλα γὰρ θεὸς ἐστὶ ἀληθής·  
 Τὰ πρόσσω λένσων καὶ τὰ ὀπίσσω ἰδὼν.  
 Πάντ' ἐπὶ παντοίῃ κεχολώμενα μαίνετ' ἐπ' αἶψῃ  
 ἔθνεα, καὶ κόσμος νῦν στυγερὸς ὅλος.  
 Οὐρανὸν εὐκτίσας δυνάμεις πάσαιτε κινῶνται,  
 Σημεῖ' ἥλιος, ἠδὲ σελήνη ἔχει.  
 Ἐλθε χρεῖστέ θεῦ πατρὸς κεχαρισμένε υἱέ  
 Ἐλθ' ἀγίως σῶζον προσκαλεώμενέ τεός.  
 Οἱ μὲν εὐθαρσῶς καὶ ἄτερ κρυεροῖο φοβοῖο  
 Εὐχονται ἡμᾶρ ταῖς φρεσὶν ἦσι τέον.  
 Ἀλλ' ἀσβεῖς τὸ κρίμα τῶν φοβεῶσιν ἅπαντες,  
 Οὐτίνα βαλλόμενοι ἐλπίδα εἰς σέ θεόν.  
 Ρύσον χρεῖτ' ἡμᾶς ἐκ τοῦ κρυεροῖο γόοιο,  
 Ἐκτε κακῶν πάντων νηὶ σαωσόμενος.  
 Παντοκράτωρ γὰρ εἶναι, καὶ ζῶης πηγὴ ἀπάσης  
 Σωτὴρ ἡμᾶς ἰθέλεις καὶ ἐκ θανάτοιο ῥύον.  
 Αἰδότητ' ἡμῖν δὲς ζῶν χαρμοσύνην τε,  
 Οὕτως ηἰσχυρέως ὀλβιοὶ ἐσ μὲν αἶψ'.

CLARISSIMO JURECONSULTO  
 D. CASPARO AGRICOLAE OPPENHEMIO,  
 INSTITUT. JURIS IMP. LECTORI ORDINARIO IN ACADEMIA  
 HEIDELBERGENSI AMICO SUMMO SUO,  
 JO. MERCURIUS MORSHEMIUS, s. d. p.

**S**I tua non ingens prudenti pectore virtus  
 In luctu melius sciret habere modum.

Nec

Nec pietas animi magis obfirmata manerét  
 Rebus in adversis, dum nova fata gemis.  
 Pectora sic forsan verbis solarer' amicis,  
 Atque forent istis ora soluta modis:  
 Desine lugubres, Caspare, movere querelas,  
 Desine tristitiae signa tenere novae.  
 Nil dolor ille juvat cari post funus amici,  
 Sat fuit aegroti te doluisse vicem.  
 Parcarum lacrymis non est revocabilis ira,  
 Lanificas vultus nec movet ille Deas.  
 Ipsum si poterant revocare Machaonis artes,  
 Arte Machaonia restituendus erat.  
 Quaque salutaris mortalibus exstitit aegris,  
 Arte quoque hac poterat dexter adesse sibi.  
 Sed cecidit fatis, est haec violentia fati,  
 Contra fata aliquid sumere nemo potest.  
 Est aliquid fateor, naturae cedere victae,  
 Et pietas causas haec quoque forsan habet.  
 Sed tamen & iusti debet modus esse doloris,  
 Ne moeror nimius forsan obesse queat.  
 Lotichium caro tibi noram pectore junctum,  
 Quem gemis: est animae pars simul ille tuae.  
 Non ego fata tamen nostris onerabo querelis,  
 Res gravis est victum cedere nolle Deo.  
 Ille nihil passus discriminis esse videtur,  
 Expers innumeris dum solet esse malis.  
 Accidit haec nobis potius tristissima clades,  
 Qua frangi magnum dedecus esse solet.  
 His, vir docte, tuos solarer forte dolores,  
 Si te non scirem, posse tenere modum.  
 Sed quia fatales jam multo tempore causas  
 Tristibus hisce malis esse solere tenes:  
 Nunc tibi quae fati fuerit violentia, dicam,  
 Lotichio brevior cur sua vita fuit.  
 Tu modo quae dedero tibi tristia carmina luctus,  
 Et tristes Elegos consule quaeso boni.

DE COELI SIGNIS, QUAE  
 PETRO LOTICHIO SECUNDO,  
 ET NATALI DIE ET MORTIS TEMPORE ILLUXERUNT,  
 JO. MERCURII MORSHEMII  
 E L E G I A.

**H**ei mihi, quae fati violentia? quis furor astris  
 Saevior incubuit? sic etiam ira polo est?  
 Nec tantum in terris mortales ira fatigat,  
 Sed quoque praecipiti fidere fata ruunt.  
 Fata, quibus certis Parcarum legibus actus  
 Mortalis vitae statque, caditque labor.  
 Lotichio felix oreris Cyllenia proles,  
 Ex utero matris dum venit ille recens.  
 Nec trepidas, coeli dum portis Scorpius exit,  
 Quantumvis cauda pergat is esse minax.  
 Quin potius comitem Phoebum tibi jungere gaudes,  
 Et blandae Veneris sidera laeta trahis.  
 Haec coeli facies medicas accendit ad artes,  
 Carminis & vires ingeniumque dedit.  
 Abdita praecipuos inter natumque Poëtas,  
 Semina divinae mentis habere jubet.  
 Nequicquam contra potis est, dum pronus ad imos  
 Descendit manes falcifer ille senex.  
 Nam licet adverfo vultu prope cornua Tauri  
 Corporis invalidi tristia signa ferat:  
 Nil tamen hic audet, Veneris dum jura tuentur  
 In propriaque fenem despicit illa domo:  
 Nil quoque Mars nitidi prope summum culmen Olympi  
 Saevus in undecima sede nocere potest.  
 Juppiter in nona quia mitior adspicit ipsum,  
 Atque feri placidus terga leonis habet.  
 Et prohibet sextam facibus succendere sedem.  
 Dum tua in opposito vellera Phryxe premis.

Est

Est soror & Phoebi propria in statione locata  
 Pone Jovem nono dum subit ipsa loco.  
 Haec nato varios hominum cognoscere mores,  
 Et procul a patriis sedibus ire dedit.  
 Sic positus, veluti dux, o Cyllenia proles,  
 Vix modo nascenti tempora laeta dabas.  
 Hei mihi tam subito quae te sententia vertit?  
 Quaeve subirato mens aliena venit?  
 Ad magnos natum consurgere passus honores,  
 Haecenus in cunctis dexter adesse soles.  
 Nunc velut in medio cursu florentibus annis  
 Ereptum tristi morte perire sinis.  
 Quid fuerat summos illum superare Poëtas,  
 Quidve Machaoniis artibus esse gravem:  
 Si miser ante diem mortalis claudere vitae  
 Munera, tamque cito debuit ille mori?  
 Dotibus ingenii cumularat & artibus illum  
 Phoebus, & addiderat Cypria blanda decus.  
 Sed quid erat tantis excellere dotibus ipsum,  
 Si decus omne modo, ceu rosa verna, cadit?  
 Nec profunt ipsi, quibus is modo profuit, artes,  
 Quae tantae est irae causa ferenda tuae?  
 An tibi dum manes tacitus descendit ad imos,  
 Praecipitur Parcis praeda petita tribus?  
 Dum tu sub terras saevum, caudaque minantem  
 Scorpion, adducat ne mala damna, trahis.  
 An male fers gemini quod jam, tua gaudia, fratres  
 Saturni tremulo sint violata pede?  
 Tyndaridas fratres octava in sede locatos  
 Undecimo pressit quod malus ille loco?  
 Nec minus Aemonios, ubi Cypria jam subit, arcus  
 Aggravet oppositis horridus ille minis.  
 An dolet, in medio reptans quod culmine coeli  
 Juppiter averſi sidera Martis habet?  
 Utque reformidat pressò pede rusticus anguem,  
 Sic refugit pecudis cornua Phryxe tuae.  
 Jamque nimis tarde Nemeaei terga Leonis  
 Se liquisse, geri dum videt ista, gemit.  
 Vix etenim rediens, Eoo cardine pressus  
 Ille potest nullam ferre salutis opem.

Forſan & obtineat quod Cynthia carceris antrum,  
 Vicinum potuit non bene ferre ſenem.  
 Adverſumque ſibi ſub terris Aegocerota  
 Adductum nuper, rurfus adeſſe dolet.  
 Hei mihi ? tot cauſas ſimul hic concurrere in unum,  
 Nec licet irarum ponere fata modum.  
 Cynthius id vidit, motusque dolore malorum  
 Te ſequitur, preſſo lumine, ſponte ducem.  
 Nec tamen haec animos tibi quicquam flectere poſſunt  
 Ut celer occurras, deſque ſalutis opem.  
 Nam poteras dominus producere tempora vitae,  
 Obtigerant moeſtae dum tibi jura necis.  
 Quae bona contuleras nato, brevis abſtulit hora,  
 Quid juvat ad paucos tradita vita dies ?  
 Scilicet hinc lacrymas fundentes pectore moeſto  
 Orbamur vultu, care Secunde, tuo.  
 Utque gemit compar viduatos turtur amores,  
 Sic quoque noſtra gravis pectora luctus habet.  
 Sed quia viſ fati precibus non flectitur ullis,  
 Hic lacrymis pietas nunc jubet eſſe modum.  
 Tu colis aethereas in coeli ſedibus arces,  
 Care Secunde, gravi mole levatus humo.  
 Nos contra tacitis dum forte ſenescimus annis,  
 Mors ſemper rapido captat avara pede.  
 Ergo age tu curis mortalibus hiſce ſolutus  
 Inter honoratos vive beatus avos.  
 Nos quoque mox laeti te forte videbimus una  
 Inter coeleſtes, dum vocat hora: vale.

EPITAPHIUM IN TRISTEM OBITUM  
 PETRI LOTICHII SECUNDI,  
 AUCTORE  
 JO. MERCURIO MORSHEMIO.

Quae ſint haec monumenta plena fertis,  
 Et ſparſis violis, roſisque mixtis,  
 Certus forte cupis viator eſſe:  
 Non verbis ego te diu morabor,

Sed

Sed dicam brevibus: parumper adsta.  
 Te flores poterant monere forte,  
 Quos circumpositos vides jacere,  
 Si mens non aliis tibi fuisset  
 Venturo magis occupata curis,  
 Petrum Lotichium tenes Secundum,  
 Quem Germania Solitariensem  
 Ereptum sibi luget esse nuper  
 Parcarum manibus parum benignis:  
 Prae claris decus unicum Poëtis,  
 Praestantem medica virumque laude,  
 Doctis perpetuo domi forisque  
 Prae cunctis memorabilem futurum:  
 Is corpus gelidum sub hoc sepulcro  
 Clausit, spiritus inter astra vivit,  
 Inter jamque locum tenet beatos,  
 Musae Piërides suum Poëtam  
 Lugentes superaddidere carmen,  
 Atque istos tumulo dedere flores,  
 Et sparsas violas, rosasque mixtas.  
 Tu, quaeso pie dic viator una:  
 Aevum Lotichius per omne vivat  
 Et nomen teneat perenne semper.

AD NOBILEM VIRUM,  
 ERICUM VOLCMARUM ABERLEPS,  
 COMPATREM SUUM,  
 HARTMANNI HARTMANNI AB EPPINGEN  
 ELEGIA.

**O**mnis ab exiguo vitae nostrae alea filo  
 Pendet, & incertos dat brevis hora dies.  
 Invida fata premunt nos sub melioribus annis,  
 Et bene cum coeptum est vivere, fata necant.  
 Morte abeunt subita, modo quas accepimus, aurae;  
 Inferit ipfa brevis femina vita necis.

Falli.

Fallimur, & coeci mortem procul esse putamus,  
 Illa tamen medio corpore clausa latet.  
 Quandoquidem ex illa, qua primum nascimur, hora  
 It vitae juncto mors comes atra pede.  
 Et morimur sensim & momento extinguimur uno,  
 Non secus ac lampas deficiente oleo.  
 Nulla fuga est, necat hos morsu, mors occupat illos  
 Pestifero adflatu, nec loca tuta vacant:  
 Omnibus haec ineunda via est, stat terminus aevi,  
 Hora vocat spacio cuique tributa suo.  
 Sic igitur saevae, sic ô, doctissime vaes,  
 Ante tuum Parcae te rapuere diem?  
 Gloria magna tibi fuerat, dum vita manebat,  
 Virtus post cineres vivida major erit.  
 Nam te crudeli fato deflemus ademtum,  
 Ut natum genitrix unica flere solet.  
 Te schola, te populus luget, teque aula requirit,  
 Ipse etiam princeps aspera fata gemit.  
 Relligio & Musae lugent, Charitesque sorores,  
 Et plangit laceris moesta Minerva comis.  
 Ora rigant omnes lacrymis juvenesque senesque,  
 Te repetit votis tota caterva suis.  
 Hoc pietas, hoc fama virens, hoc candida virtus,  
 Hoc animi dotes promeruerunt tui.  
 Dic age, dic tantam tibi quid succenderit iram,  
 Hunc avida ut raperes Parca severa manu?  
 Cur tua, cur doctis adeo est inimica potestas?  
 Quae fuit injustae causa maligna necis?  
 Cur perimis, sua quem virtus ad sidera tollit,  
 Lotichium patriae spemque decusque suae?  
 Qui vitae cursum tanta cum laude peregit,  
 Ut fuerit Pylii dignus honore senis.  
 Heu, cur tot vivunt, quorum nec vita pudica est,  
 Nec mores aliqua cum pietate boni?  
 Interea pereunt nullo non tempore nobis  
 Insignes vera religione viri.  
 Tardior hic certe mors debuit esse, suasque  
 Virtuti leges postposuisse suae.  
 At frustra haec mea vota fluunt, manet aethere in alto,  
 Qui regit imperiis inferiora suis.

Et

Et fuit hoc urgens & inevitabile fatum,  
 Nec licuit fixum transiliisse diem.  
 Et qui sic moritur non mortuus ille putandus,  
 In tali ad vitam janua morte patet.

# ΕΠΙΤΑΦΙΟΝ ΕΙΣΟΥΣΔΕΜ.

**Μ**e lector gelida ne plores morte jacentem,  
 Aemula sic quosvis mors rapit atque necat.  
 Quare age, quisquis ades, vana haec ludibria mundi,  
 Gaudiaque exemplo spernere disce meo.

## Aliud Graecum.

Λωτίχιον μάταις τε φίλον καὶ ἅπασιν ἀγατὸν,  
 Πάντοθεν εὐδόκιμον λυγρὸς ἔμαρψε μόρος.  
 Ἐξοχὸν ἱερὸν συνέσει καὶ ἀγαυὸν αἰοῖδον  
 Καββαλε δυσθανάτῳ μοῖρ' ὀλόεσσα βέλει.  
 Ὡ μοι ποῖος ὄλωλε βροτοῖς, σὺ δὲ ξεῖνε θανόντι  
 Εὐχεο Λωτιχίῳ ὀλβισδαιμονίην.

## D. JOAN. NERVII CARMEN.

Λωτίχιος πολύπειρος αὐτὸς οἱμ' ἔθαδε κεῖται  
 Ἐξοχὸς ἰᾶσθαι, αὐτὸν δὲ οὐκ ἔδε σαῶσαι,  
 Ἀλλὰ δὲ παμμεγέθους βελῆ τέθηκε θεοῖο;  
 Πολλάκις εὐσεβέας πρὸς μὲν καλέοντος ἐν ἀκμῇ,  
 Δυσσεβέας μακρὰν ἐν γῇ ἐλόντος ἐλαύνει.  
 Τῆνεκα κ' ἀν πολλοῖς δειναῖς νοσήματα χερσὶν  
 Εἰωθὼς αἶρειν, δύνατος πράττειν τε, λέγων τε,  
 Πιερίδων τρέφμιος, σεμνῶς δὲ διδάσκαλος ἄσας  
 Κάτθανε, σπαρδαῖος πλεονεκτεῖν σοῖο Μελάγχρωτος,  
 Ἀθάνατον βίοτον σπεύδων πρὸς Χριστὸν ἄνακτα.  
 Ὡ μάκαρ ἐν Χριστῷ κατέχων νῦν χάρις ἀτέλεστον,  
 Τῷτό σοι ἐποίας μνημῆεν ἔνθα τίθημι.

Hh

A D



AD NICRUM FLUVIUM AMOENITATE SPECTABILEM  
 GEORGII OSTERMARI CORONENSIS

E L E G I A.

**D**a gemitus Nicer, immensi da signa doloris,  
 Ejulet attonita turbidus amnis aqua.  
 Flebilibus resonent tua littora tacta querelis,  
 Et tristes iteret vox geminata sonos.  
**T**e juvet assiduo satis indulgere dolori,  
 Humeat & lacrymis mollis arena tuis.  
 Durior invicto posses adamante videri,  
 Et fera degeneris vincere corda lupi:  
 Funera divini si posses tristitia vatis,  
 Et miseram sicco lumine ferre necem.  
 Ille tuus vates, cui Musa & Castalis unda  
 Dulcius Hybleo melle dedere loqui.  
 Ille tuus vates, quo non tibi secula tulere  
 Pulcrius, aut Claria majus in arte decus:  
 Cui Phoebus medicas artes, cui docta Thalia  
 Misit odoratas ex Helicone rosas:  
 Cui non eloquium, cultae non gratia linguae  
 Defuit, aut docto pectore dignus honor:  
 Qui magnos reges, regumque tot inclyta facta  
 Carmine provexit vel super astra suo:  
 Quique tuas alto referens modulamine laudes,  
 Ut canit inferias jam moriturus olor:  
 Ad sua vicinas traxit modulamine sylvas,  
 Movit & Aoniis marmora dura modis.  
 Occidit ille tui novus occidit incola regni,  
 Quo duce Pieriis factus es uber aquis.  
 Aeternum decus & nunquam reparabile carmen  
 Non procul a fluvio velat arena tuo.  
 Plange pater: Non major enim neque acerbior umquam,  
 Judice me, casus contigit ante tibi.  
 Ex quo cultus erat miseris mortalibus orbis,  
 Non adeo magnis fors fuit aequa viris:  
 Quin, si cui faciem tribuit natura venustam,  
 Dedecorent animi turpia facta mali.

Sive

Sive (quod egregium est) animus quem pulchrior ornat,  
 Gratia destituit corporis ampla sui.  
 Semina virtutum sic disperguntur in omnes,  
 Nobilitantque viros singula dona bonos.  
 Hic tamen & virtutis opes, & corporis altas  
 Possedit niveo pectore divitias.  
 Munera mortales & quae divisa beatos  
 Efficiunt, uno junxit in ore Deus.  
 Et tanti vatis, tibi qui, dum fata sinebant,  
 E coelo missus nobile lumen erat.  
 Invida spe citius tenebrae filia noctis  
 Intulit in cineres ossa beata leves.  
 Perdidit ô quantos Academia tristis honores!  
 Perdidit ô quantum Teutona terra virum!  
 Solve comas Nicer, ede novos sub pectore luctus,  
 Haec quoque sunt lacrymis funera digna tuis.  
 Jam cecidit tua fama, tui cecidere lepores,  
 Inque tua ripa si quid honoris erat.  
 Ah vates tuus, ah vates tuus optimus ille,  
 Et decus & tituli deliciae tuae.  
 Occidit ah vates tuus immortalis, & illa  
 Clara Medusaeo flumine vena tacet.  
 Non tacet: in medio quin carmen amabile coelo  
 Concinit, hac superos mulcet & arte Deos.  
 Mortales gemino versu satis imbuit aures,  
 Nunc immortales conciliare juvat.  
 Illum namque Deus patria, nobisque relictis  
 Angelici civem maluit esse chori.  
 Tempora cui dulci passim redimita cupresso,  
 Et coma laurigera fronde revincta viret.  
 Jam pius aeterno divinae lucis amictu  
 Illustris superat lumen Apollo tuum.  
 Jam vultu micat aethereo, roseoque decore  
 Dulce serenato splendet ab axe jubar:  
 Qualia purpureis nova lilia mixta corollis,  
 Seu rubro tinctum murice candet ebur.  
 Mirifico caros jam cernit honore parentes  
 Gliscere & Aonii pectora nota gregis.  
 Cum quibus in laetis Divorum amplexibus haerens  
 Gaudia fiderei percipit illa poli.

Hh 2

Et

Et modo celsa sacro veneratus numina cultu,  
 Carmina tergemino concinit alma Deo:  
 Et modo sublimes modulatus arundine versus .  
 Ostia commendat fontis amoena tui.  
 Fortunate Nicer, toto qui notus in orbe,  
 Nunc quoque per coelum nobile nomen habes.  
 Fortunate pater vatum, cui fama perennis  
 Crescit & \* extentae posteritatis honor.

I N M O R T E M  
 PETRI LOTICHII SECUNDI,  
 NICOLAUS CISNERUS JURISC.

**E**t tu Phoebe procul, procul & vos ite Camoenae,  
 Heu vestra occubuit gloria Lotichius!  
 An te Phoebe putem medicum, vos numina Musae?  
 Scilicet haec priscis fabula ficta fuit.

†PAULUS MELISSUS IN TERPSICHORE.

M E M O R I A E S E M P I T E R N A E  
 PETRI LOTICHII SECUNDI,  
 MEDICI SOLERTISSIMI, POETAE ELEGANTISSIMI:  
 NATI ANNO CHRISTI clb. lb. xxix. DIE ii NOVEMB.  
 DENATI ANNO CHRISTI clb. lb. lx. DIE vii NOVEMB.

**D**ulcis erat nondum gustato cortice loti,  
 Dulcior ambeſo germine Lotichius.  
 Arbore cum baccis morſa dulciſſimus ipſe:  
 Hinc quoque dulcis adhuc ſpirat odos animae.

PAULUS MELISSUS FRANCUS  
 P. L. POSUIT MYRTILETI.

E X

\* In aliis Edd. *externae*.

† Vide Meliſſi Schediaſm. Poëtic. pag. 224.

\* EX MELISSI EARINIS DIALOGUS,  
DE PETRO LOTICHIO SECUNDO.

**M**USAE noster amor, novem sorores,  
Heic quaenam in medio salubris horti  
Ad Nicri liquidum strepentis undas  
Novis frondibus arbores virescunt?  
Lotus, myrtus & alma laurus. At quae  
Succrescunt simul herbulae sub umbra?  
Nardus, mollis amaracus, marisque  
Ros. Florum quis odor bonus fragrantum  
Adspirat? Violae, rosaeque suaves,  
Alba & lilia. Qui fuit liquores  
Exsultantibus hinc & inde rivis?  
Liquor nectaris, atque mellis, atque  
Lactis. Quae volucres sonora circum  
Linguis ora loquaculis resolvunt?  
Psittacus, Philomela, Cygnus, una  
Junctis vocibus accinunt Poëtae,  
Poëtae tenero, pio, modesto.  
Quisnam est ille tener pius, modestus?  
Petrus Lotichius Secundus. Huic nos  
Tres circa tumultum sacramus aras.  
Quis custos tumuli? Venus, paterque  
Vatum Phoebus & una Gratiarum.  
Ararum quis? amiciore vincti  
Nodo pectora Posthicus, Trelaeus,  
Et tu praecipue Melisse noster.  
Salve ergo mihi ter quaterque salve,  
Et vale Petre Lotichi Secunde,  
Cui tam nobile contigit sepulcrum,  
Tuque ô noster amor, novena turba,  
Fac manes placide cubent Secundi.

\* Vide Melissi Schediasm. Poët. pag. 92.

PETRI LOTICHII SECUNDI  
 EPITAPHIUM,  
 AUCTORE FRANCISCO THORIO BELLIONE.

QUEM sibi, quem cunctis Germania plorat ademtum  
 Gentibus, hoc tegitur marmore Lotichius.  
 Lotichius? fallor, non tanta licentia morti,  
 Saxeæ Lotichii busta cadaver habent:  
 Sed luteam molem, sed morbida membra perosa,  
 Ad patrios rediit mens generosa polos.  
 Astronomus, Vates, Medicus septena peregit  
 Lustra, satis vixit: sed sibi, non patriæ.  
 Si numeres annos, juvenis discessit, at ætas  
 Non numerosa facit, sed benefacta senem.

CAROLICLUSII,  
 DISTICHON.

LotIchIVs peragens VIX terna qVaternaqVc LVltra  
 Ad NICrI CLaras est tVMVLatVs aqVas.

FRANCISCI THORII  
 BELLIONIS CARMEN,  
 AD CAROLUM CLUSIUM ATREBATEM.

Quod tibi post cineres, celebrataque, Carole, serus  
 Funera, cum decimum jam menstrua torqueat orbem  
 Cynthia, lugubri carmen miserabile plectro  
 Ordinar? an patulos nondum tibi clausit hiatus  
 Vulneris infossi fibris obducta cicatrix?  
 Heu, quod & unde igitur tanti solamen amici  
 Auspicer? Hinc prolixa gravis suspiria casus  
 Exigit, & lentis jubet indulgere querelis,

Hinc

Hinc ratio lacrymis & inani parcere luctu,  
 Inde fides pietasque tui tibi nota Secundi,  
 Hinc amor indomiti laxare doloris habenas  
 Imperat, evicit dolor, ut crudelia tecum  
 Sidera, & egregiis nimium festina Poëtis  
 Fata querar, juvat exequias iterare, sacrisque  
 Inclyta solennes quos umbra meretur honores,  
 Instaurare focis. Juvat, heu juvat ecce rogales  
 Carole (quando aliud nihil hic fortuna reliquit)  
 Vel vacuas adolere pyras. Sua funera moestus  
 Comminus eluxit Franco: lacrymisque fatiscens,  
 Et fugientem animam gemebunda voce supremum  
 Heidelbergae ciens, rigidos morientis ocellos  
 Pressit, & extincto dedit ossa decora sepulcro:  
 Quasque suo potuit (quid non voluisse putatur  
 Officiosa piis?) Germania tristis alumno  
 Praestitit inferias. Te Rhenus & Albis & Ister  
 Te Nicer & Moenus, te, docte Secunde, tuorum  
 Ille tuus lacrymis tepefactas turbidus undas  
 Cynthus ereptum flevit, nec quin tibi iusta  
 Solverit Eridanus, dubium est: fortassis & Arnus  
 Et Tybris, properasse Deas tua flamina, plorant.  
 Nam neque sunt Latio, nec sunt incognita Thuscis  
 Nomina Lotichii, nec carmina, solane cesset  
 Gallia? nec faciles mereantur talia Celtas  
 Pectora nec Belgas? age sit Liger aequus amicis,  
 Sit Rhodanus, sit Arar, & qui Nitiobriges arva  
 Vestra rigat nullo sinuosus vortice Laedus,  
 Si quod habet tanti (sed habet) memorabile pignus  
 Hospitis, id gemitu testetur, seque Secundi  
 Interitu gratum probet, officiumque reponat.

Nos modo qua magnam celer hinc discriminat urbem  
 Sequana, nos, Clusi, simul hinc lamenta feramus,  
 Et pariter plangamus, an haec suspiria quisquam  
 Castiget? geme, nemo vetat, geme, Carole, & isto  
 Maeste pio planctu: pius est, quem plangimus, hic tu  
 Funeream compone struem, mihi subdere flammās  
 Cura erit, Assyrios tu suffice largus odores,  
 Tu Cilicum spicas, Phariae tu gramina messis,  
 Tu lauros, hederas, tu cinnama, baccar, amomum,

Tu

Tu Loton , Paphiasque (tuum olim munus) inani  
 Sparge rogo Myrtos: ego non arfura Secundo  
 Dona feram: & (vano nisi ducimur omine) feros  
 Carmine victurus nostro tuus ibit in annos  
 Et dolor & pietas: nec enim mihi dicere vatum  
 Ignotum manes , gemuit sua damna Poësis  
 Nuper & Andinum nostra testudine bustum  
 Condidit: illa tuis ignoscere , Carole , votis  
 Fors jubet , & nimias non exprobrare querelas.

Fallor? Hiantaeos an & haec agitare penates  
 Certa fides? Deus en Deus (arguit aurea Phoebum  
 Caesaries) pullo tardos velamine gressus  
 Huc movet , heu quantum incessu , quantum ore dolorem  
 Nunciat? en lauro spoliavit tempora: nusquam  
 Frontis honos: nusquam Parnassia vellera , nusquam  
 Pecten , eburque sacrum. Stygiam fert laeva cupressum ,  
 Pectora dextra ferit. Lacerae procul ecce Camoenae  
 Cyrneas quatiunt lacrymosa lampade taxos ,  
 Incomptosque (nefas) ferali germine crines  
 Implicitae , plangore sinus , & sidera pulsan  
 Questibus , & saevis faciunt convicia Parcis ,  
 Quas inter decimam cupiens simulare sororem  
 Vix trahit alterno vestigia languida passu ,  
 Lucrificisque Elegia Deas ululatibus urget.  
 Cernis ut & nostros non aspernata paratus  
 Ipsa sagittiferis circum stipata ministris  
 Advolat huc Cytherea , nigris invecia columbis ,  
 Ambrosias neglecta comas , lacrymisque nitentes  
 Interfusa genas & tristi squallida cultu?

Eja agite , & vacuum vestri decorate Poëtae  
 Diique Deaeque rogam , & manes celebrate Secundi ,  
 Et socias adhibite manus & munera ferte  
 Quisque sua. Aonium vos ignibus indite mundum  
 Piërides , citharasque , fidesque , ingrataque moestis  
 Mergite plectra focis. Teneras vos vellite pennas  
 Aligeri pueri , corytosque urite & arcus ,  
 Altaque congestis nutritis incendia telis ,  
 Tu (Mystae suprema tuo jam dona) capillos  
 Discissos Elegia rapacibus injice flammis.  
 Delius aut medicis pia nubila fuscitet herbis,

Aut

Aut consanguineo lectas de stipite guttas  
 Ingerat. Idalios fundat regina liquores  
 Cypria, nectareo emeritas vel rore favillas  
 Sopiat. At quid ego haec, properantibus omnia Divis  
 Nequicquam increpito? restant mea vel tua, Clusi,  
 Munia, reliquias (pereunt jam busta) legamus,  
 Marmoreamque sacros cineres condamus in urnam,  
 Tu strue marmor, ego memori rem carmine signo.

# CENOTAPHII INSCRIPTIO.

*Quem sibi, quem cunctis Germania plorat ademptum  
 Gentibus, haec sacra sunt marmora Lotichio.  
 Patrius ossa Nicer, vacuum sed Sequana cippum  
 Condidit, Autores Clusius & Thorius.*

JOANNES POSTHIUS  
 NICOLAORUDINGERO S.

**D**um te carmina melle dulciora  
 Pater Moenus amoenitatis audit  
 Mirantes cithara sonare ad undas,  
 Rudingere, novem decus fororum:  
 Tristi nos Lachesis ferox fatigat  
 Casu, gaudia datque nostra pessum.  
 Namque gloria sempiterna Phoebi,  
 Et Machaoniae decus palaestrae.  
 Cui Musae citharam, & suos lepores  
 Dii boni dederant, amabilique  
 Versu posse hominum elegantiorum  
 Mentis pascere, pallidosque morbos  
 Succis, atque potentibus levare  
 Herbis, vimque citi impedire fati:  
 Ille nunc rapido, maloque raptus  
 Fato Lotichius Nicri dolentis  
 Ripa conditur, omnibusque longum  
 Heu desiderium sui reliquit:

I i

Et



Et mihi ante alios, cui solebat  
 Ad sacros Aganippidum recessus  
 Et dux & comes ire, qua susurro  
 Fons intactus amabili per hortos  
 Coelestes fugit, educatque Musis  
 Lauros, myrtum, & amaracum tenellam,  
 Rosasque & violas suaveolentes.  
 Ergo quandoquidem meo Galeno  
 Hic jam destituor, meoque Phoebus,  
 Nicer care vale, valete colles,  
 Dilectaeque mihi valete Nymphae,  
 Hinc longe ad Viadri profectus amnem  
 Vatis hospitium petam Sabini,  
 Quo vix cultior alter est Poëta,  
 Vix legum magis alter est peritus.  
 Hoc ductore Heliconios revisam  
 Saltus Picridum choroque mistus  
 Aeternam capiti meo coronam  
 Ex lauro atque hedera virente texam.

Eheu quid paro? dum loquor, citato  
 Tristis fama Nicrum petens volatu  
 Sabinum quoque nunciat fuisse.

Jam Musas & Apollinem sacrosque  
 Cogor deferere heu miser liquores:  
 Jam nec lanificas mihi sorores  
 Spes est vincere, ferreumque pensum:  
 Plebeio sed avara cum sepulcro  
 Extinctum Libitina me reponet,  
 Nullum extabit opus mei laboris,  
 Quod feri manibus terant nepotes,  
 Speratumque mihi ferant honorem.  
 At tu, deliciae novem fororum,  
 Cui pater sua sacra Phoebus ultro  
 Donat, & numeros venustiores,  
 Rudingere diserte, perge celsa  
 Clarum in arce tuum sacrare nomen,  
 Ut te suspiciant loco minores  
 Illustri positum, tuamque summis  
 Aequent sideribus poloque famam.

EJUS

## EJUSDEM POSTHII EPIGRAMMATA,

DE OBITU LOTICHII

I.

DE NOBILI VIRO

ERICO VOLCKMARO à BERLEBSCH, &amp;c.

AC RHENO FL.

**M**agnanimi Rhenus lacrymas ut vidit Erici  
 Quas dabat in moesto funere Lotichii:  
 Parce ait, o Heros, lacrymarum fundere flumen,  
 Alveus & lacrymas vix capit ante meas.

II.

**M**ortis & invidiae telis prostratus in urna  
 Ipse quidem tenui, culte Secunde, jaces:  
 Sed florens tua fama viget, tua scripta leguntur,  
 Quae tela effugient Mortis & invidiae.

III.

**N**E pater aspiceret faciem morientis alumni,  
 Phoebus in Hesperio gurgite merfit equos:  
 At vero exanimem rediens ut vidit ab ortu,  
 Abscondens moestae lumina frontis, ait:  
 O superi! mundo succurrite, nam mea nullum,  
 Lotichio extincto, lumina lumen habent.

IV.

**C**ur solito gravius contristent frigora mundum  
 Quaeritis, & longae cur mora noctis eat?  
 Lotichius periit, terras hinc frigore coelum  
 Urget, & ut noctis sit mora longa facit.  
 Quin ego post hyemem timeo, noctemque perennem,  
 Lotichius secum lumina solis habet.

I i 2

V.

## G E R M A N I A.

**S**I modo vera licet de natis dicere matri,  
 De natis lacrymans dicam ego vera meis:  
 Praestantes medicos, praestantes carmine vates.  
 Progenui, quorum gloria magna fuit.  
 Lotichio sed enim meliorem tempore nullo  
 Vel genui vatem, vel genui medicum.  
 Hunc fera mors juvenem parato funere nobis,  
 Cunctaque nostra una gaudia surripuit.

## VI.

## N I C E R.

**D**eliciae nostri cum fluminis aureus ille.  
 Lotichius cithara valle sub hac caneret,  
 Ridebant sylvae, ridebant mollia prata,  
 Cingebatque meas laurus odora comas.  
 Et mihi cantabant Charitesque, novemque sorores,  
 Gaudebatque meo gurgite blandus olor.  
 Jam simul ac vates periit, solatia nostri  
 Fluminis in tepidos una abiere Notos.  
 Tabescunt sylvae, tabescunt mollia prata,  
 Praecingunt nostras ferta nec ulla comas.  
 Et me destituunt Charitesque novemque sorores,  
 Blandus & à nostro gurgite fugit olor.  
 O igitur mihi detur iter, per faxa, per umbras  
 Lotichium ad campos subsequar Elysios!

## VII.

## DE JOANNE PHILIPPO GELCERO

## E T C O C C I O F L.

**D**um properata gemit Gelcerus fata Secundi,  
 Tristis & in lacrymas totus abire cupit:  
 Coccius exclamat: lacrymas o siste fluentes.  
 Nam mea de lacrymis falsa fit unda tuis.

## VIII.

\* *Deliciae nostri &c.*] Leg. *Delicias*. ut respiciat ad Eclog. III. Lotichii  
*Nicer* inscriptam.

**C**um patriae decus & magni pars maxima Phoebi  
 Lotichius subiit gemmea tecta poli,  
 Illustris vatum chorus assurrexit, & illi  
 Illicet in prima sede locum tribuit.  
 Atque aliquis citharamque novam miratus & artem,  
 Tu mihi, tu Phoebus postmodo, dixit, eris.

**P**osthinc haec, tumulum venerans, manesque sepultos,  
 Flebilibus cecini carmina pauca modis.  
 Carmina quae cineres longum testentur amatos,  
 Vita meis dabitur si modo carminibus.  
 At tu, qui felix superum felicibus adstas  
 Conciliis, summo perfruerisque bono:.  
 Aeternum salve semper mihi maxime vates,  
 Salve, & perpetuum, care Secunde, vale.

*Heidelbergae, mense Novembri, Anno M. D. LX.*

# C A R O L I H U G E L I

## E P I G R A M M A T A.

**C**um magnus has Secundus oras linqueret  
 Sublatus atro funere:  
 Flevere condolentium tristes chori,  
 Flevit genus mortalium.  
 Mortisque vim scelus vocarunt pessimum,  
 Quod abstulit tot gaudia.  
 Sed cum serena coeli tecta scanderet  
 Coelestium jussu patris:  
 Risere gratulantium dulces chori,  
 Risere cuncti coelites.  
 Mortisque vim munus vocarunt optimum.  
 Quod attulit tot gaudia.

**P**ostquam Secundum maximi prolem Jovis  
 Severa parca sustulit.  
 Nec Musa quidquam profuit, nec inclyta  
 Spectata virtus carmine.  
 Tunc lacrymis & voce lamentabili  
 Vatem reflagitans Nicer,

Adeste Phoebi sacra, dixit, numina,  
 Adeste, mecum luctibus  
 Certate: Nam vatum jubar, vatum decus,  
 Vatum pater nunc occidit.

**V**ix ortus atram vatis adspiciens necem  
 Coeleste lumen Cynthus,  
 Signum doloris turbulento ab aethere  
 Densas profudit lacrymas,  
 Quas cum soli bibit per arva Francici  
 Terrestre flumen Cynthus  
 Agnovit, occidisse morte pallida  
 Lumen beatum patriae,  
 Et moestus inquit: O quis aufert gloriam  
 Vatis mei clarissimi?

**D**ulces amici dum gemunt dulcissimi  
 Vatis gemenda funera:  
 Vix Rhenus amplo continet sub alveo  
 Guttas dolentium meras.  
 Vix lacrymas capit Nicer, dum nulla fit  
 Doloris intermissio.  
 Vix Cynthus fert Cynthii luctus graves,  
 Qui flere nunquam desinit.  
 Sic morte vatis auctus est Rhenus, Nicer,  
 Flumenque Cynthii vagum.  
 Sed unda fontis destituta Pegasi  
 Amabili solatio,  
 Exhausta jam plus caeteris, intercidit,  
 Et omnis aruit liquor.

## R. THORII EPIGRAMMA IN LOTICHII INSIGNIA, ANNULUM SCILICET ET LAUREAM.

**M**ystica Lotichii quam sunt haec symbola? munus  
 Annulus est fidei, laurus Apollo tuum.  
 Annulus ut teres est, & nullo fine rotundus,  
 Laurus ut aeterna conspicienda coma.  
 Sic amor & probitas animi monumenta fidelis  
 Integra, Lotichii sic sacra scripta manent.

PETRI

( 255 )

PETRI LOTICHII SECUNDI  
CARMINUM ADOPTIVORUM  
LIBER TERTIUS.  
QUO DEFUNCTI ELOGIA HABENTUR.

---

JOACHIMUS CAMERARIUS,  
PAPEBERGENSIS,  
IN OBITU M  
PETRI LOTICHII SECUNDI.

ΠΕΤΡΩΙ ΛΩΤΙΧΙΩΙ ΣΕΚΟΥΝΔΩΙ

ἄνδρ' βελτίστῳ καὶ ἀρετῇ ἐλλογίμῳ διαπρέποντι,  
ἱατροδιδασκάλῳ τε καὶ ποιητῇ δεξιωτάτῳ  
καὶ ἐνδοξοτάτῳ.

Οὐ μόνον ἀνθρώπων Πέτρε σὺ' ἐκλαυσεν ἄωρον  
Φῦλον πατοδαπῶν οἰσχομένοιο μόρον,  
Οὐδ' οἱοί γε λόγοις ἐν δὴ τοθραμμένοι ἄνδρες  
Πένθημον ἤεσαν δακρυόεντε μέλος.  
Ἄλλ' αὐταὶ χάριτές τε καὶ Ἀοίδες καὶ Απόλλων  
Θρήνησαι φωνῇ σὸν πάθος ἀθανάτῳ.  
Τίπτε δὲ μὴ σπυδάσθησαι σοιγ' ἔμμεν ἄρωγοί,  
Οὐδὲ γ' εἴς γέραπος λοιγὸν ἄμυναν ἄπο;  
Καὶ σὺ δὲ φοιβεῖς ἦσθ' ἔμπειρος μάλα τέχνης,  
Ἀλλὰ σ' ὅμως ἴσσοις δάμνατ' αἰκελίη.  
Οὐδέτι σ' ὤθησαι κάματοι μελιγέρουσι ὥδης,  
Οὐκ ἔργ' ὑμμετέρης ῥίσατο γυναικός.  
Ἦν δὲ ποὶ ρίζη τε φυτῶν γ' ὅσα κάρπιμ' ἀπάντων,  
Σοὶ τ' ἄχρητος ἄλη φαρμακοσυθεσίη.

Ἡ δὴθ'

Ἡ δ' ἦτ' ὡς ἀρχὴ πέπρωται τικτομένοισι  
 Καὶ ῥητὸν πάντα πρὸς βίον ἡμαρ ἄγει,  
 Οὕτω καὶ ζωῆς χρόνος ὤρισθ' ὥδε βροτείης,  
 Ὃς γε πρὸς ὑδμήνῃ ἱεθ' ὑπερβάσσην.  
 Αἰετὰς δ' ἕτερος βιοτῆς ἐστ' ὀλβιος αἰὼν,  
 Ὡς ἅπ' ἐν ἔρανόιοις δώμασι καὶτ' ἀγαθοῖς.  
 Ἐλπίδες δ' ἐκατὰ τῆδε καλαὶ καὶ φημαι ἵχουσι  
 Ζῆει πάρτ' ἐσθλοῖς ἀδράσι τῶν δ' ὄνομα.  
 Ἀλλ' ἡμεῖς πενθεῖμεν ὀδυραμέν' εἴτις ἀπίστη  
 Γνέριμος ἐκ πολλῶν καὶ φίλος ἐνθάδ' ἐών,  
 Τῶν θ' ἅμ' ὁμιλιέων τὸ συνηθές, τῶν τ' ἀρισμῶν,  
 Ζητοῦντες συγκαῖς φρεσὶ τὸ περ φίλον.  
 Μοῖρα τὴνδ' ἔλαχον ζῶντες ἄρα καὶ πειθεῖσθαι,  
 Οἱ μὲν ἐν ἡσυχίᾳ κείμενοι, οἱ δὲ πόθω.  
 Ἀλλὰ σύ μοι Πέτρε χαῖρε λιπὼν ἐριήεις ἐταίρος,  
 Ναιοτάωντ' οἴκας ἴν, μάλα, αἰθερίας.  
 Χαῖρε Πέτρε ὦ φιλόφοιβε, φιλητῆρ, φιλαυδέ,  
 Λιέθαλές χαρίτων ἀνίδων τε κλέος.  
 Χαῖρ ἡμεῖς δὲ σέθεν τητώμενοι, οἱ σεβόμεσθα  
 Πιερίδεις, κήδεας λήγομεν ἄδέποτε.  
 Ἀλλ' αἰεὶ θρηῖμεν ἀναρπαχθέντα περὶ ὥρας  
 Μυσάων τε λάτρου καὶ φίλον ἡμέτερον.  
 Τιμὴν δ' ἄδ' ὅσῃ παρ' ἡμῖν ἡμαρ ὀλέσσει,  
 Ὅφρα μετὰ ζωῆς ἐν χθὺν ἔτ' ἐσόμεθα.  
 Μνήμη κυδνήσσα μνεῖ δ' ἐστ' ἄνπερ ἐραταί,  
 Ἐλλογίμοιό πνεες λοιποὶ ἕως ἀρετῆς.

Ἀπὸ Ἰωαχ. Καμειραγιάδου.

Exstat hoc Graecum in vulgatis Lotichii Poëmatum Editionibus, post  
 praefationem Camerarii. Interpretationem Latinam Artomedis ex  
 Cod. MS. addidimus.

I D E M

I D E M E J U S D E M  
J O A C H I M I C A M E R A R I I,  
L A T I N E R E D D I T U M,  
I N T E R P R E T E  
S E B A S T I A N O A R T O M E D E.

**N**on tantum varias te, Petre, cadente per oras  
Fata hominum flevit tam properata genus.  
Turbatique hac clade viri miserabile de te,  
Et plenum lachrymis, concinere melos.  
Sed Charites ipsae, & Musae cecinere, & Apollo  
Immortale tuas carmen in exequias.  
At cur non potius, cur non, ut iniqua fugarent  
Fata, tibi medicas applicuere manus?  
Verum te quoque vis morbi superavit, & eheu,  
Nuper Apollinea tantus in arte, jaces.  
Nempe jaces, & nil rerum tibi profuit usus,  
Nil ars, nil doctae gratia summa lyrae.  
Nulla tuum potuit radix compefcere morbum,  
Irrita vis herbis, ars ope cassa fuit.  
Nempe, velut geniti fato sumus, horaque cunctos  
Protulit in lucem certa, volente Deo:  
Sic suus est vitae mortali terminus, in quem  
Definit: huic addi nil pote, nil adimi.  
Sed bene, quod nullis obnoxia vita periclis  
Aeternum in coelis restat agenda piis.  
Quodque horum, quae spes morientibus irrita non est,  
• Vivit apud claros nomen in orbe viros.  
Nos tamen ingentem sentimus corde dolorem,  
Si quis amicorum de grege raptus obit.  
Sermonumque vices, sociosque reposcimus annos,  
Lenimenque sui mens cupit aegra mali!  
Sic igitur sua defunctis, sua portio vivis,  
His desiderium restat, at his requies.  
Sed tu, Petre, mihi salve, qui pectora cara  
Deferis, aetherea nactus in arce locum

Kk

Petre,



Petre, decus Phoebi, Medicorum gloria, salve,  
 Petre, decus Charitum, Pieridumque vale.  
 Vive, vale. Nos, qui veneramur dulcia Musas  
 Numina, perpetuas ibimus in lachrymas.  
 Ibimus, heu! nec finis erit, raptumque sodalem,  
 Cultoremque chori flebimus Aonii.  
 Nec tuus extinguetur honos & gloria, dum nos  
 Vivorum in numero Daedala mater alet.  
 Semper apud memores tua famaue lausque manebit,  
 In pretio virtus inclyta donec erit.

E P I T A P H I U M  
 PETRI LOTICHII SECUNDI.

EX E M B L E M A T I B U S  
 \* J O A N N I S S A M B U C I,  
 P A N N O N I I.

Q uis situs hac urna? Vates Medicusque salubris  
 Lotichius, nomen cujus in orbe viget.  
 Nemo hunc Stigelio celebri, cultoque Sabino  
 Posthabuit, poterat quos superare brevi.  
 Qui fluvii cessant? quid olor? tristesque puellae?  
 Quid circum lauri? quid medioque senex?  
 Gallia, Pierides, Germania, Tybridis undae,  
 Hunc Phoebus & defles nate, filelque melos.  
 Arcus quid pluvius superest? Hoc foedus amicum,  
 Vestique res hominum versicolore, notat.  
 Sollicitos juvenis bello, Musisque labores,  
 Hic peregre casus sustinuitque graves.  
 Post, ubi sedatam patriam, mitesque sorores  
 Aonidum sensit, dat Medicina locum,  
 Quid tellus, mare, coelum, aër, quid lucidus ignis,  
 Continet, hunc merito quid latuisse putes?  
 Occidit heu! propere. At vitam monumenta coevam  
 Autori reddunt, posteritasque memor.  
 Haec doctus, lauro cineres tege, care viator,  
 Dicque vale: junget nos rediviva cohors.

JANUS

\* Vide Sambuci Emblem. pag. 194.

JANUS DOUSA PATER,  
 NORDVICI DOMINUS,  
 IN LAUDEM  
 PRINCIPUM UTRIUSQUE GERMANIAE POËTARUM,  
 SECUNDI COGNOMENTO INSIGNIUM,  
 PETRI LOTICHII SECUNDI,  
 SOLITARIENSIS,  
 ET  
 JOANNIS NICOLAI SECUNDI,  
 HAGIENSIS.

**T**ubam Maronis, os Apollini aemulum,  
 Horatiana plectra, seu voles tibi,  
 Eroticos vel undecim pedum modos,  
 Propertii ausa, Martialis an jocos,  
 Secundum Utrumque censeo pares tibi,  
 Petrum, editum urbe nempe Solitaria  
 Hanojae, amnis ad fluenta Cynthii.  
 Cui, adjuvante Pane, Lotichî notam,  
 Minervae ab ore rapta, Lotos indidit.  
 Suaeque lumen alterum Bataviae,  
 Domusque grande Nicolaiae decus,  
 Satum parente Praefide, Haga quem tulit,  
 Meum Poëtam. Ita ista namque singula  
 Petrus, suae ille decus Alemaniae,  
 Ita hercle Janus universa praestitit,  
 Secundus ut sit hic, vel ille, nemini.

Petre, decus Phoebi, Medicorum gloria, salve,  
 Petre, decus Charitum, Pieridumque vale.  
 Vive, vale. Nos, qui veneramur dulcia Musas  
 Numina, perpetuas ibimus in lachrymas.  
 Ibimus, heu! nec finis erit, raptumque sodalem,  
 Cultoremque chori flebimus Aonii.  
 Nec tuus exstinguetur honos & gloria, dum nos  
 Vivorum in numero Daedala mater alet.  
 Semper apud memores tua famaue lausque manebit,  
 In pretio virtus inclyta donec erit.

E P I T A P H I U M  
 PETRI LOTICHII SECUNDI.

EX E M B L E M A T I B U S  
 \* J O A N N I S S A M B U C I,  
 P A N N O N I I.

Q uis situs hac urna? Vates Medicusque salubris  
 Lotichius, nomen cujus in orbe viget.  
 Nemo hunc Stigelio celebri, cultoque Sabino  
 Posthabuit, poterat quos superare brevi.  
 Qui fluvii cessant? quid olor? tristesque puellae?  
 Quid circum lauri? quid medioque senex?  
 Gallia, Pierides, Germania, Tybridis undae,  
 Hunc Phoebus & desles nate, fileque melos.  
 Arcus quid pluvius superest? Hoc foedus amicum,  
 Vestique res hominum versicolore, notat.  
 Sollicitos juvenis bello, Musisque labores,  
 Hic peregre casus sustinuitque graves.  
 Post, ubi sedatam patriam, mitesque sorores  
 Aonidum sensit, dat Medicina locum,  
 Quid tellus, mare, coelum, aër, quid lucidus ignis,  
 Continet, hunc merito quid latuisse putes?  
 Occidit heu! propere. At vitam monumenta coevam  
 Autori reddunt, posteritasque memor.  
 Haec doctus, lauro cineres tege, care viator,  
 Dicque vale: junget nos rediviva cohors.

JANUS.

\* Vide Sambuci Emblem. pag. 194.

JANUS DOUSA PATER,  
 NORDVICI DOMINUS,  
 IN LAUDEM  
 PRINCIPUM UTRIVSQUE GERMANIAE POËTARUM,  
 SECUNDI COGNOMENTO INSIGNIUM,  
 PETRI LOTICHII SECUNDI,  
 SOLITARIENSIS,  
 ET  
 JOANNIS NICOLAI SECUNDI,  
 HAGIENSIS.

**T**ubam Maronis, os Apollini aemulum,  
 Horatiana plectra, seu voles tibi,  
 Eroticos vel undecim pedum modos,  
 Propertii ausa, Martialis an jocos,  
 Secundum Utrumque censeo pares tibi,  
 Petrum, editum urbe nempe Solitaria  
 Hanojae, amnis ad fluenta Cynthii.  
 Cui, adjuvante Pane, Lotichî notam,  
 Minervae ab ore rapta, Lotos indidit.  
 Suaeque lumen alterum Bataviae,  
 Domusque grande Nicolaiae decus,  
 Satum parente Praefide, Haga quem tulit,  
 Meum Poëtam. Ita ista namque singula  
 Petrus, suae ille decus Alemaniae,  
 Ita hercle Janus universa praestitit,  
 Secundus ut sit hic, vel ille, nemini.

JOANNES POSTHIUS,  
ARCHIATER PALATINUS,

A D

ERASMUM NEUSTETERUM,  
COGNOMENTO STURMERUM, EQU. FR.

D E

PETRO LOTICHIO SECUNDO.

Lingua velut gustu vario, sic mens quoque nostra  
In studiis certas gaudet habere vices.  
Nec juvat assidue libros tractare severos,  
Bartole, sive tuos, sive, Galene, tuos.  
Sed libet ad dulces etiam descendere lusus,  
Atque animum doctis exhilarare jocis.  
Sic ego, Paconiae quamvis sim deditus arti,  
Et Medicos, veluti numina magna, colam.  
Attamen interdum, longo mihi tempore cultos,  
Ad vates redeo, Pieridumque chorum.  
Dumque alii nugis transmittere tempora gaudent,  
Atque diem multo continuare mero.  
Ipse animum oblecto veteres relegendo Poëtas,  
Argutaeque simul fila movendo lyrae.  
Lotichio veluti sub praeceptore solebam,  
Ad juga Parnassi qui mihi fecit iter.  
Fidus & excultis flores monstravit in hortis,  
Unde forent capiti ferta legenda meo.  
Et pede quo tenerum possim deducere carmen,  
Quoque meam cupidus fonte levare sitim.  
Praecipue, legere & mirari saepe jubebat  
Et decus, & numeros, blande Tibulle, tuos.  
Quemque cupidinibus non ullis ante sabactum,  
Cepit luminibus Cynthia prima suis.  
Quique genas tergit roseas dum Lesbia moerens,  
Exequias molli passeris ore canit.

Et

Et te, cujus opus sylvae, cum pinguibus arvis,  
 Longaque Trojani bella fuere Ducis.  
 Tum quae Flaminius, quae Bembus, & Aëtius, & quae  
 Imparibus cecinit Naso poëta modis.  
 Et quod opus, misero domini de funere raptum,  
 Mutatas formas, & nova membra, refert.  
 Cujus ego summas ludendo in pauca redegi  
 Carmina, Teutonicis explicuique sonis.  
 Sunt quibuis appositae praestantes aere figurae,  
 Quae rudibus docti carminis instar erunt.  
 Hunc venerande tibi dono, Sturmere; libellum,  
 Et, ne despicias munera parva, rogo.  
 Magna quidem, (fateor) quin omnia maxima, jure  
 Debeo pro meritis, officiisque, tibi.  
 Verum, quando nihil melius bona fata dederunt,  
 Et pater, Aonias qui regit unus aquas.  
 Haec, precor, ut saltem mea sit tibi grata voluntas,  
 Tutelam studii suscipiasque mei.  
 Dum te digna magis quondam, inagis aptaque doctis  
 Auribus, effingam, magne patrone, tuis.  
 Virtutesque tuas graviori carmine dicam,  
 Et veteri clarum nobilitate genus.  
 Ut generi ingenuas studiose junxeris artes,  
 Et Musas quanto semper amore colas.  
 Quosque peregrinos populos, quas videris urbes,  
 Saepe graves aestus, saepe ferendo nives.  
 Ut facer uno olim te legerit ore Senatus  
 Ad magnum primi Judicis officium.  
 Quae tua dexteritas in eo, quam denique magnis  
 Sollicitudinibus munera tanta geras:  
 Exhaustosque pia graviter pro pace labores,  
 Incoepit quoties arma movere furor.  
 Haec, & plura, meis (superet modo vita!) libellis  
 Et praefens aetas, atque futura, leget.  
 Te Deus interea laetis successibus ornet,  
 Et tuus ad coeli culmina surgat honor.  
 Incolumisque diu vita, cum laude, fruaris,  
 Ut te posteritas semper in ore ferat.

I D E M A D E U N D E M,  
D E N A T A L I  
E R A S M I N E U S T E T E R I , D I C T I S T U R M E R I ,  
E T O B I T U  
P E T R I L O T I C H I I S E C U N D I ,  
I N D I E M N O V E M B R I S S E P T I M A M C O I N C I D E N T I B U S .

**I**mbriferi quoties lux septima, Frasma, Novembris  
Redit, excitatur intimis in ossibus  
Tristitiae sensus, sensu mihi acerbior omni,  
Et crebra moesti pectoris suspiria  
Quae sit caussa, rogas? Lux abstulit illa Secundum,  
Medicum, & Poëtam seculi hujus principem.  
Lotichium dico, quo non mihi carior alter  
Vixit, tuique nullus observantior.  
Hinc eadem renovat veteres in corde dolores,  
Oppletque largis lumina uda lachrymis.  
At eadem, quoniam fausto te sidere nasci  
Vidit, paterna qua jacet Schonfeldia.  
Cuncta serenato depellere nubila vultu,  
Laetisque mensis, & vacare cantibus  
Me jubet, inque tuas nova pangere carmina laudes,  
Legenda & hoc, legenda & aevo postero.  
Tristitia sic laetis nostro sub pectore certant,  
Eademque fletus, gaudiumque, lux parit.  
Quid faciam! antiquos vincant nova gaudia luctus,  
Gemitusque cedant musicis concentibus.  
Quare, hilares inter, lauro redimitus, amicos,  
Sturmeriana ter quaterque nomina  
Ingeminans, redeat Natalis ut iste, precabor,  
Candidior usque & usque multis seculis.  
Hoc quoque Lotichium sentire, & velle sepultum,  
Sensus sepultis si quis inest, juraverim.

I D E M

( 263 )

I D E M

A D

NICOLAUM ISTHUANFIUM,  
UNGARUM, SECRETARIUM CAESARFUM.

**C**arus es ipse quidem per te mihi, Nicole, propter  
Virtutesque tuas, ingenique bona.  
Cum tibi praesertim sua carmina dicteret Apollo,  
Donet & Aoniam blanda Thalia chelyn:  
Mars animos, roburque suum, praeclaraque bello  
Pectora, quando movet Turcicus arma furor.  
Sed quia Lotichius tibi vixit amicus, ob ipsum  
Jam te etiam, Isthuanfi, cogor amare magis.

M E M O R I A E

PETRI LOTICHII SECUNDI,

E T

JACOBI MICYLLI.

**L**otichii cineres, cineres salвете Micylli,  
Quorum ego praeceptis doctior & melior  
Evassi: meritis pro talibus hoc monumentum  
Pono senex vobis, quod puer hand potui.  
Grati animi indicium: nitida qui in sede piorum  
Mox animis vestris confociandus erit.

D E O B I T U

PETRI LOTICHII SECUNDI,

E T

MICHAELIS BEUTHERI, I.c.

\* **T**e quoque Lotichio comitem, Beuthere, Secundo  
Uranie sedes misit ad Elysias.

Ne

\* Vide notata ad Lotichii lib. IV. Eleg. I. vs. 41.



( 264 )

Ne foret in terris, dulci qui carmine mentes  
Pasceret, aut doctas scriberet historias.  
Dum tamen historiae, dum carmina docta legentur,  
Clara utriusque simul fama superstes erit.

I D E M

A D

JOAN. HAGIUM, MEDICUM.

**L**onge suspicionibus remotis,  
Hagi candide, Posthium fidelem  
Constantemque tibi futurum amicum  
Semper, crede. licet parum frequenter  
Ad te scribere possit, impeditus  
Fluctibus variis negotiorum.  
Interim tamen Hagius medullis  
Haeret interioribus, meoque  
Non minus mihi carus est Secundo:  
Cujus Musam, & amabiles lepores,  
Nostris plus oculis amamus ambo.  
Quare, suspicionibus remotis,  
Amorem tibi crede Posthianum  
Manfurum inviolabilem, & perennem.

I D E M

A D

ERASMUM POSTHIUM,

FILIUM.

**L**otichio quondam monitore poemata fugi,  
Quae venerem obscaenam, ac nil, nisi triste sonant.  
Haec quia fixa animis, etiam nolentibus, haerent,  
Divinam & vitiis particulam inficiunt.  
Idem ego praecipio tibi jam, carissime fili,  
Hanc quoque tu prudens ingrediare viam.  
Casta Deoque virisque placent, quae pectus honestum:  
Immunda immundum carmina pectus amat.

P A U.

\* PAULUS MELISSUS SCHEDIUS;

A D

PETRUM LOTICHIIUM SECUNDUM.

**A**lloqueris Veneri Loton quid, Petre, sacratam,  
Succis ut imbuat suis  
Versus tuos suavissimos?  
Quin tua sunt dulci mage dulcia carmina Loto:  
Nemo negaverit, nisi  
Gustata cui non Lotos est.

I D E M

A D

JOANNEM HAGIUM, FRANCUM.

**H**oc vere tibi confirmo, vexillifer Hagi  
Inter amicorum sidera Lotichii.  
De grege Teutoniae vatum mihi nullius unquam  
Impariter junctos tam placuisse modos:  
Quam quos nec Musis lusit, nec Apolline laevo  
Lotichius, Clariae flumine lotus aquae.  
Doufa mihi testis, Doufa inclytus arte canendi,  
Quo nemo Batavum clarior ingenio est.  
At cur non placeant dulcissima carmina nobis,  
Cur non sit melli Lotichiana chelys?  
Quando Lotichius dulcedo est ipsa, novoque  
Musae ardent dici nomine Lotichides.

\* In Schediasm. Poët. pag. 256, vide Hagii vitam  
Lotichii pag. 90. hujus Edit.

GEORGIUS FABRICIUS,  
CHEMNICENSIS,

DE

PETRO LOTICHIO SECUNDO,

POËTA FRANCICO.

**L**otichius patrios montes, externaque regna,  
Dum celebrat, nomen tollit ad astra suum.  
Illius in numeris habitant decor, atque lepores,  
Et rapida hybernis vena fluens nivibus.  
Te Rhodanus novit, cumque Arno, Tybridis undae:  
Spes letho cecidit heu mihi quanta tuo!  
Omnes te montes fleverunt, omniaque arva,  
Demisitque suum plantula multa caput.

IDEM DE EODEM.

**P**ascua Virgilius cecinit, piscator ad undas  
In Sannazarî carmine lina trahit.  
Lotichius montes, & sylvas, lustra ferarum  
Cantat, & Oreades torquet amore Deas.

\* ADAMUS SIBERUS,

IN TUMULUM

PETRI LOTICHII SECUNDI,

POËTAE CULTISSIMI.

**Q**uem magis arguto raucus capit anser olore,  
Gaudeat inflati versibus Antimachi.  
Nobis Lotichii cordi limata Secundi,  
Cultaque Germani carmina Callimachi.  
Invida quantum aberat mors, accedentibus annis  
Paucis, cum Clio talibus usa foret!  
Lotichio non arte parem, ingenioque poëtam  
Teutonis ora tulit, Teutonis ora feret.

\* Tumulor. pag. 606. & legitur in Epitaphiis a Pantaleone  
collectis lib. IV. pag. 137.

N I.

( 267 )

NICOLAUS RUDINGERUS,  
PISOVERNAS,  
DE  
PETRO LOTICHIO SECUNDO,  
MEDICO ET POËTA NOBILISSIMO.

**S**eu quis Pieridum, seu spectet Paeonis artem,  
Gloria Lotichius prima Secundus erit.

I D E M  
IN OBITUM  
PETRI LOTICHII SECUNDI.

**L**otichio vitae triplices ubi fila sorores  
Fatali ad Nicrum dissecuere manu.  
Lugubri maerens se Phoebus texit amictu,  
Übertim & fufis ora rigavit aquis.  
Dixit &, ô mecum divini plangite vates!  
Unica Lotichius viva Poëfis obit.

I D E M  
DE  
JOANNE POSTHIO, ARCHIATRO,  
LUGENTE OBITUM  
PETRI LOTICHII SECUNDI.

**L**otichii maerens dum Posthius affidet urnae,  
Illius & largis funera deflet aquis.  
Calliopaea, pium vatis miserata dolorem,  
Audita est tali solvere verba sono:  
Parce tuis lachrymis, immenso parce dolori,  
Qui vati solvis justa suprema tuo  
Si lachrymae possent immites flectere Parcas,  
Jamdudum lachrymis viveret ille meis.

Ll 2

IDEM

I D E M.

DE CYNTHIO AD MOENUM FLUMINE,  
IN OBITU  
PETRI LOTICHII SECUNDI.

**A**mnis ad Eoas ubi sentit Cynthus oras  
Ultima Lotichium fata tulisse suum.  
Turbidus erexit maerenti cornua ripa,  
Et, Moeno fatum molle precatus, ait?  
Moene pater, placidis feliciter utere fatis,  
Atque tuas Rheno leniter infer aquas.  
Me mea fata trahunt. Mea gloria prima Secundus  
Occidit, & secum gaudia nostra tulit.  
Occidit, interitu illius, mors irvida nobis.  
Arida Castaliae flumina fecit aquae.

I D E M A D

ERASMUM NEUSTETERUM, COGNOMINE  
STURMERUM, EQU. FR.

**N**e mortale foret mortali nomen in orbe  
Hectoris, effecit carmine Moconides.  
At, ne fera tuas laudes oblitteret aetas,  
Lotichii, & Posthii vivida Musa facit.  
Nempe uni, Sturmere, unus quod praestitit, uni  
Id tibi jam praestant carminis arte duo.

## \* N A T H A N C H Y T R A E U S ,

IN TRES PETROS, NOBILISSIMOS ITALIAE,  
GALLIAE, ET GERMANIAE POETAS.

**C**armine quid possint Itali, & cum Teutone Galli,  
Scire cupis? ternos aspice, quaeso, Petros.  
Italia Angelium, Ronsardum Gallia, suave  
Lotichii ingenium Teutonici ora tulit.

\* In Poëm. p. 130. b.

J A-

( 269 )

JACOBUS STRASBURGUS,  
DE  
PETRO LOTICHIO SECUNDO.

**T**ertia Lotichio debetur, prima Tibullo,  
Altera deliciis palma, Catulle, tuis.  
Si tamen in vitio est Marathus, turpesque cynaedi,  
Si, quae non casta est, laude Thalia caret.  
Nulla Tibullus habet praeconia, nulla Catullus,  
Prima sed, Aonidum fama, Secundus habet.

JOANNES LAUTERBACHIUS,  
DE MORTE  
PETRI LOTICHII SECUNDI.

**L**otichius, versu bonus, & bonus arte medendi,  
Terrenas moriens deferit ecce! domos  
Non Mors atra suis rapit hunc, sed Apollo, fagittis,  
Quod se nec versu, nec videt arte parem.

HARTMANNI SCHOPPERI,  
NORICI,  
ECLOGA, DAMON,  
SIVE  
PETRUS LOTICHIVS SECUNDVS.

**R**oriferas nigrae vix Sol dimoverat umbras  
Noctis, & humentes radiis siccaverat herbas,  
Cum Thyrsis Nicri defunctum litore flebat  
Damonem, vacuas jactans hoc carmen ad auras:  
Quis Divum saevo te, Damon, funere merfit?  
Quis mihi te rapuit, nostris invidit & oris:

Ll 3

Qua

Qua te, noster amor, qua voce, quibusque querelis  
 Prosequar? Ipse meae fregisti gaudia vitae  
 Morte tua: mecum suspiria fundite sylvae,  
 Vosque sub umbrosis ululate cubilibus urfi,  
 Jungite singultus, & flebile dicite carmen.  
 Ille meae vitae requies, & sola voluptas,  
 Ille facer Phoebi discessit in astra sacerdos.  
 ô Dolor! Elysios nunc Damon ergo per hortos  
 Ambulat: ô fera mors, & inevitabile fatum!  
 Quem quondam stupuere tygres, stupuere leones  
 Cantantem, vallesque cavae, fluviique rapaces,  
 Dulcia sunt cujus mirati carmina montes,  
 Quem Pan Arcadius stupuit, Faunisque sagaces,  
 Quem novere vago tot monstra sub aequore passim,  
 Quo cantante, Deae nemorum, pulchraeque Napaeae  
 Duxerunt hilares per mollia prata choreas.  
 Vos latebrosa meas vos saxa referte querelas?  
 ô Pietas! quem sylva virens reverenter amabat,  
 Ah patulae fagi! non amplius ille sub umbra  
 Prosequitur dulci cantu volucresque ferasque.  
 Ast Erebi divos, & ineluctabile Regnum  
 Mulcet, & Eumenidas, monstrumque trisulcibus ingens  
 Quod limen servat latratibus, imaque Ditis  
 Regna, sub Elysio recubans in floribus horto.  
 Sum nimis in terris infortunatus Jolas:  
 Quippe tuos oculos, in acerba morte natantes,  
 Nec clausi, nec, funereum comitatus honorem,  
 Iusta tibi feci, neque fletibus ora rigavi.  
 Nam procul a Nicri tum finibus exul agebam,  
 Quod potero, vitae reget hos dum spiritus artus,  
 Grata tuae semper meditabor carmina laudi.  
 Te raptò, montes & pascua muta videntur,  
 Arva jacent neque culta, sonant lugubre per agros  
 Pastores, complent & tristibus antra querelis.  
 Graminis immemores vaccae neque flumina poscunt.  
 Te tremulis etiam lugent balatibus agni,  
 Interitumque tuum desilent in montibus urfi.  
 Vos latebrosa meas vos saxa referte querelas!  
 Ah Damon miserande! meae dux unice Musae!  
 Lustra peregisti vix sex, primaque juvena

Raptus

**Raptus es, & miserae tot acerba pericula vitae,**  
**Et belli casus invicto corde tulisti.**  
 Pauca juventutis sensisti gaudia, multas  
 Aerumnas fati superasti victor amari.  
 Vos testes eritis, sylvarum numina, Fauni,  
 Testis erit, quoties nocturnas obruet umbras  
 Lucifer, obscurum vel lumine vestiet orbem.  
 Testis erit, nobis quae saepe gementibus Echo  
 Ingemit, & tristes iterat lachrymosa querelas.  
 Eheu! formosis florens amaranthus in hortis,  
 Seu fuit imbre gravi, durove peremptus aratro,  
 Aut alii siccis flores moriuntur in arvis,  
 Vere novo superas emergunt rursus in auras,  
 Arva suis iterum tum floribus annua rident;  
 Nos semel in caecis cum dura cubilibus Orci  
 Mors posuit, dulcemque dedit nos vermibus escam,  
 Non datur aethereas evadere rursus ad auras,  
 Sed miseri semper nigris recubamus in umbris.

Vos latebrosa meas vos saxa referte querelas!  
 Elysios utinam mihi scandere detur in hortos!  
 ô Fortunatos hortos, & amabile Regnum!  
 Ut te lucifugis nigrum cum fratribus Orcum,  
 Irremeabilis, ac immania monstra profundi  
 Audirem lenire, Deos & tollere cantu,  
 Colloquioque tuo fruerer, citharaque beata:  
 Delicias tu namque meas rapuisse videris.  
 Ergo vel extremos proficiscar maestus ad Indos,  
 Aethiopasque nigros, aut Sole carentia tecta.  
 Interea solvent in fletum lumina Nymphae:  
 Flebitis inculti montes, ac invia lustra,  
 Umbrosisque dolens ululabit Nicrus in antris,  
 Aeternumque meas iterabunt saxa querelas.  
 Utque meos animâ mors lurida solverit artus,  
 Elysioque meam campo tibi junxerit umbram.  
 I felix, & amabilior vel virgine quavis,  
 I sacer ô vates! Jam te manet umbra Maronis,  
 Et cedunt omnes, quibus est tua cognita virtus.  
 Optime jamque vale Damon, atque ista doloris  
 Accipe signa mei! precor, ut tibi perpetuum ver  
 Terra sit ipsa, tui quae servat corporis ossa,  
 Insuper aeterna tranquillus pace fruaris.

N L.



NICOLAUS REUSNERUS, SILESIUS,  
IN CLAUDIAM  
PETRI LOTICHII SECUNDI.

**C**laudia da laudi, vatis quod munere Lotum  
Ambeso gustas cortice mellifluam.

I D E M

A D H E Y D E L B E R G A M.

**U**rbs salve, Cere & generoso clara Lyaeo,  
ô Salve Musis vallis amata sacris!  
Sancta domus vatum! Nam celsa regnat in arce  
Pallas, & Aonii praefes Apollo chori.  
Pieridum quam docta frequentat turba, Poëtae  
Praestantes studiis, ingenique bonis.  
Lotichius quondam vates, clarusque Micyllus,  
Cui tu jam, Posthi, tuque Melisse, subis.  
Musarum, Phoebique domos, & Palladis arces  
Mulcetis numeris, carminibusque sacris.  
Applaudit Nicer, & montes laetantur, & amnes,  
Ac Dryades gaudent, Naïadesque Deae.  
Musarumque frequens hic crescit adorea, laurus  
Nobilis, & Paphiae myrtus amata Deae.  
Fallor? an hinc urbi nomen dedit augur Apollo,  
Atque Palatinis Pallas amica jugis.

I D E M

A D

E R A S M U M N E U S T E T E R U M,  
DICTUM STURMERUM, EQU. FR.

**C**ertatim te quando colunt celebrantque Poëtae  
Carminibus, Phoebi splendor, Erasme, suis.  
Lotichius pridem, nunc Posthius, atque Melissus,  
Et si quos vates Teutonis ora probat.

Cur

( 273 )

Cur ego diffimulem tuus esse diutius? Aut cur  
Cultor amicitiae sim minus ipse tuae?  
Sim minus ut dignus, tamen es tu dignus, Erasme,  
Patronus qui sis semper ut, opto, meus.  
Mufarum qui castra sequor: quem Posthius ipse,  
Quemque Melissus amat, cultor uterque tuus.  
Si mea quid veri mens augurat, ipse favebis,  
Posthius hinc sponfor, praesque Melissus erit.  
Obses at interea brevis iste fit, oro, libellus,  
Pignore me redimam dum meliore, tibi.

SEBASTIANUS ARTOMEDES,

D E

PETRO LOTICHIO SECUNDO.

I M I T A T I O

JACOBI STRASBURGI.

**T**ertia Lotichio si danda est, prima Tibullo,  
Proxima delitiis palma, Catulle, tuis.  
Cedimus, & priscos veneramur jure Poëtas,  
Qui Latio fari Teutonas ore docent.  
At si, qui Christum ignorant, Divaeque falaci  
Serva dicant vates carmina, crimen habent.  
Prima Secundus habet praeconia, nulla Tibullus,  
Mancipium Veneris nulla Catullus habet.

I D E M

D E

PETRI LOTICHII SECUNDI

L I B R I S.

**T**ristia primus habet liber arma, secundus amores,  
Tertius ingratae taedia longa viae  
Inferias quartus functis persolvit amicis,  
Carmina post geminis sunt breviora libris.

M m

Tandem

Tandem sylvarum dumeta per avia ludens  
Mane vacat studiis, casta Diana, tuis.  
Aut Nicri Salaeque Duces exornat: Et haec sunt  
Aurea divini carmina Lotichii.

I D E M D E I I S D E M.

**D**ivinos Elegos, divina Epigrammata, Sylvas  
Divinas, Petri qui legis ista, legis.

A L I T E R.

**C**armina Lotichius cecinit divina Secundus,  
Quid canet, Aonia si quis in arte prior?

I D E M  
D E S E N E N O R I C O,  
C U J U S M E M I N I T

PETRUS LOTICHIUS SECUNDUS,

LIB. I. ELEG. VI.

**Q**uid sacrum incufas vatem, ceu falsa locutum,  
Cum, vatem eximium te fore, praemonuit?  
Aequasti veteres, vicisti, Petre, recentes:  
Vera nimis cecinit Noricus ille senex.

I D E M D E T O X I C O,  
Q U O I N F E C T U S E S T I N I T A L I A  
PETRUS LOTICHIUS SECUNDUS,  
POËTA INTER GERMANOS PRIMUS.

**L**otichium venerata diu fuit Itala tellus,  
Felix externo visa in amore sibi.  
At, simul Aufoniis palmam abstulit ille Poëtis,  
Invidiae simul est crimine pulsus amor.

Nil

Nil fuit ausa palam, veteres confugit ad artes,  
 Conscia nec vultu signa, nec ore dedit.  
 Legerat Aemoniis nocituras artibus herbas,  
 Saevae puer, telis icta puella tuis.  
 Jamque venenatas furiosa paraverat escas,  
 Ut juveni fieret carior ipsa suo.  
 Quid facis? ô quid stulta paras? Mors fervet in olla,  
 Dum licet, in medias spargito virus aquas.  
 Pergit amor surdus. Juvenem fors noster amatum  
 Pone sedet diro Petrus in hospitio.  
 Diversa in patinis apponitur esca duabus,  
 Utilis haec stomachi viribus, illa nocens.  
 Advolat, ulciscique suos festinat alumnos,  
 Naëta locum sceleri nympha Latina suo.  
 Nube latet, fallitque oculos, & noxia Petro  
 Fercula dat: non, quae debuit, alter edit.  
 Non satis est crudele nefas patrasse, triumphat,  
 Et tumidos abiens projicit ore sonos:  
 Sic patriam repetat, Latiis quicumque Poëti:  
 Aut par ingenio Teutonis, aut prior, est?  
 Ille igitur rediens, occulti semina morbi  
 Attulit ad patriae dulcia rura suae.  
 Donec ad extremum, lento superata veneno,  
 Natura, absumptis viribus, occubuit.  
 Accipite has artes, & crimine discite ab uno,  
 Hospitiis Italûm quae sit habenda fides.

\* S A L O M O N F R E N C E L I U S ,  
 I N T U M U L U M  
 P E T R I L O T I C H I I S E C U N D I .

**I**nsigni invidia premitur lapis iste: Poëtam  
 Teutoniae insignem nam tegit ante diem.  
 Invidet hunc tumulo flos, & decus omne juventae,  
 Invidet hunc rigidae divus Apollo neci.  
 Cui plures in luce moras si fata dedissent,  
 Lotichio melior nemo Poëta foret.

M m 2

SCHINC-

\* Vid. Frencelii Epigrammata pag. 302.  
 edita Witenberg. 1593.

SCHINCKELIUS LUCANUS,  
D E  
PETRO LOTICHIO SECUNDO.

**P**rimus es in multis, cur ergo vocâre Secundus,  
An, quod habes generis, Petre Secunde, parem?  
An, quod Amor primas teneat, Virtusque secundas?  
Quisquis erit Primus, Petre, Secundus erit.

NICOL. THEOPHILUS CIMBER,  
I N T U M U L U M  
PETRI LOTICHII SECUNDI.

**Q**uisquis in hoc tumulo corpus lugubre Lotichii  
Putas cubare, falleris.  
Coelicolas inter canit ille poemata divos,  
Immixtus Angelis piis,  
Praesentemque Deum trino cum Numine cernens,  
Aeterna carpit gaudia  
Da Deus, immensi cui machina supplicat orbis,  
Nos haec manere gaudia!

GEORGIUS BURKIRCHNERUS,  
I N E C L O G I S.  
D E  
PETRO LOTICHIO SECUNDO.

**O**ccidit & pulchri nascens ad flumina Nicri  
Lotichius, doctum semper cantare paratus  
(Testantur Nicer, & Rhenus, duo numina) carmen.  
Nunc has, nunc alias, multa dulcedine voces

Rep-

Repperit, ut juvenem mirata sit Itala tellus,  
 Dixerit atque dolens: Non hoc Germina potax  
 Digna unquam pastore fuit. Mala lingua futuro  
 Vati mox nocuit, nocuerunt fascina vati.  
 Baccare quis frontem poterat cinxisse decoram,  
 Immatura suo ne atroces ense sorores  
 Lotichii (sed post quid consulo!) si'a secarent?  
 Huic invicta suas tribuit quoque Gallia laudes:  
 Moribus, ingenione, magis sit amandus, an arte,  
 Dicere non potuit: Germanae gloria gentis  
 Maxima, dixit, eris: tibi prospera fata precamur.  
 Teutonia attentas cantanti praebuit aures,  
 Illius ad voces & mortua tota revixit,  
 Lotichii aeternum celebrabit & ardua nomen.  
 Lotichii auratis pendeat fistula templis,  
 Et suis, huic praestandus, honos non desinet unquam,  
 Lotichiumque suum Germania tollet ad astra.  
 Hei mihi! cum caneret, (mirum!) pectus orane stupebat,  
 Haedulus &, dulci dependens ubere matris,  
 Ubere neglecto cupidus inspexit ocelis  
 Cantantem, & patula, materni oblitus amoris,  
 Aure sonos hausit, nec ab hoc cantante recessit.  
 Nec solum cantu fuit, & medicamine, clarus:  
 Morbis infectum cum saepe audivit ovile,  
 Pharmaca Apollinea felix commiscuit arte,  
 E stabulisque luem discedere fecit atrocem.  
 Est ut Apollo lyrae, simul & medicaminis, auctor,  
 Arte in utraque potens: sic jure secundus Apollo  
 Lotichius dici, & proles Phoebaea, meretur.  
 Ceu favus huic dulci manabat carmen ab ore,  
 Gratiae & hunc nitido formabant coe politum,  
 Adfuit ipsa Venus, quae, carmen amabile reddens,  
 Aspergit faciles mixta gravitate lepores.  
 Quae Medici norunt, penetralia cuncta subivit,  
 Pastorum multi quae nec per somnia cernunt.

MATTHAEUS GOTHUS, CHERUSCUS,  
DE TRIBUS GERMANIÆ POETIS,  
PETRO LOTICHIO SECUNDO,  
GEORGIO SABINO, ET  
FRIDERICO TAUBMANNO.

**T**res ego Germanos demiror amoque Poëtas:  
Hi sunt delitiae (nil cano falsa) meae.  
Lac mihi Lotichius, vel lotho suavior omni,  
Cui puer & juvenis mille vel oscula dedi.  
Alter ab hoc dulci me pascit melle Sabinus,  
Qui certet numeris, mustee Naso, tuis.  
Tertius Aonia Taubmannus in arte triumphat,  
A summis Latio factus ad ima cibo.

I D E M D E  
PETRO LOTICHIO SECUNDO.

**L**otichius vincit tria, Loton, Lilia, Laurum:  
Mel, Lac, Thus, vincit carmine Lotichius.

TOBIAS ALEUTNERUS,  
D E  
PETRO LOTICHIO SECUNDO,  
POËTA CELEBERRIMO.

**P**hoebe, quod augurium hoc? Ergo te vincere, Phoebe,  
Terrigenas pateris? Phoebe, quod augurium?  
Inventum Medicina tuum est, tu Carminis idem  
Auctor es: Hoc duplici munere Apollo cluis.  
Dextra Lotichius medicâ, dum Fata sinebant,  
Cognitus, & docto carmine promptus erat.  
Hanc nisi dura nimis fregissent numina Loton,  
Te, Cynthi, poterat vincere Lotichius.

SIMO

( 279 )

SIMO STENIUS, LOMACENSIS,  
IN OBITUM

PETRI LOTICHII SECUNDI,

ET

PAULI MELISSI SCHEDII.

**L**otichius princeps Elegorum Teutonas inter,  
Inter uti priscos Albius Aeneadas.  
Martia quodque fuit Flaccus tibi Roma, Melissus  
Hoc melico nobis carmine nuper erat.  
Felicem geminis te, Francica terra, Poëtis,  
Teque simul, Panoris culta, quis esse neget?  
Altera utrique dedit gratæ primordia lucis,  
Altera defunctos contumulavit humo.  
Dilectæ Musis animæ salvete Deoque!  
ô Dyas angelicis annumerata choris!  
Donec erunt Elegi, donec Lyra casta, manebit  
Vester honos. Vatum stat sine morte decus.

HERMANNUS KIRCHNERUS,

DE

LOTICHIANO CARMINE.

**A**ntiquos flores imitata Camaena, medullam  
Mellifluam Loti Lotichiana sapis.  
Salve perpetuâ cedro dignissima Musa,  
Et cum siderea vive vigeque lyra.

PAREN.



P A R E N T A L I A  
PETRO LOTICHIO SECUNDO,  
POËTAE CELEBERRIMO,  
INSTINCTU  
PRAENOBILISSIMI VIRI  
OTTONIS A GRUNRATH,  
CAETERORUMQUE TAM ARCHIPALATINORUM,  
QUAM HANOVICORUM CONSILIORUM,  
APUD COENOBIIUM SOLITARIENSE CONGREGATORUM,  
OPERA AC STUDIO.  
HONORIS ET MEMORIAE IGITUR PERSOLUTA.  
ANNO CHRISTI D. N. M. DC IX. MENSE NOVEMBRI.  
EMISSIS PER ILLUSTRÉ GYMNASIUM EPIGRAM-  
MATIBUS SEQUENTIBUS,  
AUCTORE  
GEORGIO FABRICIO, SOLITARIENSI,  
THEOLOGO.

IN AEDES PATERNAS  
PETRI LOTICHII SECUNDI.  
I. AD VIATOREM.

**H**aec in transcurso lege paucula, quaeso, viator,  
Et simul hanc humilem devenerare domum.  
Lotichium quondam produxit quippe Secundum,  
Quo vix majus habet Teutonis ora decus.

II. DOMUS IPSA LOQUITUR.

**A**rte sua Primus, placita fed forte Secundus,  
Ortu Lotichius celebrem me, caetera vilem,  
Reddidit ille suo: Hinc vel sperno palatia Regum.

III.

## III.

**H**aec natalitia est Petri domus ipsa Secundi  
 Lotichii, obtinuit qui, iudice Apolline, prima,  
 In vatum numero: quam magnus & ipse Philippus  
 Tanti fecit, ut his succederet aedibus haeres.

## IV.

**H**anc, quia Lotichio dedit incunabula Petro,  
 A nullo vatum qui jure Secundus habetur,  
 Dicitur ingressus quondam casulam esse Philippus  
 Ille Melanchton: Eoque casa ipsa haud vilis habetur.

## V.

**E**xtulit haec Petrum casa Lotichium ipsa Secundum  
 In lucem, quo se Germania jactat alumno;  
 Quam magnum subiisse ferunt ideoque Philippum.  
 O casa, vel duplici veneranda hoc nomine salve!

## VI.

**H**aec casa produxit Petrum quondam ipsa Secundum  
 Lotichium, sibi quo Teutonis ora placet.

## VII.

**L**otichium in lucem dedit haec domus ipsa Secundum,  
 Qui fuit Aonii gloria prima chori.

## VIII.

**L**otichio, vatum vel primo, parva Secundo  
 Nascendi cunas praebuit haecce domus.

Nn

IX.

IX.

**N**atus ab antiqua ferie fuit ille secundus  
Lotichius , nulli forte Secundus , Avûm.

X.

**V**agiit haec olim vatum celeberrimus infans  
Intra Lotichius limina parva Petrus.

XI.

**L**otichio haec humilis , celeberrimo ubique Secundo ,  
Natales quondam praebuit ipsa domus.

XII.

**A**uspiciis vitae domus haec dedit ipsa Secundo  
Lotichio , in vatum qui grege primus adest.

XIII.

**P**auperis haec tugurî praegrandem parva poëtam  
Produxere Petrum limina Lotichium.

XIV.

**L**otichius , quo se merito Germania jactat ,  
E vili quondam hac prodiit ille domo.

XV.

**H**aec dedit in dias humilis casa luminis oras  
Lotichium. Quantum ô , quam celebremque virum !

XVI.

**G**runradi instinctu , sumptu reparata Philippi  
Ludvici Comitæ , dedit incunabula Petro  
Haec casa Lotichio , nulli vatum arte Secundo.

D O-

( 283 )

DOMINICUS PORSIUS,

FRANCOFURTENSIS,

D E

PETRO LOTICHIO SECUNDO,

POËTARUM SUAVISSIMO.

**A**lbius ex Elegis nisi primas ante tulisset,  
Lotichius poterat jure merere suo.  
Est tamen a primis aliquid tenuisse secundas,  
Quas tibi nec Livor, culte Secunde, negat.

PAULUS TOSSANUS PALATINUS,

D E

PETRO LOTICHIO SECUNDO,

POËTA PRAESTANTISSIMO.

**I**nclyta Francorum tellus ut fortibus armis  
Praevalet, & claris nobilitate viris,  
Vatibus egregiis sic nulla celebrior ora,  
Qua mundi gemino sphaera sub axe patet.  
Mantua Virgilium jactet, Verona Catullum,  
Pelignae gentis sit quoque Naso decus,  
Si mihi judicium de summis arte Poëtis,  
Quos tulit haec aetas ultima, ferre licet:  
Laus, inter Lyricos, debetur prima Melisso,  
Tuque Elegis nulli, Petre, secundus eris.

CASPAR CUNRADUS, SILESIUS,

D E

PETRO LOTICHIO SECUNDO.

**M**iles &, & Medicus, Sophus &, Medicusque fuisti,  
Fama sed a cythara est prima, Secunde, tua.

Nn 2

PETRI

PETRI LOTICHII SECUNDI

V A T I C I N I A :

SUPER URBIS MAGDEBURGENSIS EXCIDIO:

E T

BELLI PER GERMANIAM TRIGESIMALIS EXCURSU, ET FINE:

IPSO EVENTU CONFIRMATA.

GERMANICO IDIOMATE

R E D D I T A

P E R

MARTINUM OPITIUM, ANNO 1631.

---

P O E T I S C H E P R O P H E C E Y U N G

P E T R I L O T I C H I I S E C U N D I ,

E L E G I A I V . L I B . I I

An Herren JOACHIM CAMERARIUM.

Wen dir / o wehrter Freundt / vergönt ist an zu hören  
Ein sehr heimliche klage voll bitter angst undt zähren /  
Wenn du die zeichen so vorgehn / nicht schlägst in windt /  
Die durch der Vogelschar mihr vorgeedeutet sindt /  
So merck / was ich gesehn / als die helleuchtend sternen  
Sich in den Ocean verkrochen erst von fernen.  
Bernim / was ich gesehn / nachdem die schwarze nacht  
Die brennendt heiße sonn wider zu nicht gemacht.  
Es war stoßfinster nacht / in dem die stern ohnfeilen  
Den sanfft undt süßen schlaff under die menschen theilen /  
Welchen ein zarte lufft durch ein gelinden weg  
In sich versänkt / undt so zu wachen machet träg /

Undt

Undt als der sternn wage zu lencken angefangen /  
 Hatt mein viel große zorn ein solcher trawm empfangen.  
 Es war ein nahmhafft fluß / mihr zweiffelt / obs der Rhein  
 Gewesen / oder obß die Donaw möchte sein /  
 Oder obß sey geweest die Elb am schönen Landte:  
 Mich dunckt / wie ich ihn vor den Elben strom erkandte.  
 Am sandige ufferß Rand desselben flusses war  
 Ein alte Stadt gebawt vor etlich hundert jahr;  
 An seitten allenthalb war sie grausam umbringet  
 Mit einem Krieges-her / so durstig auff sie bringet /  
 Undt von der Mawren rab ein Jungfraw schawet an  
 Im läger rings herumb gar manchen Kriegsman;  
 Undt ist mihr aber regt / sah ich / wie sie dort oben  
 In ihrer linken handt ein Kränglein trug erhoben /  
 Sie weynt auß ungedult / undt mischte mildiglich /  
 Mit Thränen wasser viel thren zorn ganz eyferig  
 Von ihren scheitel ab / drauff sie ein Thurn thet tragen  
 Hatt sie ihr langes haar trawrig zu feld geschlagen.  
 Was wird denn werden drauß / sagt sie mit bitteren sinn?  
 Wie wirds mihr arme Magdt nun endlich gehn forthin?  
 Kann über dieses auch sich noch ein winckel zeigen /  
 Da mein groß ungefall sich ferner mögt ereigen /  
 Sieh da / Ich / Ich / die nun bißher viel hundert zeit  
 Die Stadt beschützet hab durch meyn standhafftigkeit /  
 Daß sie geblieben ist bey ihrem Rhum undt Ehren /  
 Undt ihr daß regiment der feind nicht möcht verkehren:  
 Der ich ihren Nahmen gab von meinem geslecht und standt /  
 Daß sie von Burgh und Magdt wurde Magdeburg genant.  
 Dis understehet sich des wilbes feindes wüthen  
 Von ihrer statt und ort gants und gar zu zerrütten /  
 Er will mihr gang und gar erzeigen keine gnadt /  
 Er meynt / es müsse sein / zur gnad sey 's viel zu spadt /  
 Ist daß der frömbkeit ehr! will man mihr nun so danken /  
 Daß ich der freyheit nachgestellt ohn alles wanken?  
 Was würd es werden doch / wenn ichs versehen thet  
 Und ein groß übelthatt dadurch begangen het?  
 Daß mag mihr helfen noch / daß mag mihr mein wort reden /  
 Daß ich mihr nichts denn guts bewußt an allen seitten  
 Undt daß ich feindlich nie geleyet an die handt  
 Wider daß hohz haupt / daß haupt übers Vaterlandt.

Was ich nun gutes gethan / mir alles in windt zerrinnet /  
 Daher meins unglücks sich der erste ursprung spinnet :  
 Daß sag ich nur allein / wenn ich bekennen will  
 Was in der wahrheit ist / bringt mich in dieses spiel.  
 Ich solt verrathen habe meins Vaterlandes mawren /  
 So hab ich sie beschütz / bewahrt für allem trawren :  
 Ich solt auch meine Trew erzeigen jeder man /  
 Obs gleich verräther were / solchs hab ich auch gethan.  
 Ein großes Lob undt Ehr haben vor manchen jahren  
 Unser Jungfrawe undt magdt erworben undt erfahren /  
 Dar under damals ich / nach mimmigliches sinn /  
 Für die vornehmste Dam rühmlich gezelet bin ;  
 Rezunder dannt man nicht dän racherischen waffen /  
 Die ich vor dießer zeit vor anderen thät verschaffen.  
 Da andere neben mir bekommen großen lohn  
 Werdt ich zur straff gerafft / bekomme spott undt hohn ;  
 Was soll ich nun mehr thun / wer wirdt mir rettung senden ?  
 An welchem ort der Welt soll ich mein augen wenden ?  
 Von wem soll ich begehren Errettung / Hülf undt Rath /  
 Da nun all hoffnung auß / da alles müde undt matt.  
 Kein hochzeitliche frewdt wird mehr von jungen Leuten /  
 In der berühmten Stadt gehalten / wie vorzeiten /  
 Daß werf der teutschen lieb erfordert friedt undt Ruh /  
 Wo Mars / der Wütterich / regirt geht 's übel zu.  
 Jest sein verwüßet gants die zu vor schöne awen /  
 Daß feldt verlassen gar kan niemandt wider bawen !  
 Der Graussam feind will nicht / daß nur der Dawersman /  
 Sein feldt reys umb / bestäl / ja einig hand leg an !  
 Zu einem frischen Erantz kan ich nicht mehr bekommen /  
 Die Blümlein pürpür farb sendt mir all abgenommen /  
 Auff aller grünen hend / auff allem grünen felde  
 Wechst mir kein Blume mehr / ja auch nicht in der Welt ;  
 In umbliegender Arw hab ich Zwenmahl gesehen /  
 Wie in der Niderlag den meinen ist geschehen !  
 Ich hab gestanden auß zum andernmahl zu vorn /  
 Viel schaden undt unfall von Martis wütt undt joen !  
 Ach weh ! was vor ein endt nimbt dieße Statt undt Mawren /  
 Ein Grewel hab ich dran / gedencet 's mit Ach undt trawren /  
 Wenn sie durch feindtelich handt einmahl eröbert wirdt /  
 Undt übern hauffen fällt all ihre macht undt jirdt /

Wer

Wer wirbt der bleichen Magdt vor jammer / angst undt schrecken  
 Zu öffnen ihre seitt sein arm undt schwerdt außstrecken?  
 Wer wird der Mölder sein / so denn versucht sein heyl /  
 Undt dem ihr Jungfrawschaft wird vor ein raub zu theyl?  
 Alles / was mein augen nur hierinnen können schawen /  
 Wird werden all zu staub gleiche andren ebenen Awen;  
 Des breitten Elben fuß allbeid uffer undt randt  
 Wird leyder! werden ein erbärmlichs ledig Landt.  
 Denn leyder / kommen wird der Tag voll leyds undt Trawren /  
 Da ich nicht mehr / wie vor / werd retten meine Mawren /  
 Undt wird nicht mehr alsdenn vor mirh nog übrig seyn  
 Als nur die ledig stell / undt schatt des nahmen mein /  
 Undt wird der Bawersman mit seinem pflug undt pferden /  
 In dießer martren Stadt umbreissen bloß die Erden:  
 Undt so du etwan fragst / was da gewesen bey /  
 Antwort er / daß alda ein Stadt gestanden sey.  
 Was hett mirh graussamers doch können widerfahren  
 Wenn gleich die Geten wild / der wilden Seytzen scharen  
 Mein überwinde were; hett mich elende magd  
 Auch wohl der Turckisch hundert so hard undt sehr geplagt?  
 Als daß diß groß unglück / unter dem grossen nahmen  
 Des Kayfers Majestat über mirh schlägt zu sahmen!  
 Ach wolte Gotd / daß nur die wilden Thracier  
 Oder daß Persisch volck / ober schwartze Araber /  
 Mirh ehe mein herz im leib zerschneiden undt zerrissen /  
 Undt all mein ingeweid mirh ganz zerstreuen ließen!  
 Wolt ich unselige mit dem noch trösten mich /  
 In meinem so harten fall / der dan hernahet sich;  
 Über die wunden mehr undt schläge muß man klagen /  
 Welch uns des Nächsten hand / und freunden hat geschlagen /  
 Ich will bezeugen diß beyhm grab der vätter wehrt /  
 Undt beyß Zuisconis gedächtnis hochgeehrt.  
 Ich ruff zu zeugen an Son / Mond / und alle Sterne  
 Undt was des himmels Crayß begreiffet weit undt ferne /  
 Daß ich gehalten fest meyn glauben undt trew alhier /  
 Und so ich unrecht sag / wolt ich selbst wünschen mirh  
 Daß solch mein unglücks standt sich immernoch möcht wenden /  
 Undt was ich leydt / sich nicht in ewigkeit thett wenden.  
 Doch nichts destoweniger wie unsinnig undt toll  
 Führt auff mich nun der feindt / macht mich alles jammers voll:  
 Was



Wans ihn gelustet noch / mag er sein Müttslein waschen /  
Nach allem seinen lust / in meiner kalten Aschen.

Ihr grüne felder / ihr ihr Brumlein frisch in gründen

Undt was ich angenehmt auff erden laß dahinden :

Adel / gehabt euch wol / gedenkt mein allzumahl

Ihr uffer wol bekandt / ihr schwesternen Nymphen all /

Es hat nunmehr einmahl vielleicht lang gnug gestanden

Mein gebrütes Regiment bey euch in Ewren Landen.

Vielmehr beklagt sie sich / aber mir ganz vergeng

Als bald der schlaff / da es an liecht zu werden sieng.

Ich ward besturzet sehr von dem / daß ich gesehen /

Nachdem der helle glanz der sonnen wolt auffgehen

Ein jayn undt finster waldt an einem Berge wardt

Dahin die vögel sich gestellten mancher art /

Er ist voll dieß gesträuchs / da sind viel weite gänge /

Dadurch die Blümlein frisch rauschen in grosser menze /

Daselbst in einem Thal ich widerumb betracht

Was mir vor ein gesicht vorkommen in der nacht.

Ich sagte ben mir selbst / was wird doch darauff kommen

Was ich gesehen heint / undt im schlaffe hab vernommen?

Was mag die ursach sein / daß ich betracht so sehr /

Ich habs gesehn so gar / als wan's wahrhaftig wer /

Warumb war ich so matt / daß mir bald war geschwunden /

Als wider hatt die nacht der Phoebus überwunden?

In dem ich mich so klag / undt bin betrübet sehr /

Von sorgen mancherley / in des spazier umbher:

Sieh da ein lieblich lufft erhebt sich undt zugegen

Die vom laub reiche äst anfahet zu bewegen.

Als bald ein Adeler die lufft schlägt undt zerbricht /

Mitt seinen flügeln / die zum raub sein abgericht /

In seinen krummen klawe sah ich alsbalden hangen /

Ein schwan / weisser dan schnee / der von ihm ward gefangen /

Er kont ihn nicht entgehn / die andere vögel all

Sahen den jammer an / und schwiegen dazumahl /

Oder weil sie furchten sehr des schnellen Adlers klawen /

Die voll grims warn / darumb sie den thren gar nicht trawen /

Aber der wachend hahn / welcher mit seinem gesang

Die morgenröth rufft auß / und zählt der stunden klang /

Der understehet sich hoch in der lufft zu finden

Den starcken Adeler / ihn da zu überwinden /

Damais

Damals an allem Ort / erweckt der Vögel Schar  
 Viel streit / daß durch ihren Flug die Höhlen zittern gar.  
 In dessen wirdt die Sonn vom Nebel so auffgange  
 Bedeckt / die gar bald zu leuchten hell anfange.  
 Der Himmel scheint vom Feuer / welchs uns ein Zeichen gibt /  
 Daß selben Tages werd't die Luft fast sein betrübt.  
 Ich werd't erschreck't / und main / daß mich der Schlaf betriege /  
 Aber / als ich erwach / ich an eine Eychen liege /  
 Bald kommen widerumb ein wenig Vögel her /  
 Undt als sie wider sehn / daß die Sonn leuchtet sehr /  
 Werden sie hoch erfreut / in dem ihn wider scheint  
 Der gülden Friedens Stral / darnach sie sich gesehnet.  
 Auch der schnee weisse Schwan kompt widerumb daher /  
 Nicht anders / als wenn er von Gott beruffen wer /  
 Singt lieblich sein Gesang / als er sich wieder fande  
 An dem bekandten Ort / undt einem sichern Rande.  
 Als bald mit heller Stimm ich schrey / bath Gott bekehndt /  
 Daß / was ich da gesehn / nehme als ein guttes Endt.  
 Undt was unglückliches uns drohet solch Gesichte /  
 Woll er mit seiner Macht gnedigst machen zu nichte.  
 Nicht weniger wündsch ich auch ihr Glück undt reiche Gabe  
 Den Nymphen / die allda noch ihre Wohnung habe.  
 Ich streck auß beyde Händt / zu schöpfen auß dem Brunnen  
 Daß kühle Wasser / welchs zu opfferen ich gesummen.  
 Ob ich dir / werther Freundt / dem ich eröffnen solle  
 Willich / was künfftig ist / hab nicht verschweigen wolle.  
 Ich hab zwar mehr erfahren / welchs ich nicht alles schreibe /  
 Undt achte also vor gutt / das es verborgen bleibe :  
 Im unbekandten Thal / was ich noch mehr gesehn /  
 An einem Eychen-baum lies ich geschriben stehn.

CHUNRADUS PINCIER, ADVOCATUS,  
DE VATICINIO  
PETRI LOTICHII SECUNDI,  
SOLITARIENSIS.

**V**isus Lotichio est Aquilinis unguibus olim  
Cygnus correptus, subtracitis avibus.  
Rursus, ad auroram dum cantat Gallus, Olori  
Se volucres tristes jungere laetificas.  
Praeterea visum est, Aquilam convincere Gallum,  
Astris quae summis nidificavit avis.  
Dic mihi, quis Cygnus? quis, dic, Aquilinus & ales?  
Quae volucres tristes? denique laetificae?  
Quis Gallus, volucres cujus vox excitat omnes,  
Et facit, ut plumae, dispereant Aquilae?  
Haec monstrat digitis autor, tria testata, simulque  
Enodat Divi dogmata Presbyteri.

JO. GEORGIUS STYRTZELIUS,  
CIVITATIS ROTENBURGENSIS  
AD TUBARIM CONSUL;  
DE EVENTU ET VERITATE VATICINII ILLIUS,  
A PETRO LOTICHIO SECUNDO,  
EDITI: AD  
JOANNEM PETRUM LOTICHIIUM.

**N**obilis & Excellentissime virorum, fautor & amice omnibus mihi  
modis perpetuoque amande, honorande, colende! Nuperrimas tuas  
recte accepi, meliuscule jam, Dei gratia, habens: sed illarum  
lectione magis adhuc refectus & firmatus sum, ita ut praesentissimi phar-  
maci virtutem literulis non illibens adscripserim tam nectareis, &c.

Vigiliis tuis comem, facilem, liberalem, sed & opulentum, verbo ido-  
neum opto Mecaenatem: quo sine valde verendum, ne literaria Resp.  
tantis ceimeliis diu adhuc, non sine ingenti clariss. doctissimorumque viro-  
rum, ob spem diutius aequo protractam, dolore, caritura sit. Verum audi!  
Dum nuper *Patru* tui *Magni*, *Petri Lotichii Secundi*, *Germanorum Poë-  
tarum* minime secundi, *Poëmata* in manus sumo, *Elegiamque de obsidione  
urbis*

*urbis Magdeburgensis (propheticum magis quam poëticum Vaticinium) de-  
nuo perlego, ilico memoriam subit Admodum Reverendi & Excell. nostri  
Superintendentis de ipsa ea, plures ante annos, scriptum, & cum Amicis  
communicatum, Judicium. Quod cum pium sit, & Eventu jam jam compro-  
batum, inquirere, ejusque te quoque participem reddere placuit, sub  
certa fiducia, tibi illud gratissimum pariter & acceptissimum, quin dignum  
adpariturum, quod aliquando Novam, pulcerrimorum operum Editionem  
augeat, &c.*

*Rotenburgi Tubarinorum, VI. Novembris, Anno Christiano M. DC. L.*

G E O R G I I Z Y R L I N I,  
THEOLOGI ET SUPERINTENDENTIS  
ROTENBURGO-TUBERANI,  
S U P E R S E C U N D O  
P E T R I L O T I C H I I S E C U N D I  
V A T I C I N I O,  
J U D I C I U M : A D  
J O A N N E M H E N R I C U M R I S I U M,  
T H E O L O G U M.

**E**xitus equidem communi dictorio acta probat, & *Vaticinium* veritatem confirmat. Nihilominus tamen, ut, quid de *Lotichiana Visione*, augurer, exponam, sequentia accipe. Describitur haud dubie ista *Status hujus seculi*, quo ventis persecutionum omnia *Regna, Religioni* sinceriori addicta, tanquam procellis impetuosissimis, concuti videmus. *Jovis armiger est Aquila Romana, vel Caesar*, & qui a partibus illius stant, *Olor est Lutherus, vel Lutherana Religio*, cum lingua *Bohemica Luther olorem* designet, veluti *Huss anserem*. Hic olor hisce, & superioribus aliquot annis adeo constrictus & captus fuerat, ut, quorsum fugeret, nihil & nullibi pateret. Quod *volucres reliquae*, id est, *Protestantium ordines*, spectavere: at metu *Aquilae*, siluere, & ne mutire quidem ausi fuere. Usque dum *Hennebergicus Dux*, qui jam est *Electoꝝ Saxoniae*, prodiret, inque *Societatem reliquas Aves Lipsiae* ascisceret. Tunc undique & unaque *bella* (quod quamvis invitus ominor) exardebunt, tantusque armorum fragor & strepitus audietur, quantus, vel maxima tempestate oborta, inter fulgura & tonitrua vix auditur. Tempestatem hanc *Deus* clementissime avertat! Solatio est mihi, *Aves redituras, & molli pace usuras, ut & Olorem suum editurum cantum libere*. Doleo tamen ob *paucitatem: Mox paucae redeunt*.

Haec mea mens, meum augurium, & *Visionis interpretamentum*: quod rectius sentientium judicio libere committo, & subjicio.

CHUNRADUS PINCIER, ADVOCATUS,  
DE VATICINIO  
PETRI LOTICHII SECUNDI,  
SOLITARIENSIS.

**V**isus Lotichio est Aquilinis unguibus olim  
Cygnus correptus, subtracitis avibus.  
Rursus, ad auroram dum cantat Gallus, Olori  
Se volucres tristes jungere laetificas.  
Praeterea visum est, Aquilam convincere Gallum,  
Astris quae summis nidificavit avis.  
Dic mihi, quis Cygnus? quis, dic, Aquilinus & ales?  
Quae volucres tristes? denique laetificae?  
Quis Gallus, volucres cujus vox excitat omnes,  
Et facit, ut plumae, dispereant Aquilae?  
Haec monstrat digitis autor, tria tecta, simulque  
Enodat Divi dogmata Presbyteri.

JO. GEORGIUS STYRTZELIUS,  
CIVITATIS ROTENBURGENSIS  
AD TUBARIM CONSUL;  
DE EVENTU ET VERITATE VATICINII ILLIUS,  
à PETRO LOTICHIO SECUNDO,  
EDITI: A D  
JOANNEM PETRUM LOTICHIIUM.

**N**obilis & Excellentissime virorum, fautor & amice omnibus mihi  
modis perpetuoque amande, honorande, colende! Nuperrimas tuas  
recte accepi, meliuscule jam, Dei gratia, habens: sed illarum  
lectione magis adhuc refectus & firmatus sum, ita ut praesentissimi phar-  
maci virtutem literulis non illibens adscripserim tam nectareis, &c.

Vigiliis tuis comem, facilem, liberalem, sed & opulentum, verbo ido-  
neum opto Mecaenatem: quo sine valde verendum, ne literaria Resp.  
tantis ceimeliis diu adhuc, non sine ingenti clariss. doctissimorumque viro-  
rum, ob spem diutius aequo protractam, dolore, caritura sit. Verum audi!  
Dum nuper *Patru* tui *Magni*, *Petri Lotichii Secundi*, *Germanorum Poë-  
tarum* minime secundi, *Poëmata* in manus sumo, *Elegiamque de obsidione  
urbis*

*urbis Magdeburgensis (propheticum magis quam poëticum Vaticinium) de-  
nuo perlego, ilico memoriam subit Admodum Reverendi & Excell. nostri  
Superintendentis de ipsa ea, plures ante annos, scriptum, & cum Amicis  
communicatum, Judicium. Quod cum pium sit, & Eventu jam jam compro-  
batum, inquirere, ejusque te quoque participem reddere placuit, sub  
certa fiducia, tibi illud gratissimum pariter & acceptissimum, quin dignum  
adparituum, quod aliquando Novam, pulcerrimorum operum Editionem  
augeat, &c.*

*Rotenburgi Tubarinorum, vi. Novembris, Anno Christiano M. DC. L.*

G E O R G I I Z Y R L I N I,  
THEOLOGI ET SUPERINTENDENTIS  
ROTEBURGO-TUBERANI,  
S U P E R S E C U N D O  
P E T R I L O T I C H I I S E C U N D I  
VATICINIO,  
J U D I C I U M : A D  
JOANNEM HENRICUM RISIUM,  
T H E O L O G U M.

**E**xitus equidem communi dictorio acta probat, & *Vaticinium* veritatem confirmat. Nihilominus tamen, ut, quid de *Lotichiana Visione*, augurer, exponam, sequentia accipe. Describitur haud dubie ista *Status bujus seculi*, quo ventis persecutionum omnia *Regna, Religioni* sinceriori addicta, tanquam procellis impetuosissimis, concuti videmus. *Jovis armiger est Aquila Romana, vel Caesar*, & qui a partibus illius stant, *Olor est Lutherus*, vel *Lutherana Religio*, cum lingua *Bohemica Luther olorem* designet, veluti *Huff anferem*. Hic olor hisce, & superioribus aliquot annis adeo constrictus & captus fuerat, ut, quorsum fugeret, nihil & nullibi pateret. Quod *volucres reliquae*, id est, *Protestantium ordines*, spectavere: at metu *Aquilae*, siluere, & ne mutire quidem ausi fuere. Usque dum *Hennebergicus Dux*, qui jam est *Electo Saxoniae*, prodiret, inque *Societatem reliquas Aves Lipsiae* ascisceret. Tunc undique & unaque *bella* (quod quamvis invitus ominor) exardebunt, tantusque armorum fragor & strepitus audietur, quantus, vel maxima tempestate oborta, inter fulgura & tonitrua vix auditur. Tempestatem hanc *Deus* clementissime avertat! Solatio est mihi, *Aves redituras*, & *molli pace usuras*, ut & *Olorem* suum *adituum cantum* libere. Doleo tamen ob *paucitatem: Mox paucae redeunt*

Haec mea mens, meum augurium, & *Visionis interpretamentum*: quod rectius sentientium judicio libere committo, & subjicio.

J A N U S G R U T E R U S,  
D E  
P E T R O L O T I C H I O S E C U N D O,  
A D  
J O A N N E M P E T R U M L O T I C H I U M.

**P**etro Lotichio sic favit Apollo, choragus  
Ut medica, & melica primus in arte micet.  
Sed magis in melica, nec enim Germania vatem  
Laudat adhuc, illi qui prior esse queat.  
Tu quoque Lotichii sanguis de sanguine, promptum  
Te melica, & medica, Jane Petre, arte probas.  
Sed magis in medica, quoniam sic fiet, ut artes  
Dein Phoebi exhibeat Lotichiana domus.

R O D O L P H U S G O C L E N I U S S E N I O R,  
D E  
P E T R O L O T I C H I O S E C U N D O,  
A D  
J O A N N E M P E T R U M L O T I C H I U M.

**A**bs te quae mihi missa fuit, Jan-Petre, canoro  
Suaviter affecit tua me modulamine Musa  
Confectum curis cor edentibus, atque animi aegrum  
Sacrarumque profanarumque in turbine rerum.  
Fallor? an in te spirat adhuc a morte Secundus  
Lotichius? Vatum seculi lux clara prioris,  
Carmine nulli horum qui lene fluente secundus  
Aeternam de se famam disperfit in orbe  
Coetus harmonici, cujus moderator Apollo.  
Saepe canat tua Musa: & te sublimibus alis  
Fama secunda vehet longe per musica templa.  
At Melicam, Medicamque probe conjunxeris artes:  
Subsidia haec vitae dat opes: sed saepius illa  
Pro quaestu questumque parit, nec fabricat aedes.

*Marpurgi, in feriis S. Apost. Matthiae, Anno M. DC. XXV.*

DANIEL

D A N I E L H E I N S I U S,  
 D E E O D E M  
 P E T R O L O T I C H I O S E C U N D O,  
 A D E U N D E M  
 J O A N N E M P E T R U M L O T I C H I U M.

**P**rimus, quos tulerat quondam Germania, vates.  
 Lotichius sola voce Secundus erat.  
 Alter Lotichius, post hunc, Germania, Vates  
 Et merito nunc, & voce, secundus erit.

*Lugduni Batavorum, Anno M. DC. XXXV.*

J O A N N E S P E T R U S L O T I C H I U S,  
 A D  
 G E O R G I U M F A B R I C I U M, S O L I T A R I E N S E M,  
 S U P E R C O N C E S S A S I B I A B I L L O E F F I G I E  
 P E T R I L O T I C H I I S E C U N D I,  
 P A T R U I M A G N I.

**I**matura mei plangebam fata Secundi  
 Nuper, & extincti dulce leporis opus.  
 Cujus in arguto sedem sibi legerat ore  
 Olim cum pulchro mater Amore Venus.  
 Muta revolvebam subito deperdita casu,  
 Quae poterant Musis commoda ferre sacris.  
 Ereptam quorum praesentia tempora partem,  
 Non sine laudata dexteritate, probant.  
 Pluribus interea repetitis ordine Votis,  
 Optabam vultus, culte Secunde, tuos.  
 Scilicet internam cujus cognoscere formam  
 Plus fatis e Musis, eloquioque, licet.  
 Illius externos, pictoris munere, vultus  
 O si fas oculis posse videre meis!  
 Non mihi par donis, nec amore potentibus arrhis  
 Pygmalion, rari factus imago thori.

O o 3

His



His iterum, atque aliis, dum tristis inambulo votis,  
 Praecocis incuso fata sinistra necis.  
 Vix tamen ausus eram graphicam sperare per artem  
 Effigiem nostro jam superesse solo,  
 Quae simulachra sacro deduceret aemula vati,  
 Et genii certas poneret apta notas.  
 Cum tu, Piëridum studiis operate, Georgi,  
 Haëtenus hanc adytis vis latuisse tuis.  
 Scilicet a foedis servetur ut integra blattis,  
 Sit simul a pigro sospes ut illa situ.  
 Quae tibi pro tanto dicam praeconia dono?  
 Semper erunt magni muneris illa loco.  
 Majori nostras vix posset honore Camaenas  
 Delius ingenio condecorare suo.  
 Non Phidiae tanti clypeus, non Zeusidis uvae,  
 Parrhasique fuit, sive Timantis, opus.  
 Quanti parva mei facio monumenta Secundi,  
 Pictoris docta quae fabricata manu.  
 Haec quoties avidis mecum contemplor ocellis,  
 Ruminor & mores, ingenique decus.  
 Ipse Palatinum videor mihi cernere Phoebum,  
 Mutuaque ad socias verba referre Deas.  
 Non est de nihilo, sed mens impellitur ausis,  
 In pretio proavos dum videt esse suos.  
 Et plus, si docti restent monumenta laboris,  
 Haec animis calcar suppeditare solent.  
 Non mihi Piërides fecerunt nomina vati,  
 Non vada, Gorgoneis lucida semper aquis.  
 Sed consanguinei stimulatix fama Secundi  
 Parnassi bifidum iussit adire jugum.  
 Parte alia robur teneris amor auxit ab annis,  
 Et dixit, voto mox potiëre tuo.  
 Ista, nisi fallor, juvenis sunt symbola vatis,  
 Candor, & innocuae simplicitatis amor.  
 Vatis inest animo calor: hinc amor, inde jocosum  
 Ludit honorati carmen amoris opus.  
 Interea doctis famam proferre libellis  
 Est animus: nostris currus is aptus equis.  
 Quae praefens legat, aut ventura paratior aetas,  
 Parque sibi exemplo posse licere putet.

Tu

Tu nunc longaevos imple feliciter annos,  
 Docte senex, canis o venerande tuis!  
 Quaque meas ornare studes pietate Camaenas,  
 Illa sis longum sospes, ut opto, Vale!

VENERIBUS ET GRATIIS  
 PETRI LOTICHII SECUNDI,  
 POETAE CELEBERRIMI,  
 S.

Culte Secunde, tuos quoties contemplor amores,  
 Phyllida vel meditor, Callirhoëque tuam.  
 Aut tibi quae reliquas superans probitate puellas  
 Nequicquam falso Claudia culta fuit.  
 Demodoci videor blandos haurire lepores,  
 Aut citharae Clarium fila movere Deum.  
 Nec mirum: ardentes subito mea pectora flammās  
 E numeris rapiunt, igniculisque tuis.  
 Seu lego jucundis transactos lusibus annos,  
 Tam cito tot laetos praeteriisse dies.  
 Sive tot ingenuos numero, quibus usus, amicos,  
 Cogito vel stabilem cum pietate fidem.  
 Non possum, sanctos quin placem carmine manes,  
 Et venerer cineres, culte Secunde, tuos.  
 Fallor? an Elysiis & tu sub vallibus errans  
 Excipis hos laeta non sine mente sonos.  
 Haeredemque tuo natum de sanguine gaudes  
 Lotichides Musas, eloquiumque sequi?  
 Fallor? & hic honor est tibi gratus, & illa voluntas,  
 Ingenium veneror qua geniumque tuum.  
 Hei mihi! quod tali me non quoque tempore nasci  
 Contigit, aut vita te propiore frui.  
 Me tua Castalias puerum duxisset ad undas  
 Dextra, per ignotas fida magistra vias.  
 Tu menti instillans genuino singula ductu,  
 Monstrasses puro cultius ore loqui,  
 Ista sed haud duri tulit inclementia fati,  
 Mortiferae vetuit vis truculenta Deae.

Ergo,

Ergo, tuo Clarios qui nomine ductus in hortos  
 Castalii petii diva fluenta vadi.  
 Semper Hyanthaeas complectar mente puellas,  
 Aonias semper devenerabor aquas.  
 Nostraque (si forsan mereantur) carmina cultis  
 Jungentur numeris, te praeëunte, tuis.  
 Petre vale, cognate vale, salve optime vates,  
 Inque beatorum sedibus umbra vale!

M A N I B U S  
 PETRI LOTICHII SECUNDI,  
 APUD HEYDELBERGAM DEFUNCTI,  
 S.

Tandem multorum post intervalla dierum  
 Ad cineres venio, culte Secunde, tuos.  
 Culte Secunde, meae mentis pars maxima, dudum  
 Sustulerit Lachesis te licet ante diem!  
 Quale Caystrinas carmen decantat ad undas,  
 Ultima cum vitae linea restat, olor.  
 Tale Palatini quondam pro tempore Nicri  
 Fundebas liquidis saepe stupendus aquis.  
 Quantus, ad elapsam perpauca adjungere summam  
 Lustra, futurus adhuc, si licuisset, eras?  
 Invida maturos tibi mors abruptit honores,  
 Eximium patitur quae nihil esse diu.  
 At praeclara tamen laudum monumenta tuarum  
 Venturo finet haud tempore Musa mori.  
 Salve dulce decus nostrum! Tua busta frequentet  
 Cum Musis custos Phoebus Apollo sacris!

A D B O N O N I A M,  
 C U M R O M A M P E T E R E T,  
 D E  
 PETRO LOTICHIO SECUNDO.

Ausoniae salve flos ô pulcherrime terrae,  
 Felsina, vitiferis undique cincta jugis!

Salvete

Salvete Aemylii colles, Panarique loquaces,  
 Este salutatae vos mihi semper aquae!  
 Inprimis dilecte cinis, dilecta Poëtae  
 Salve virgineis umbra dicata choris!  
 Medoaci ripas, Venetumque relinquere pontum  
 Jussit amor, vestri magnaue cura soli.  
 Nunc desiderii cessat pars maxima tanti,  
 Obvia sunt oculis tot bona quando meis.  
 Vix jucunda magis cuperent sibi jugera Musae,  
 Vix aliam Ceres, aut Bacchus, amaret humum.  
 His potuit sylvis, his olim pulchra viretis  
 Mnemosyne summo juncta fuisse Jovi.  
 Atque utinam vates non hîc meus ille petisset  
 Nescius incauta dira venena manu.  
 Te te felicem non uno nomine ferrem,  
 Felsina, trans superos carminis arte polos.

A D

VILLAM PHYLLIDIS PROPE NICRUM,

D E Q U 'A

PETRUS LOTICHIVS SECUNDUS,

\* LIB. ELEGIARUM, QUAS ADOLESCENS SCRIPSIT.

Villa, cubile tui quondam praedulce Secundi  
 Quae, vita vates dum frueretur, eras!  
 Salve villa, domus formosae Phyllidis! Eheu!  
 Quis ferus hos campos, hos terit hostis agros.  
 Miles atrox, rigido cui sunt adamantina ferro  
 Pectora, delicias non finit esse ratas.  
 Ille domos evertit, & hic, quod praedo furensque  
 Invenit, in spoliū cogit id omne suum.  
 Reliquias alius discerpit, & intima condit  
 In sua cognatas viscera raptor opes.  
 Hei mihi! pulchra tui quo cessit gratia ruris?  
 Quo decus ecce! tuum, quo nitor omnis abit?  
 Fortunata olim, duris jam percita fatis,  
 Villa, leves fessum vix liquet unde caput.

P p

Sed

\* Lib. II. Carm. pag. 180. Ed. vulg.

Sed neque vitiferi, Bacchi bona munera, colles,  
 Grata nec agricolae fœnora solvit humus.  
 Qui quondam liquidis ibat purissimus undis  
 Rivulus, obscuris jam quoque marcet aquis.  
 Nec magis arguto tranquillos murmure somnos  
 Commodat, aut dulces cantibus audit aves.  
 Sic neque perspicui per prata virentia fontes,  
 Mitiget unde sitim saepe viator, eunt.  
 Vitrea nulla magis, fluit omnis turbida, lympha:  
 Nutriit hanc lachrymis rustica turba suis.  
 Ergo nec occultos Philomela redintegrat ignes,  
 Dulce nec, ut quondam, temperat arte melos.  
 Sed gemit, & densas fugit icta dolore sub umbras,  
 Certa, nisi vincat patria victa, mori.  
 Interea tristis feralia carmina bubo  
 Cantat, ut indigenae plus metuantque, facit.  
 Parte alia nigri glomerantur denique corvi:  
 Ista notant, miseris plura ferenda plagis.  
 Flave Nicer, lux Phylli tui jucunda Secundi,  
 Tu quoque, cum villa, culte Secunde, vale.  
 Tempus erit, pulso cum, qui ferus intonat, hoste  
 Teste reflorescet carmine vester honor.  
 Tunc iterum patriis regnabis, Villa, sub agris,  
 Cumque suo Phyllis Vate perennis erit.

D E  
 URBIS MAGDEBURGENSIS  
 E X C I D I O:  
 E T  
 PETRI LOTICHII SECUNDI  
 VATICINIO.

**V**ulgus ait, commenta solent tractare Poëtae,  
 Rara solet numeris Vatis inesse fides!  
 At tibi, Parthenope, quae nunc es fabula mundi,  
 Vera nimis Vates prodidit ille tuus.  
 O utinam fallax, salva te stante, fuisset.  
 Esse Poëta potest quando Propheta, sat est.

PETRUS

PETRUS LOTICHIVS SECUNDVS,

POËTARVM GERMANIAE PRIMVS.

**C**armine Primus eras, cognomine, Petre, Secundus,  
Aut si non primus forte, secundus eras.  
Salve dulce decus! Vivet tua gloria tecum,  
Posteritas Clarias donec amabit aquas.

D E E O D E M

PETRO LOTICHIO SECUNDO,

POËTARVM GERMANORVM PRIMO:

I M I T A T I O

SCHINCKELII LUCANI.

**T**eutoniae vates inter qui primus haberis,  
Unde, Secunde, tibi nomen id esse putem?  
Seu, quod habes patrum parili pronomine Petrum,  
Huic tribuis primum pro pietate locum.  
Seu, quod amabilium te rara modestia morum  
Possidet, hinc primas haud rapis ipse vices.  
Quicquid id est: Pietate vales, & carminis arte:  
Hac hac a nullo vate secundus eras.  
Ergo Teutoniae vatum, Petre, primus es! ergo,  
Primus is, a nullo qui fuit alter, erit.

A L I T E R.

**P**rimus es in cunctis Germanae Vatribus orae:  
Dic mihi, cur igitur, Petre, Secundus eras?  
Seu, quod habes patrum similem tibi nomine: seu quod  
Primus, & a nullo vate secundus, eris.

\* P A U L U S M E L I S S U S ,

A D

ERASMUM NEUSTETTERUM STURMERUM.

**I**ngenii, Sturmere, tui certissimus index  
 Sidereo manans dius ab igne vigor,  
 Ardentem in Musas animo instillavit amorem:  
 Hinc scintilla oculo multa favente micat.  
 Ac quod amas vates, quod, Erasme, adamaris ab illis,  
 Dat concors omen nominis ansa tui.  
 Manes Lotichii testes mihi, testis & ipse  
 Posthicus: his addor tertia cura tui.  
 Sic Maro, sic Varius, sic liber Horatius ore  
 Dilecti Tusco pectora rara viro.  
 Sec (nec fallor) habes quiddam excellentius in te,  
 Ob quod naturae cedat Etruscus eques.  
 Quo tuus est animus sublimibus altior astris,  
 Hoc tuus in Francos amplior exstat amor.

\* In Delic. Poët. Germ. Tom. IV. p. 483.

I L L U-

( 301 )

ILLUSTRIMUM, ET CLARISSIMORUM VIRORUM  
MONITORIA:  
QUIBUS  
PETRI LOTICHII SECUNDI  
OPERUM

EDITIONEM AUCTIOREM A TOT ANNIS DESIDERARUNT.

---

DEI GRATIA JOANNES CHRISTOPHORUS NEUSTETTER, COGNOMINE STURMER, EQU. FRANCUS,  
CATHEDRALIS ECCLESIAE BAMBERGENSIS PRAEPOSITUS, S. CAES. MAJEST. CONSILIARIUS &C.

A D

JOANNEM PETRUM LOTICHIIUM.

**Q**uod denique Petrum Lotichium, patruum tuum, Poëtarum Germaniae Principem, novis Additionibus auctum, sub meo nomine redivivum producere paras, veterem illum tuum amorem, ex quo caetera in me fluxerunt obsequia, agnosco, & amo. Sed etiam, atque etiam vide, num tanto auctori minus idoneum patronum elegeris. Temerarium judicarem, tam gravem in me suscipere provinciam, nisi probe nossem, illum magnum superioris seculi Apollinem alterius non egere patrocínio, qui suis se viribus, ac nominis fama, facile tuetur: neque aliena opus habere luce, qui sat clarus est sua. Quapropter, hac nominis mei inscriptione, auctori me non lumen dare, sed lumen ab eo accipere, mihi videor. Age igitur, quod agis. Ego vicissim faciam, ut re ipsa intelligas, te apud minime ingratum hominem laborem tuum collocasse &c.

*Bambergae, XVIII. Septembris, Anno M. DC. XXX.*

Pp 3

HER-



## HERMANNUS VULTEJUS,

JC., ET ACAD. MARPURGENSIS PROCANCELLARIUS:

A D

## JOANNEM PETRUM LOTICHIMUM.

**M**ora Poëmatum Lotichianorum multis est molesta, cujus scio te argui non posse. Incidimus in ea tempora, ut non videam, qua ratione illa purgari possint, & fiunt ista quotidie difficiliora. Bellorum istorum tela tam est confusa, & connexa, ut solvendi illam non appareat ulla ratio. Nescio, quid ominer mali, &c.

*Marpurgi, pridie Resurrectionis Domini, Anno M. DC. XXXI.*

## JANUS GRUTERUS,

BIBLIOTHECARIUS, ET POLYHISTOR ARCHIPALATINUS;

A D

## JOANNEM PETRUM LOTICHIMUM.

**D**E Lotichii p. m. reliquiis bene est. Si qua in re juvare te possum, faciam paratissime. At Voegling sunt res accitæ. Memini aliquando videre in Bibliotheca Electorali carmina Patru magni tui, in nescio quem, Apostatam: Item historiam necis Episcopi Wirtzeburgensis Zobelli proſa oratione. Non erat quidem utrique additum nomen: sed tamen adſcripserat ille, cui dono data fuerant, &c.

*Heydelbergæ, Anno M. DC. XX. xv. Julii.*

I D E M.

**L**otichiana Trias prorsus repræsentabit Charitum choream. Itaque, nihil ei praevertas, quaeso &c.

*Brettae, vi. Martii, Anno M. DC. XXVII.*

I D E M.

**H**eus! Brettae puto me habere editionem Poëmatum Petri Lotichii, Parisiis editam: ubi ille alia multa habuit, quam etiam publicavit in Germania. Operae pretium fuerit conferre exemplaria. Si hinc mihi abundum, visitabo adhuc Brettam, modo licuerit per stratiotas, loca illa circum circa infestantes. Verum ante finitas nundinas forsan plura. Nunc vale, carum mihi, meisque Musis, caput!

*Heydelbergæ, XXIX. Augusti, Anno M. DC. XXVII.*

DOMI.

DOMINICUS PORSIUS,  
CONSILIARIUS, ET PRAEFECTUS, HESSO-DARMBSTATINUS:

A D

JOANNEM PETRUM LOTICHIIUM.

Vale, Vir Clarissime, quodque agis, age, & aureolos Patruī magni  
tui libellos, quorum, pro tēerrimo meo in illum amore, vix jam  
desiderium sustineo, quam primum nobis auctiores redde!

*Francofurti, VIII. Augusti, M. DC. XXVI.*

JOANNES GEORGIUS STYRZELIUS,

COS. ET POLYHISTOR ROTENBURGO.  
TUBERANUS, FRANCUS:

IN NOBILISSIMAM

CLARISS. DOCTISSIMORUMQUE, EX CELEBERRIMA LOTI-  
CHIORUM FAMILIA ORIUNDORUM, POETARUM

QUADRIGAM:

à

NOBILI, EXCELL. DOCTISSIMOQUE VIRO,  
D. JOANNE PETRO LOTICHIO,

AETerno GENTIS Suae DECORE,  
IN PUBLICUM PRODUCTAM.

Triga Poëtarum simul edita non semel ante haec  
In lucem, laudum praemia digna tulit!  
Digna refert & adhuc, referetque, dum honos erit ullus.  
Mufis, Parnasso dum locus atque suus.  
Nec tamen ulla (satis memini si) exivit eadem  
Atque una stirpe, aut, triga decora, domo.  
Collecti hinc inde trigam fecere Poëtae,  
Et numerum Charisii constituere parem.  
Tu sed, Lotichium sydus, Jan-Petre, tuorum,  
Dum pulcro exardes publici amore boni!  
Non vatum tantum Trigam, sed nempe Quadrigam,  
Una promere aves egregiam ipse vice:

Haud:

Haud equidem longe, aut diversa gente, petitam,  
 Una progeneratam stirpe sed, atque domo.  
 Una, inquam, atque tua (gratantes surgite Musae  
 Nomini, & adplausum tollite!) Lotichia.  
 Sed male quae latuit priva intra ergastula partim,  
 Cimmeriis partim tecta diu est tenebris:  
 Invidia fortis num fors, injuria an aevi,  
 Incertum: certe haec peccat, & illa, nimis.  
 Hanc, inquam, Phoebos duce, jam, vir magne, quadrigam  
 Sistere jam circo statque, sedetque, tibi.  
 Quadrigam aureolam, bis, terque, quaterque venustam,  
 Optatam multis haecenus atque modis:  
 Quae spatia haud septem tantum (priscis fuit olim  
 Quod moris) totum at permeet usque polum.  
 Tanto igitur major tibi, quam, qui quattuor olim  
 Jungere primus equos fecit, Erichtonio:  
 (Rex licet hic fuerit) debetur gloria, quanto,  
 Nobilior cursus, nobilior spatium.  
 Maeste igitur, vir amice, urge, quin imo perurge,  
 Quod bene coepisti, grande, & amabile, opus!

*Rotenburgi ad Tubarim, Anno M. DC. XLVII. XV. Martii.*

CASPAR CUNRADUS, SILESIUS:  
 DE EADEM  
 LOTICHIORUM QUADRIGA;  
 AD  
 JOANNEM PETRUM LOTICHIIUM.

Lotichiana trias celebris fuit haecenus armis,  
 Seu, Pataraee, tuis, seu, Meditrina, tuis.  
 Augescit numerus te florente decenter,  
 Jan-Petre, qua Medica re, Melicaque, cluis.  
 Lotichianaeae paria ô duo florida Gentis,  
 Quis laudes merito quaeque Camaena litat:  
 Et tibi cumprimis, vitae qui caetera reddis  
 Lumina, dum reddis, quae cecinere, solo.

Inpri-

In primis Petrum, qui nomine, reque, Secundus:

A quo, te praeter, nemo secundus erit.

ô Vehere ergo bonis, vehere, ô Jan-Petre, quadrigis,

Dum te quatrifido clarat agalma polo.

*Uratislaviae, Anno M. DC. XXVI.*

\* P E T R U S N I G I D I U S  
DE V O C A T I O N E P E T R I L O T I C H I I  
IN ACADEMIAM MARPURGENSEM.

Arcessitus & huc Petrus ille Lotichius, eheu  
Emanxit: caussam fors inopina dedit.

Praepopera siquidem praeventus morte, venire

Non potuit, Parca fila secante truci.

Heidelberga dedit vati praeclara sepulchrum,

Lanicolam poterat qui decorare scholam.

\* In praefat. Elenchi Professor. Academ. Marpurgens. editi Marburg. Cattor.  
1591. pag. 15.

CHRISTOPHORUS WERNERUS,  
APUD ACAD. RINTELANAM GRAECAE LING.,  
& Poës. PROFESSOR P: DE EADEM SIVE TRIGA, SIVE QUADRIGA,  
LOTICHIORUM CELEBERRIMORUM:  
A D E U N D E M  
JOANNEM PETRUM LOTICHIIUM.

Latoides cum forte trium congesta videret  
Lotichidum studio Carmina docta tuo.

Plausit, & applausit, fatus: Placet haecce virum mi

Triga, quibus claret Lotichiana Domus.

Namque (fatebor enim) tot vix tulit altera vates

Stirps, quot vestra potest enumerare, bonos.

Primus in his Abbas Petrus, Respublica Christi

Cui multum debet, Piëridumque chorus.

Successit Primo cognominis ille Secundus,

Alter qui Paeon, quique Tibullus, erat.

Cujus adhuc Italus, Germanus, Gallus, Iberus,

(Et quis non populus?) pleetra canora stupent.

Scilicet Almannos inter tenet ille Poëtas

Me facile primum testificante locum.

Tertius hinc, CHRISTI dictus de nomine JANUS,

Eximius Vates, Theologusque, fuit.

Nempe tuus venerandus Avus, fraterque Secundi,

Qui sat erat tituli notus honore sui.

Qq

His,

His, Jan-Petre, tribus vel par, vel major, haberis,  
 Quem Schola cumprimis Rinteliana colit.  
 Qui, velut haud ulli concesseris arte inedendi,  
 Sic facile palmam nec tua Musa dabit.  
 Ergo, quum numeret stirps Lotichiana Poëtas  
 Quatuor, insignes, praecipuosque, viros.  
 Nae miranda magis, magis & celebranda, quadriga  
 Lotichidum, jungas si tua metra, foret.  
 Atque ita vera probes, vulgo quae dicta feruntur,  
 Non a stirpe procul pendula poma cadunt.  
 Et generosa patrum virtus cum semine transit  
 In natos: Et quae talia plura docent.  
 His ita Lotichidum tibi suadet Apollo quadrigam  
 Edere. Si dederis, commoda mille dabis.  
 Teque, tuumque Genus, cumulabis laude perenni,  
 Hoc tantum Phoebro conciliante decus.

*Rintelii, Anno M. DC. XXIX.*

A D L E C T O R E M  
 O P E R U M  
 PETRI LOTICHII SECUNDI,  
 NOVIS ACCESSIONIBUS  
 à  
 JOANNE PETRO LOTICHIO  
 LOCUPLE T A T O R U M.

Caetera tempus edax consumit, & atterit: auget  
 Lotichii & servat carmina tempus edax.  
 Cernis? adhuc superant, manibus voluntur, amantur,  
 Quin ediscuntur, ceu vetera illa forent.  
 Scilicet hoc pia cura facit studiumque nepotis,  
 Quo patrui magni dante opera aucta capis.  
 Fallor? an ut victrix aevi laus illius ampla est,  
 Sic quoque fama hujus secula vincet anus?

D E  
 PETRO LOTICHIO SECUNDO,  
 POËTARUM SUPERIORIS SEculi NULLI FACILE SECUNDO.

Lotichius quonam vocitat se jure Secundum,  
 Quo prior haud vates, isne secundus erit?

CHRISTIAN. DAUMIUS, *Saxo, Gymnaf. Cygnaecani Rector,*  
*Anno M. DC. LXVI.*

JOHAN-

## \*JOHANNIS BOCERI

DE MORTE TRIUM PRAESTANTISSIMORUM GERMANIAE  
POËTARUM, ET CLARISSIMORUM VIRORUMG. SABINI, JOH. STIGELII,  
& PETRI LOTICHII SECUNDI,

## E C L O G A.

LYCIDAS, CORYDON, AEGON.

Forſitan a Viadro caſu turbatus acerbo,  
 Infelix Lycidas, viridem conceſſit ad Albim.  
 Huc quoque de patrio Corydon ſe contulit Ilmo,  
 Tertius at gelidi linquens vada caerula Nicri,  
 Huc etiam venit tardis non paſſibus Aegon.  
 Quos idem patrio paſtores littore moeror,  
 Funera dum deſlent fato ſublata recenti,  
 Egit, & ad notas lacrumas effundere ripas  
 Compulit, & longi ſolatia quaerere luſtus.  
 Convenere locum, patulum qua tendit in orbem  
 Sylva virens, ramis gelidas ac implicat undas,  
 Albis & aërias ſinuato vertice quercus  
 Alluit, & tutum ſolari littus ab æſtu  
 Servat, & arentes late ſinus ambit arenas.  
 Hic primum Lycidas trifti ſic coepit avena.

LYC. Plangite paſtores quos denſis Marchia ſylvis,  
 Fertilis & pratis, uberrima nutrit & undis,  
 Paſtor Ariſtaeus veſtri qui gloria ruris  
 Et decus immortalẽ fuit, princepsque canendi,  
 Occidit, emeritæ permẽſus & ultima vitæ

Q 9 2

Tem-

\* Edidit hanc Eclogam Boceruſ Roſſochli 1562. 8o. & Davidi Peiffero, cujus nonnulla etiam exſtant ſacri argumenti carmina, inſcripſit præfixa præſatione, qua merita & obitum trium horum poëtarum exponit. Itaque propter libelli vix hodie obſcũ raritatem cæteris his carminibus inferendam exiſtimavi.

Tempora, secreti petiit loca tuta recessus:  
 Valle sub Elysia gratis qua cantibus Orpheus  
 Intonat, & tensis Linus aptat carmina chordis.  
 Scilicet his gracili non dispar ille cicuta,  
 Germanas sylvas, & culta Thuiscone rura,  
 Suaviter incipiens ad coelum carmine vexit.  
 Hac se non alio tantum pastoria virtus  
 Extulit, & divum cannis aequavit honores.  
 Huic os facundum, calamos huic Phoebus acutos  
 Ipse dedit: quin & qua saepe movere solebat,  
 Naïdes in fluviis, Dryades in montibus altis,  
 Fistula, cornigeri munus memorabile Panos  
 Haec fuit, Arcadicis Senior quam montibus olim  
 Ipse suis manibus septem discrimine vocum,  
 Argutasque fores ritulo discreverat auro.  
 Pastor Aristaeus quoties hanc sumsit, & ori  
 Intulit, omne genus pecudum, genus omne ferarum,  
 Et volucres levibus quae vexant aethera pennis,  
 Convenere: ruunt celsis de montibus omnes  
 Pastores, gressusque citos satus aethere Faunus  
 Huc tulit, & suavis tactus dulcedine vocis,  
 Judice me, dixit, tam cultis versibus, ipsa  
 Pastor Aristaeus sylvestria numina vincit.  
 Ergo jaces Clariae decus immortale cohortis,  
 Et docti tutela chori, quem Pallas, & ipse  
 Phoebus ab insipido coelesti munere vulgo  
 Separat, & merito dignos concedit honores.  
 Quod si coniferas inter viburna cupressos,  
 Et corylos inter pinus assurgere fas est.  
 Fas est hunc reliquos studio superare canendi.  
 Tam triviale nihil, media vel plebe petatum,  
 Contulit in numeros, dulcique expressit avena.  
 Saepius hic cantu mordaces fallere curas,  
 Suevit, & imberbem Musas ambire juventam  
 Blanditiis gratis, monitis & jussit amicis.  
 Nec tulit hanc unquam lento marcere stupore,  
 Sed vigil aeternae demonstrans praemia laudis,  
 Illi proposuit sacros virtutis honores,  
 Ad decus & tardo non jussit tendere cursu.  
 Non illo quisquam nostro magis integer aevo,

Aut

Aut fuit a longo rerum prudentior usu.  
 Scilicet hic inter Pastorum numina, primis  
 Vixit ab unguiculis, & plurima rura pererrans,  
 Multorum mores hominum cognovit & urbes.  
 Quin etiam summos pastori noscere Reges  
 Cura fuit, multosque Duces sibi munere vocis  
 Demeruit, multoque lubens dimissus amore,  
 Rettulit ad patrios insignia dona Penates.  
 Ergo flet extinctum, lepide quicumque canentem  
 Audiit, & vultus pastoris vidit amicos.  
 Te certe veniente die, te vespere fero,  
 Suspiro, lacrumisque piis te defleo raptum.  
 Tu mihi, care, meas lugubri carmine curas  
 Anges, & multum tua plangere funera cogis,  
 Funera quae vario pecuaria nostra dolore  
 Adficiunt, morbosque ferent, & prata sonanti  
 Carmine privabunt, & multifono modulatu.  
 Nil vox apta tibi, nil culti copia mellis,  
 Nil tibi de summo donataque fistula Pane  
 Profuit, haec celeri mors omnia sustulit ausu.  
 Si tamen o nostrae Musam deposcis avenae,  
 Semper Aristaei laudes, nomenque sonabo,  
 Et nunc stelliferi vectus super ardua coeli  
 Culmina, felicitis qua jam post fata quietis,  
 Coelestes animas inter, caetusque piorum,  
 Uteris ambrosiae succo, vitaeque perenni:  
 Hinc nostros adverte modos, quos saepe probabas,  
 Ad Viadrum tecum tereti dum ludere versu  
 Fas erat, & dulces cantando ducere soles.  
 Sera dies, cunctisque bonis laudata senectus,  
 Felicem nostris te commendavit in agris.  
 Et virtus purae tibi clausit tempora vitae.  
 Et tibi juris amans, & constans pondere firmo  
 Pectus erat, ruris varias discernere lites  
 Saepius ingenti tu dexteritate solebas.  
 Et tibi de miti gravitas blandissima vultu  
 Emicuit, canosque tuos, moresque modestos  
 Extulit, & reliquos pastores ante locavit.  
 Haec tunc Lycidas. Corydon cum moestior ille  
 Incipit, & tali vacuum ferit aethera questu.



**COR.** Plangite pastores largis Thuringia campis  
 Quos alit, & pleno pecori dat pabula gustu,  
 Ille decus ruris, cantataque fama Menalcas  
 Occidit, & sylvas & dulcia prata reliquit.  
 Illum Salanae lugubri carmine Nymphae,  
 Hieridesque diu vitreis flevere sub undis.  
 Flevit & in lacrimas totus miserabilis Ilmus  
 Intepuit, proprio tristes & in amne dolores  
 Testatus, fundo moestum caput abdidit imo,  
 Illum cantandi cunctis pastoribus artem,  
 Qui dedit, ante alios Patareus flevit Apollo,  
 Et multum tanto doluit privatus alumno.  
 Et nullum sylvas, & nullum prata frequentans  
 Continuit lachrymas numen. Stant Naïdes udis,  
 Et Dryades siccis pedibus, lachrumantiaque ora  
 Vix heu vix manibus possunt siccare levatis.  
 Omnibus in sylvis, in pratis omnibus ingens  
 Auditur gemitus, moestos & tibia versus  
 Concinit, atque ipsum resonant arbuſta Menalcam.  
 Illum piniferae fleverunt murmure sylvae.  
 Turbataeque alto gemuerunt vertice quercus,  
 Et sonuere ipsae quid nescio flebile fagi.  
 Tum primum patuit, quantus, qualisque Menalcas  
 Extiterit pastor, nemo superare canendo  
 Quem potuit, largo plenas sic carmine cannas  
 Inſabat, numerisque decus, roburque sonorum  
 Addens, ante alios tantum se voce ferebat.  
 Quantum humiles inter pinus procera myricas  
 Surgit, & acrias ramis ſpaciatur in auras:  
 Carmine sic pingui nemo exultavit in agro,  
 Incaluitue magis. Volucres & gutturi apti  
 Vicit, & in dumis illi vocalis Achantis,  
 Ceſſit & huic Brenthus, reſono qui carmine montes  
 Mulcet, & optato complet nemus omne ſuſurro.  
 Hic pastor quoties teneras inſabat avenas,  
 Subſtitit, & poſiti depreſſit murmura venti,  
 Sylvaque nil tacitis habuit reſonabile ramis.  
 Et ſiluere ferae, volucres ſiluere ſonorae.  
 Turbaque paſtorum, quos paſſim Teutona tellus  
 Educat, illius doctae cum carmina Muſae

Audiit,

Audiit, attonito similis, similisque labanti  
 Haesit, & ingenium tanti mirata magistri,  
 Humanas superasse vices, illumque deorum  
 Credidit esse genus, summo sic omnia coelo  
 Digna fuere, boni fudit quae vena Menalcae.  
 Namque canebat, uti summis descenderit altris,  
 Ille salus hominum, latique salutifer orbis  
 Christus, & inferni fauces ceu fregerit orci,  
 Et nobis clausi referarit limina coeli  
 Addidit his rerum causas, formasque vagantes,  
 Omniparentis opus naturae, sidera, terras,  
 Atque elementa suo fluitantia quaeque tenore.  
 Nec minus historiae partes, legesque secutus,  
 Et monumenta piae praeceptaque commoda vitae,  
 Tradidit assidue caris cum foenore alumnis.  
 Illius heu nobis de coeptis carmina fastis,  
 Imperfecta latere sibi quae saepe ferebat,  
 Quis dabit? ut patulis suspensa notescere fagis,  
 Et poterint meritum super astra referre Menalcam.  
 Heu desiderii toties spes irrita nostri,  
 Carmina, quae laeti multis speravimus annis,  
 Abstulit, & secum splendentibus intulit astris,  
 Temporibusque suis invidit forte Menalcas.  
 At tu care deis, terris quem maxima virtus,  
 Nunc coelo pietas justo commendat honore,  
 Vive diu, requieque tua, divine Menalca,  
 Utere: perpetuo meritas tibi carmine laudes  
 Pastores dicent, quos pastoralis Apollo,  
 Et docuit resonas Pan ipse inflare cicutas.  
 Nam tibi prae reliquis major constantia cordi,  
 Integritasque illaesa fuit, nec subdola vulpes,  
 Nec lupus insidiis, studio te flexit honesto.  
 Sed semper pratis haesisti pastor eisdem,  
 Duraque multivagae sprevisi spicula fortis.  
 Pro quibus ipse tenes summi nunc gaudia coeli,  
 Et claro miseras despectas lumine terras.  
 Haec Corydon. Socios moesta cum voce dolores  
 Excipit, & tergens lacrimas, sic incipit Aegon.

**AEGON.** Plangite pastores, vitrei qui flumina Nicri,  
 Infesto bibitis dum sol maturujt aestus,

**Laeta**

Laeta Palatinis armentaque pascitis agris.  
 Occidit ereptus properanti funere Daphnis:  
 Daphnis ab his Nicri pratis ad sidera notus.  
 Quo moriente boves ad flumina nulla, neque amnem  
 Accessit quadrupes, nec laetas attigit herbas.  
 Daphni, tuae mortis Phoebro cum nuncia venit  
 Fama, sui radiis illustrans corpus alumni,  
 Crudeles superos, & Parcas nomine dixit.  
 Daphni, tuum interitum notos armenta per agros  
 Et montes flevere truces, sylvasque sonantes.  
 Non solum cannas docta conjungere cera  
 Daphnis & Aonia didicit certare thalia:  
 Daphnis & herbarum vires, artemque medendi  
 Novit, & e membris lentos educere morbos,  
 E succis gratos & fundere mollibus usus.  
 Ut vites uvis gaudent, velut arbore vites  
 Suffultae, in patulas crescunt jucundius auras:  
 Tam nobis gratus Daphnis, sic gaudia Musis  
 Praestitit: illius dulci sic voce levatae,  
 Erexere caput, viridique in littore Nicri  
 Illius ad numeros cultas duxere choreas.  
 Taurus ut armentum, decorant ceu prata colores,  
 Daphnis pastores nostro sic rure canentes  
 Cantibus ornavit, quem postquam fata tulerunt,  
 Exiit ipsa Pales agris, exivit Apollo.  
 Ah & qua toties nos delectavimus arte,  
 Grandia condidimus cum densis hordea Sulcis,  
 Post hac non nostras blandum resonabit ad aures.  
 Infelix lolium, steriles orientur avenae,  
 Spinae pro violis, & acutis carduus hamis,  
 Et pro Narcisso vilis se tollet Achantus.  
 Spargite humum foliis, Daphnis qua condidit ossa,  
 Pastores, hoc ipsa Pales, hoc optat Apollo.  
 Huic tumulum facite, & tumulo tale addite carmen:  
 Hic situs est Daphnis, per sylvas notus & agros.  
 Et satis hoc: doctae quia norunt caetera Musae.  
 Non tamen haec quocunque modo tibi grata putamus,  
 Daphni, decus Francae gentis, sublimius ipsi,  
 Rite tuum nomen coeli tollemus ad astra:  
 Daphnin ad astra feremus, amavit Daphnis & astra,

Et

Et vigil occasus horum signavit & ortus.  
 Nunc quoque stelliferum qua claudit circulus orbem  
 Lacteus, & summi scandit penetralia coeli.  
 Hic bonus insueti miratur limen Olympi,  
 Sub pedibusque suis currentia sidera calcat.  
 Ocia Daphnis habet. Sed quis nunc alter ab illo,  
 Artis, & insignes cantandi aequabit honores?  
 Sis bonus & felix Daphnis, tibi rite quotannis,  
 Munera iusta feram, lachrumisque rigabo sepulchrum,  
 Et tua cum tenero fluxerunt carmina rivo,  
 Rivus ab hoc semper lachrumarum rore sepulchro,  
 In nostros stillabit agros. En accipe felix,  
 Immortale tuos referat quod pignus honores,  
 Daphnin & insignem venturo consecret aevo.

Tales ad vitreas fundebant Albidos undas  
 Tres hi pastores questus, lachrumasque ciebant.  
 Omnia cum tristi Sylvarum numina vultu,  
 Undarumque decus Nymphae, sensere dolores,  
 Hos & sublato cantandi morte magistros,  
 Optantes Parcis mala plurima, deplorabant.  
 Ipse pater lachrumis auctus stillantibus Albis,  
 Moestior ad plenas surgebat flumine ripas,  
 Et si non propriis madidus stillasset ab undis,  
 In lachrumas poterat se convertisse videri.  
 Omnia tum tristi squallebant languida cultu,  
 Sylva comis, sueto turbatum flumen & alveo,  
 Deformata suae doluerunt gaudia sortis.  
 Demisere caput foliis pendentibus herbae,  
 Tristia nec solito viguerunt gramina rore.  
 Ingemuere ferae, moestum sonuere cicadae,  
 Et matutinae multum flere volucres.

R r

E x

# SEBASTIANI KORTHOLTI DISQUISITIONE

D E

## ENTHUSIASMO POËTICO:

edita Kiloni MDCXCVI.

§. LXV. pag. 89. &amp; seqq.

**P**rodeat itaque Petrus Lotichius Secundus, & nobis somnium suum enarret de obsidione urbis Magdeburgensis. Non reticuit illud Joachimo Camerario in incomparabili Elegia, cujus verbum quodlibet si velum Timanthiis affirmem, nec ego quod res est dixerim. Quot enim verba, tot elegantiae, tot pondera, tot oracula! nec omnia sibi visa exposuit, sed quaedam caelanda putavit. Illud singulare in hoc viro & propemodum divinum est, ac plusquam Poëticum *ἐνθουσιασμόν* arguit, quod in bleg. 4. Lib. II. ad Joachim. Camerarium scripta tristissima obsidionis & expugnationis Magdeburgensis fata integro seculo praedixerit. Verba sunt D. G. Morhofii Polyh. Lib. I. cap. 19. p. 226. ubi de vita Johannis (*Petri* imprimi debuit) Lotichii Secundi per Joh. Hagium scripta agit. At vero Lotichius integro seculo ante Magdeburgensium clades denuntiare non potuisse videtur, quippe qui lucem adspexit 103. annos ante fatale istud incendium. Quod si itaque integro seculo praecinuisset calamitates Magdeburgensium, efficeretur puerum triennem Elegiam contexuisse, si recte calculum pono. Natus enim est Lotichius Anno 1528. die 2. Novembri, ut Hagius in vita Lotichii carminibus addita, p. 530. & Melissus recte annotarunt. vid. Lotich. Poëm. p. 366. Ed. Hag. Magdeburgum vero a Tillio & Pappenheimio Anno 1631. subversum est. Neque tamen dubitat P. B. Burgus in Comm. de Bello Suecico Leodii Anno 1639. editis, scribere: *Sic Magdeburgum cecidit, cujus excidium ducentis abhinc annis indigena vates* (Lotichium innuit) *elegiaco carmine eleganter deflevit.* Haec si vera sunt, sequitur vatem, multo antequam natus fuerit, eventura cecinisse. Fac autem Lotichium Magdeburgi interitum divinasse Anno 1560. qui ipsi interitum attulit die 7. Nov. testibus iterum Hagio & Melisso, acu rem non tangente Thuano; qui poëtam Kalendar. Nov. vitae finem fecisse notat in fine Tom. I. sive Lib. xxvi. sic enim conficitur, vatem minimum 71. annis Magdeburgi expugnationem praefensisse.

Equidem editio sine dubio omnium prima lucem vidit, cum ea adhuc auctor frueretur, publicata Lutet. ex offic. Vascosani 1551. At versus illa admodum paucos, nec elegos de obsidione Magdeburgi complectitur. Nullam editionum Lotichii mentionem facit Hagius in ejus vita, quod omis-

sum

sum nollemus; at memorat Thuanus in ultima charta Tomi primi Hist. lib. xxvi. part. 1. p. 341. triennio post auctoris mortem Lotichii poemata a Camerario collecta & publicata esse. Primo tamen omnium forte carmen de obsid. Magdeb. exhibet editio Lipsiensis anno 1561. publicata, cujus meminit Camerarius in literis ad Christ. Lotichium Lipsf. datis Kl. Mart. anno 1562. in Vol. I. Epist. Lib. V. p. 439. & praemittitur etiam dedicatio Camerarii anno 1561. scripta operibus Lotichii cum vita ejus Lipsf. 1586. editis. Caeterum carminum Lotichii impressio facta est anno 1576. & 1609. ac vertit Germanice carmen laudatum Lotichii anno primo post occupationem Magdeburgi M. Matthaeus Lungwitiuss, in Josua Redivivo cap. xxxi. p. 196. ita vero incipit:

Wenn dir / o wehrter Freund / vergönt ist anzuhören  
Ein sehr heimliche Klage von bitter Angst und Zehren etc.

Ex saepius iteratis operum Lotichii editionibus grata & accepta illa fuisse videmus, quod confirmat Hagius elogiis virorum sua aetate celebrium adductis. Jam vero vel ipsis Germanis ignotum nomen Lotichium esse scribit Morhofius, exteros etiam nullam ejus mentionem facere, cum in Caesaris Scaligeri Hypercritico non offendatur. Nuper J. Fellerus, qui Lotichii Eclogam cum notis anno 9c. Lipsiae excudi curavit, pro eo ac debuit, vatem commendavit, quem nulli veterum imparem, hodieque non Germanis tantum, sed & Italis, Gallis ac Belgis aestimatissimum, ac poetam superioris seculi incomparabilem vocat. Et Melissus poeta valde venustus, cum forte fortuna anno 1558. (J. C. Scaligero emortuali quo nondum adeo pervulgata erat Lotichii poësis, ideoque forte ejus Scaliger non meminit) in aliquas ejus elegias primum incidisset, mirifice iis affectus, affirmavit arridere sibi incredibiliter poëtae suavitatem plane divinam, referente in Lotichii vita Hagio p. 448. cui vatem commendavit, confirmavitque

*De grege Teutoniae vatum sibi nullius unquam  
Impariter junctos tam placuisse modos.*

De vate hoc incomparabili Thuanus Lib. xxvi. Hist. ad an. 1560. pag. 810. poeta alias optimus & peritus judex, minus praeclare sentit, cum post Eob. Hessum demum Poëtam Germanorum praestantissimum appellat Petrum Lotichium Secundum, qui tamen virtute poëtica nulli Germanorum unquam secundus fuit. Rectius Camerarius in Dedic. quam vatis hujus operibus anno 1561. addidit, affirmat similem Lotichio Poëtam nationem nostram non tulisse, *eruditos*, inquit, *mibi assentiri scio omnes*, existimatque Eob. Hessum, Sabinum & Stigelium herbam Lotichio ultro porrecturos. Idem sentit Joannes Petrus Lotichius in Promulsae Critica, Joannes Poschius, G. J. Vossius de Scient. Mathem. cap. 18. Dan. Heinsius Lib. II. Eleg. 8 & Joannes Hagius qui virtutes ejus probe perspectas habebat, & in vita poëtae testificatur Lotichium magno animi ardore, celeritate facilitateque ingenii singulari orationem numeris illigasse, adeo ut omnes vi quadam divina vatem esse praeditum facile agnoverint, hanc latentem naturae vim impetumque poëticum ita se prodisse scribit, ut quicquid extra carmen

agendum suscepit, quasi aliud agens egerit. Carmina vero fudit tantum non semper & fere ubique locorum, inter socios, jocos, lusus, convivia, & vel in somnis deprehensus est amicis ea modulari, ut mihi, quae cogitarit alter hic Naso, versus fuisse videantur. Proinde merito poëtam non factum, sed natum, & cum Pythagora commonefactum praedicat Hagius p. 419. Cui rei, inquit, vel hoc satis evidenti argumento esse possit, quod ego accepi illum puerum admodum, ac per aetatem fari vixdum ac proloqui puerilia verba potentem, ruri saepe libenter esse, atque in agris & sylvis errantem inter pastores (vera narro) cantare nescio quae pastoralia ac numina sylvestria solitum, ac jam veluti Maronaeam sylvestrem Musam tenui meditari avena occipientem. Ejusmodi deliciis, ruris recessibus, antris, fontibus & avium cantibus maximopere Lotichius per totam vitam delectatus est. Videlicet in silvis poëtae animo fruuntur magis vacuo ac libero, & divinos bibunt spiritus, unde ad carmen fundendum incitari faciles, ac quasi entusiasmato rapti impelluntur, de potestate sua exeunt, canentesque ac quasi furentes evadunt, ut loquitur Hagius in vita Lotich. p. 434. illic quasi Deo quodam suggerente carmen etiam effudisse poëtam nostrum testatur, cum quo amico suo solitudinem subire Hagius consueverat, & ipse Lotichius canit:

*Ruris amatores vates sumus, urbe relicta  
Concitat afflatu nos Deus ipse suo.  
Scilicet occultas dant ipsa silentia vires,  
Carminaque ornatu versicolore nitent.*

Fatemur equidem istam poëtarum fere indolem esse, ut floriferas valles, umbrosa cacumina montis & id genus alia vel in musco etiam formare proclive sit; at ipsa *αὐτοψία* tamen & objectorum praesentia ope sensuum distinctiorem fortioremque imaginationem reddit. Hinc solitudine ista gaudent atque secessu nemorum, vallium, montium, in quibus errare ac latitare maximae voluptatis censent. Unde illud oloris Mantuani:

*ô qui me gelidis in montibus Haemi  
Sistat, & ingenti ramorum protegat umbra!*

Nec non Venufini vatis:

*— me gelidum nemus  
Nympharumque leves cum Satyris chori  
Secernunt populo.*

& notum hoc de poëtis:

*Scriptorum chorus omnis amat nemus, & fugit urbes.*

Atque hae quidem secessiones vates magis reddunt opportunos ad afflatum aethereum recipiendum,

*— alterius nam  
Altera poscit opem res, & conjurat amice.*

Sed

Sed quod mireris , inter arma Musae Lotichianae etiam non siluerunt , inter ignes & ferra aurea carmina condidit , similiter ac hodie alter Lotichius Janus Broukhufius , & quondam Sophocles , Aeschylus , Pericles , Agalmus , Ronsardus , Bartassius . Nec etiamnum cessat Lotichius pro patriae gloria fortiter decertare . Sane enim insigne decus germanorum ac immortale nomen Lotichius est , quem vel solum in aciem educere possumus contra invidas & Germanis non satis aequas gentes , quibus omnibus vel palmam praeripiet , vel certe nihil cedit . Vere ὁ πᾶν Morhofius Polyh. Lib. I. cap. 19. rerum poëticarum apprime , si quis alius , consultus , *Phoenicem Poëtarum Germaniae* nuncupat Lotichium , omnibus exteris si non superiorem , certe aequalem . *Mira* , inquit , *in illo suavis & concinnitas carminis , & vix imitabilis , ut mihi superare interdum ipsum Ovidium , ac Virgilianam in Eclogis suavitatem unus exprimere videatur .* Quae cum ita sint , parum aeque Bailletus T. I. des prej. des nat. ch. 7. §. 6. p. 276. cum Itali nescio cujus iudicium attulisset , qui calumniatur , *que les Allemans ont l'esprit , non pas dans la cervelle comme les autres hommes , mais sur le dos ; & que Minerve avoit ses Mulets dans les Ecoles & les Academies de ce pais , comme la ville de Rome avoit autrefois entretenu les Mulets de Marius dans ses armées* , ei subscribit , dum ita pergit : *on ne doit donc pas s'étonner de ne point trouver dans les ouvrages en vers que les Allemans ont produits ce génie beureux de la poésie que l'on admire dans les Italiens modernes & dans les anciens Grecs & Romains .* Perinde quasi Lotichius , ut hunc unum omnibus opponamus , hodiernis Italis cederet , qui cum Romanis ipsis Nasone & Virgilio de palma contendit . Quam vellem hic a via aberrare ! sed forte plus satis jam aberravi , veniam tamen merebor , cum de vate hoc multi minus dixerint , nimium autem dici nequeat . Omnino enim cum de Petro Lotichio loquendum est , moderari orationi meae neque volo , neque possum , neque debeo , ut illud Mureti de Manutio pronuntiatum usurpem , Lib. I. Var. Lect. cap. 6.





E J U S D E M  
SEBASTIANI KORTHOLTI  
DISQUISITIO

UTRUM PETRUS LOTICHIVS SECUNDVS OBSIDIO-  
NEM VRBIS MAGDEBURGENSIS PRAEDIXERIT.

Edita Kiloni MDCCIII.

§. I.

**P**ervenit proxime ad manus meas altera editio Operis Historici & Critici, quod orbi literato nuper exhibuit Petrus Bayle (a) celeberrimus Polyhistor. Inter legendum deprehendi illatam passim mentionem mearum Dissertationum ac literarum, quas dare subinde soleo ad Cl. Virum, quod mihi ejusmodi benevolentiae suae praedes atque indices inter labores inexhaustos saepissime transmittat. Inprimis autem oculos meos morabatur articulus de Petro Lotichio Secundo, in quo auctor pluribus disquirat, utrum hic poeta libri secundi elegia quarta ad Joach. Camerarium Pabenbergens. praedixerit obsidionem urbis Magdeburgensis. (b) Affirmarat ille in priori libri memorati editione, Lotichium, secus ac illustris Morhofius existimavit, fortasse verba facere, de obsidione quam poeta superstita passa est anno 1550. & 1551. non autem de alia qua Tillius & Pappenheimius eandem anno 1631. cinxerunt. Hoc cum perinde atque illud quod de somnio plane conficto profert minus consentaneum videretur, super hac re cum Clarissimo Viro per literas collocutus, & sententiam, quam tuitus eram anno 1696. in Dissertatione de Enthusiasmo Poëtico, rationibus nonnullis breviter prolatis stabilire conatus sum. Ad quas cum respondeat in posteriori editione Thesauri Critici, inque re non satis perspicua conjecturas suas se proferre haut inficietur; ego vero habeam adhuc quaedam dicere de Lotichio, res haec idonea visa est, de qua modo singulari dissertatione pluribus quaeramus.

§. II. Meretur sane id virtus  
*Lotichii vatis, cui si data vita fuisset,  
Vidissent similem tempora nulla virum.*

Ut vere canit (c) Stephanus Feirabent Jurisconsultus, cujus opus Polyhistoricon poëticum de *Quiete omnibus rebus pergrata* resuscitatum est auspiciis Sereniss. Principis ac Domini Dn. Rudolphi Augusti, Brunsvicens. ac Luneb. Ducis, qui seculi nostri & Augustus & Maecenas illo aequè ac aliis

(a) Dictionaire Histor. & Critique par Mr. Bayle, à Rotterd. 1702. 3 Voll. fol.

(b) Diction. par Mr. Bayle, à Rott. 1697. T. II. p. 387. fol.

(c) Steph. Feirabent de Feirabetho Helm. 1696. pag. 262.

alijs libris, suis auspicijs publicatis, ante aliquot annos me coram clementissime locupletavit. Non secus de Lotichio judicavit Daniel Heinſius (d), poëtarum Belgicorum ſui temporis praeſtantiffimus. Nam libri ſecundi elegia octava ad Frid. Taubmannum ita canit:

*Hoc nullum majus gens tua nomen habet.  
Non negat hoc Naſo, lateri cui proximus haeret &c.*

Eadem fuit ſententia Martini Opitii a Beberfeld (e), Vatum Germanicorum principis, qui in ſermone Teutonico praefixo laudibus vitae ruſticae, noſtrum omnium Alemanniae Poëtarum ducem pro merito ſuo nuncupavit. In eodem Daniel Georgius Morhofius (f) Vatum Germaniae, judice Menagio, maximus, ſuavitatem concinnitatemque carminis miram & vix imitabilem deprehendit, ita, ut ipſi ſuperare interdum ipſum Ovidium, ac Virgilianam in eclogis ſuavitatem unus exprimere videatur. „ Et alibi (g), „ Elegiacos, (inquit) inter recentiores poëtas merito ornat primo loco, „ Lotichius incomparabiliter ſuavis Poëta, quem Germanum omnibus exteris opponere poſſumus non negantibus ipſis Batavis neque Rapino (h). Cujus judicii non meminiffe Bailletum in opere de poëtis miror, quod, judice Jo. Drydenio (i) Criticorum & Poëtarum Angliae praecellentiffimo, Rex Galliae poëtarum Rapinus Ariſtarchus ſit tam exactus, ut ſi vel maxime reliqui omnes deperderentur, damnum unus reſarcire poſſit. Omitto nunc alia de Lotichio Grammaticorum a me obſervata judicia, quod Parrhaſianorum Scriptor perperam tueatur (k), neminem rectius Grammaticis de Poëtis exiſtimare, licet ipſi non ſint poëtae. Quam ſententiam alibi contundam & probatum dabo, non niſi optimorum Poëtarum eſſe de Poëtis perfecte judicare. Quorum de Lotichio teſtimonia hoc loco colligere nihil itidem attinet, cum animus non ſit declarare Lotichium excellentiffimum Poëtam, ſed Vatem dici haut immerito poſſe.

§. III. Propius ſiquidem vero nobis videtur, non praefentem obſidionem illum deſcripiſſe, ſed de futura oppugnatione praecinuiſſe, adeoque Vatem fuiſſe. Nam Elegiae Camerario inſcriptae initium hoc eſt:

*Si vacat arcanis aures praebere querelis.*

Quod anno poſt expugnationem Magdeburgi (l) primo M. Matthaecus Lungwitiuſ Elegiam germanice vertendo ita expoſuit:

*Wenn dir / o mehrter Freund / vergönt iſt anzuhören  
Ein ſehr heimliche Klage von bitter Angst und Zehren etc.*

Per-

(d) Heinſ. pag. 169.

(e) Opitz. pag. 153. edit. 1690.

(f) Morh. Polyhiſt. lib. I. c. 19. pag. 225.

(g) Morh. Polyhiſt. Miſc. cap. 118.

(h) Rap. reſ. ſuſſa poët. en partic. p. 206.

(i) Dryden. in his Apology for the ſc. poetry conſ. remarks upon poetry by ſir T. P. Blount. p. 186.

(k) Parrhaſiana T. I. p. 53. edit. Amſt.

(l) Vid. Joſua Rediv. cap. 31. p. 196.

Perlegatur totum carmen, in cuius parte extrema diserte scribit:

*Haec tibi cui casus fas est aperire futuros  
Carminibus volui non reticere meis.*

Quid quod anno 1551. Parthenopolis: (m)

*Mediis in millibus ardens  
Bellatrix, audensque viris concurrere virgo.*

Armata manu neutiquam expugnata atque incensa, sed exercitui Caesareo Mauritioque Duci inito foedere mense Novembr. concessa sit; (n) unde multorum sermonibus usurpatum verbum fuit: *Magdeburgum virgo mansit*; item illud: *Metz und Magd haben dem Keyser den kantz versagt*. Eodem respexit Jo. Sturmius cum de hac Parthenopoli scribit:

*Salva pudicitia est: nominor Andropolis.*

Quomodo autem in pacificationem istam quadrant haec deae tutelaris verba, quam poetarum more loquentem Lotichius introducit:

*Haec oculi quaecumque vident, cinis omnia fient,  
Utraque dicetur flebile ripa solum.  
Ergo dies veniet qua moenia nulla tuebor,  
Parvaque restabit nominis umbra mei.  
Quaque fuit murus terram proscindet arator,  
Urbsque sub bis, dicet, moenibus alta fuit.  
Quid gravius, victore Geta, miseranda tulissem,  
Caesare quam magno bella gerente fero? &c.*

Quos aliosque ejusdem elegiae versus accommodatius usurpabis de crudeli Magdeburgi excidio, cuius suburbii cum ab ipsis civibus pertinacius se defendentibus ignis injectus esset, Pappenheimius consilia animosque incolarum obstinatos fracturus dirutis munimentis ipsius urbis aedibus intulit flammam, quas subito exortus turbo longe lateque dissipavit. „Tum vero, inquit Pufendorfius (o), nullum crudelitatis ac libidinis genus ab efferati militis rabie omissum”. Contigit hoc mense Majo, quo animum intendisse vates videri potest, cum canit:

*Nec lego purpureos in ferta recentia flores;  
Non mihi flos pratis mollibus ullus biat.*

Ut taceam occasionem cladis Magdeburgicae vatem his versibus innuisse:

*Hic pietatis bonos? ea libertatis amatae?  
Gratia? quid fieret, si scelus ausa forem?*

Nimi-

(m) Vid. praeter Hortled. Schardius Redivivus T. II. p. 518. seq.

(n) David Chytraeus Saxon. lib. 17. p. 442.

(o) Pufendorf. lib. III. Rer. Succ. ad ann. 1631. pag. 46. 47.

Nimirum cum Christianus Wilhelmus Marchio Brandenburgicus (p), Praefatus Magdeburgici Administrator a Caesare ditione (quae conferebatur in filium Caesaris Leopoldum Wilhelmum) exueretur, indeque per Praefulatum & Magdeburgi inciperent ritus Pontificii introduci, non poterant non & pietatis & libertatis habere rationem Magdeburgenses, quorum animi valde irritabantur, eaque voluntatum inclinatio erigebat Administratorem, ut supplicas rogaret Gustavum Sueciae R. qui moram interponebat easdemque Saxonem adversus Caesarem frustra poscebat; in quas tergiversationes conveniunt hi versus elegi:

*Quid faciam? qua spe nitar? quo lumina flectam?  
Unde petam fessis perdita rebus opem?*

§. IV. Quod quia Cl. Bayle probe pensitavit, id causae fuisse asseverat, cur Poëta elegiarum libro a se edito 1551. (de quo mox §. VI. pluribus dicemus) illam de vastatione & incendio Magdeburgi inserere haud potuerit. Opinatur autem urbis illius conservationem non obstitisse, quo minus eandem sollicitate conservavit, cum Poëtis innatus sui ipsius amor & studium anxie fovendi ingenii sui, quos haud degeneres judicant, foetus, quamlibet occasio cui conveniebant prorsus immutetur; id firmat exemplo Menagii, qui cum ex vano rumor esset peripneumonia decessisse Petrum Cornelium, epicedium composuerit, quod eodem superstite una cum aliis carminibus emisit foras, licet auctorem false perstringeret Cotinus, & occisum a Menagio Cornelium affirmaret, ut locos ostentaret communes; quibus tamen jocos distiterisve Cl. Bayle merito derogat fidem, quod utique persuasum habeat de obitu celeberrimi vatis Menagio reapse fuisse nunciatum. Illi vero publicationem epicedii forte placuisse quispiam dixerit, ut & orbi erudito, & ipsi inprimis Cornelio manifestaret, quanti eum faceret. Hujus enim praeconiis redundat elegia Menagiana. Haec ego non dico, ut negare velim philautiae obnoxium Menagium fuisse, quod crimen cum a Bailletto (r) ipsi exprobraretur, tuitus est, non solum licitum, verum etiam decorum esse poëtam se laudare. Lotichium vero acque ambiciosum non fuisse & vita & modesta scripta testificantur. Nam in elegia prima editionis primae (quae in nulla editionum Camerarii & nequidem inter juvenilia Lotichii carmina ab Hagio sine delectu edita comparet) ad Dan. Scibarum Equitem Francum elegos suos fingit ita loqui: (†. 15.)

*Pars quoque de nobis flammis immitibus arsit,  
Ne foret auctori perniciofa suo.  
Ille tamen precibus nostris & tempore victus,  
I, bene quod vertat, flebile, dixit, opus.  
Sed neque bis tinctas concha Sidonide vestes,  
Nec gere compositis myrtea ferta comis.  
Vade sine invidia velisque minoribus uti  
Sis memor, antennas fert levis aura tuas. &c.*

S s

Et

(p) Id. p. 43. f.

(q) p. 1871 edit. 2 d.

(r) v. praefatio Anti-Bailleti.

Et elegia undecima libri primi edit. Camerarii parum se labores suos curasse significat his verbis:

*Deque tot amissis etiam nunc pauca supersunt  
Carmina, militiae tempore facta meae.*

Id quod facile crediderim. Certe epithalamium quod §. hujus differt. VII. laudat Afclepius nusquam offendo.

§. V. Verum enim vero ulterius mihi opponit Cl. Bayle \*, poëtarum esse nullo auctore comminisci materiam versuum & naufragia non visa quaeque nunquam contigerunt, atque pro lubitu confingere circumstantias temporis & loci. Idem usu venire cum de oppugnationibus urbium differant, quod in argumento hoc vires ingenii feliciter declarare possint. Denique sermonem de somno Lotichiano ita finit†, ut non commutasse sententiam priorem aut se retexuisse videatur. Nimirum in additionibus & correctionibus editionis primae operis Critici § affirmaverat Lotichium animi tantum gratia Magdeburgi obsidionem excogitasse, nec verum sed omnino confictum somnium numeris poëticis illigavisse. At enim vero tantum sibi non sumunt vatium praecipui, quantum quidam perperam opinantur, nihilque caussae est Parrhasianorum (s) scriptori, cur Poëtas mendaces, mendacium privilegium poëticum, & poëma opus mendacis, quod de chimaeris differat, mendose appellet. Aliter procul dubio sentit doctissimus Bayle (t), cujus tamen opinione de somnio Lotichio conficto non possum accedere, quod repugnent circumstantiae, quas vates attingit, & nemo praeter Dominum Bayle, qui ipse dictam elegiam Camerario inscriptam consuluit, unquam statuerit, eam solius ingenii lusum & commentum dici merito posse. Morhofius (v) sancti rei poëticae acerrimus censor ubi de Johannis (Petri imprimi oportuit) Lotichii Secundi vita per Jo. Hagium scripta agit. „ Illud, „ (inquit) singulare in hoc viro & propemodum divinum est, ac plusquam „ poëticum ἐνδυσιασµὸν arguit, quod in Eleg. 4. l. 2. ad Joach. Camerarium „ scripta, tristissima obsidionis & expugnationis Magdeburgensis fata inter „ gro seculo praedixerit, res omnino notatu digna, ac elegia illa puicher- „ rima

(s) Parrhasiana p. 1. 35. 67. edit. Amstel.

(t) Conf. quae diff. hujus §. IV. de Menagii epleedio ipse Bayle judicat.

(v) Morh. Polyb. l. 1. c. 19. p. 226.

\* Ejus verba sunt p. 1871. edit. 2dae: *Nous ne laisserons pas de pouvoir dire en second lieu, que le songe de l'auteur n'est pas extraordinaire. Il faut se souvenir d'une chose qui ne peut pas être revoué en doute; c'est que les poëtes travaillent souvent sur des sujets de pure invention. Ils décrivent des naufrages qu'ils n'ont point vus, & qui n'ont jamais existé: ils en forgent, comme bon leur semble, le tems & le lieu, les suites & les accidens. Ils font le même à l'égard des prises de ville. Ce sont des matières sur quoi leur talent se peut exercer avec avantage. &c.*

† L. e. *Que par un pur jeu d'esprit un poëte fasse aujourd'hui une elegie toute semblable à celle de Lotichius, il pourra fort bien arriver qu'au bout de 80. ans la même ville, que de gaieté de coeur il aura voulu désigner, sera bombardée & exterminée.*

§. T. II. pag. 1326. haec leguntur verba: *Après avoir bien examiné tout ceci, je trouve plus vraisemblable de dire qu'il ne songea point ce qu'il raconta, mais qu'à l'exemple de plusieurs poëtes il seignit qu'il avoit songé ces choses.*

„ rima est. Haec ille aurea carmina, quod mireris, inter armorum strepitus ipse miles scribebat.” Praeter Morhofium omnes eruditi, quibuscum mihi sermo fuit de somnio Lotichiano, vaticinantem poetam excidium illud fatale prodidisse judicarunt. Sed & ipse Bayle in posteriori laudatissimi operis editione alicubi vacillat, & veridicit simile, dum Magdeburgem anno 1550. obsidione premeretur, Lotichium dormientem animo vidisse ejusdem expugnationem quam forte postridie ejus diei versibus depinxerit suis\*.

§. VI. Memini autem viro doctissimo publicato primum libro illo Historico & Critico me objicere, tum temporis Lotichium, qui lucem adspexit mense Novembr. 1528. admodum juvenem nec satis idoneum fuisse ad pandendam ejusmodi elegiam omnibus numeris absolutam. Eadem occasione indicavi editionem carminum Lotichii, quam Camerarius anno 1561. vitam defuncto auctore publici juris fecit, non esse omnium primam, quod Dominus Bayle putarat, sed me manibus terere multo rariorem, quam ipse scriptor luci exposuerit cum illa etiamnum frueretur, & ita inscripserit: „ P. LOTICHII SECUNDI ELEGiarum LIBER. Ejusdem Carminum „ libellus ad D. Daniele Stibarum Equitem Francum. LUTETIAE ex „ officina Vaseosani, via Jacobaea. M. D. LI. 8<sup>vo</sup>. Addidi epistolam dedicatorem ad D. Stibarum datam esse Lutetiae Parisiorum Idibus Februarii anno Christi 1551. aetatis Lotichii XXII. (w) non autem anno 1552. ut conjectura velie colligere videtur. Constat haec editio paginis minime multis, & si paucos versus excipias, elegias decem tantummodo, nec cultissimam illam de obsidione Magdeburgensi complectitur, satisque manifestat aetatem Lotichii juvenilem. Nam conferendo modo dictam Parisiensem cum editione Camerarii deprehendi illam cum hac conferri non posse. Nimirum integras elegias ita immutavit, ut omnino aliae videri queant, & quem prior editio mediocre, altera probat incomparabilem poetam. Id quod productis in medium exemplis Domino Bayle pluribus exposui. Sufficiat hoc loco addere unicum, cujus copiam eidem nondum feci. Legitur illud elegia quarta ad Jo. Altum, cujus amicitiam his celebrat modis:

*Cum quo vel Scythicas ausim lustrare paludes,  
Ire pharetratos ulteriusque Getas.  
Turbidus & quamvis nimis Aquilonibus aër,  
Et quamvis rigido terra sit alba gelu.  
Sed praebente novo crudeles hoste tumultus,  
Quo cuperem tecum non licet ire mihi.  
Vicinaeque fremunt variis assensibus urbes,  
Nec satis exactum est, quid magis esse velint. &c.*

Ss 2

Hi

(w) Conf. Petri Lotichii Abbatis epistolas editas Marpurg. pag. 177.

\* Auctoris verba pag. 1871 haec sunt: *Il est vraisemblable que pendant le siege de Magdebourg Lotichius fit un songe qui lui representa le saccagement de cette ville, & qu'en consequence de cette vision, il se mit a faire des vers ou le lendemain, ou fort peu de jours après &c.*

Hi elegi aliter ita leguntur:

*Sed tibi perque nives perque auctas praevious amnes  
Ventos despicerem, despiceremque gelu.  
Sed Ducis imperium retinet, nec relinquere signa  
Aspera militiae jura fidesque sinunt.  
Ipse suos poscens hostes in praelia Caesar  
Fulminat, & campos alite quassat equo.  
Ambiguisque fremunt magnae rumoribus urbes,  
Spumifer indomita quas premit Albis aqua.*

Quinam ex his elegis anteferendi sint, quilibet lector haut difficulter inter-  
noscet. Subnectere illis bene multos possem, si quam facile tam necessa-  
rium esset.

§. VII. Equidem non negaverim Lotichio inter praecocia ingenia locum  
deberi. Etenim valde juvenem poemata se composuisse docet, dum elegos  
ita loquentes introducit: lib. 1. eleg. 1. fol. 4. edit. 1551.

*Ter canis Erigones caluit fervoribus aër,  
Falciferae messem fer secuire manus:  
Ex quo finitimi Boreae sub cardine mundi  
Compositi lituos inter & arma sumus.*

Idem elegia octava haec habet: ibid. fol. 16.

*Nunc agor insanis violenti Martis in armis,  
Vix numerans vitae bis duo lustra meae.*

Nicolaus item Asclepius Academiae Marpurgensis Professor in Epistola  
xv. Kl. Aug. anni MDXLV. data ad Petrum Lotichium Abbatem (x), „ Misisti  
„ (inquit) inter alios ad nos Nepotem tuum Petrum Lotichium Secundum,  
„ adolescentem egregium, qui ad carmen natus, naturae conjunxit indu-  
„ striam. Nec dubito quin mediocres poëtas, ita jam, vix annorum xlii.  
„ (duodeviginti) aequet, ut mox sit cum summis regnaturus. Nihil in  
„ illo submissum, nihil non generosum, nihil non sublime & arduum. Qui  
„ qualis sit in me & meos, nempe generum meum egregium juvenem Jo.  
„ Penterum, Caroloftadiensem, Jo. Draconitis Theologi summi Nepotem,  
„ & erga filiam meam Elisabetham illi desponsatam Epithalamium ab illo  
„ erudite & docte conscriptum brevi tempore indicabit.” Ut nihil jam  
dicam de testimonio Jo. Hagii (y) qui poëtae nostri vitam contexit, &  
cum exposuisset eum tantum non semper & vel in somnis deprehensum ver-  
sus modulari, & vatem non factum sed natum esse, addit eundem admo-  
dum puerum ac per aetatem vix proferentem verba puerilia in agris & syl-  
vis cantasse nescio quae Pastoralia, ac Sylvestria numina, & jam veluti  
Maronaeas eclogas tenui avena meditatam esse. Ejusmodi plura forte nunc  
pro-

(x) v. Epistolas Petri Lotichii Abbatis editas a Jo. Petro Lotichio D. Med. Mar-  
purgi 1640. pag. 104.

(y) Hagius in vita Lotichii edita 1586. pag. 419.

proferre possem, si ad manus esset vita Petri Lotichii Secundi cura Simonis Sthenii Lombacenſis, in Academia Heidelbergensi Hiſtor. & Poëtices Profeſſoris publici, quondam conſignata, cujus mentio in epiſtolis Petri Lotichii Abbatis (z) occurrit; aut ejusdem Poëtae vita quae induſtriam J. B. (Jani Broukhufii) Poëtae toto orbe celeberrimi & praela propediem exercebit. Nemo tamen (ſat ſcio) aut defendit aut tuebitur Petrum Lotichium anno 1551. quo obſidione cingebatur Magdeburgum, virtute poëtica nulli Germanorum Secundum fuiſſe, qualem eum probat elegia de Obſid. urbis Magdeburgenſis.

§. IIX. Videlicet antequam Dominus Bayle (a) foras emiſſiſſet primam Operis Critici editionem, obſervavi, quod ille merito contendit, injuſtam videri Morhofii (b) querelam, cum, „ fuit (inquit) Phoenix poëtarum „ Germaniae Lotichius, omnibus exteris ſi non ſuperior, certe aequalis. „ Hujus tamen vel iſſis Germanis (c) pacne ignotum nomen eſt: exteri nullam ejus mentionem faciunt. J. C. Scaliger cum cenſuram Poëtarum Germanorum inſtituit in Hypercritico ſuo, ne verbulum quidem de hoc noſtro, qui tamen omnibus ceteris erat anteferendus. ” Nec enim adeo perfectæ & celebrata erat poëſis Lotichii, cum libros ſuos poëticos Scaliger contexeret. Meliori autem jure, quod obiter addere liceat, Morhofius queri poterat de Thuano (d), quod is minus praeclare ſentiat de Lotichio a Camerario publicato, quem poſt H. Eobanum locavit poëta aliquin elegans & haud imperitus Ariſtarchus. Cujus veſtigiiſ dum fortaiſſis inſtitit Olaus Borrichius, Danorum Ariſtarchus, eadem via aberravit (e). Cum enim Helio Eob Heſſio Germaniam in poëtis nihil ſuavius venuſtiuſque tuliſſe, cumque Ovidium Teutonicum dixiſſet, de Lotichio, quem Naſonem Alemannicum (f) verius appellaveris, illius ſe elegiarum libros iv. & carminum libros ii legere ait, & lectione recreari, nec in eclogis ejusdem epicis quicquam adeo deſiderare. Dicerem & Thuano & Borrichio ante oculos fuiſſe primam editionem carminum Lotichii, quam conſulere etiam poterat Scaliger, niſi contrarium eorum ſcripta loquerentur.

§. IX. Ex diſtis patet notabile me ſtatuerè diſcrimen inter editionem primam, quae prodiit anno 1551 quo Magdeburgum obſidionem patiebat, & reliquas, quae auctore vita ſuncto lucem adſpexere. Agnovit id ipſum quoque Cl. Bayle: quo circa perſuaſum habet, tribus vel quatuor poſt modo memoratam oppugnationem annis circumactis, Lotichium eodem ſomnio, quod tanquam myſterium forte tenuerit, iterum ſtimulatum, carmen ſuum recognoviſſe, politiſque limiſſe & ampliſſe; quanquam cauſſae nihil ſit, cur ſupernaturale & propheticum illud judicare debuerit.

S s 3

(z) Vid. epiſtolae ſupra citatae pag. 10.

(a) Vid. diſſ. mea de Enthuf. poët. edita 1699. pag. 92.

(b) Diſt. Hiſt. T. II. p. 388.

(c) Morhof. Polyhiſt. l. i. cap. 19. p. 225.

(d) Thuan. lib. Hiſt. 26. ad ann. 1560. p. 810.

(e) Borr. diſſ. 4. de poët. p. 128. 129.

(f) Id. ib. pag. 132.



rit. &c. \* At vero de duplici poëtae somnio nondum satis constat, quod illius scripta nihil ejusmodi testificentur, adeoque minus exploratum habemus, utrum, quod Cl. Bayle conjicit, elegia Lotichiana scripta anno 1551. ac emendata sit anno 1553. vel 1554. Quaeris igitur, qua tempestate fatale illud incendium praecinuerit vates? Morhofius Magdeburgensium (g) clades integro eum saeculo praedixisse affirmat. Quia vero Lotichius ciii. annos ante expugnationem Magdeburgicam lucem adspexit, efficeretur puerum triennem elegiam contexuisse, si recte calculum pono. Natus siquidem poëta est anno 1528. Magdeburgum autem tristissimam calamitatem suam subiit 1631. ut supra exposuimus. Fallitur itaque Morhofius aequae ac ante illum Petrus Baptista Burgus Genuensis (b), qui in Commentariis de Bello Suecico editis Leodii 1639. „ Sic, (inquit) Magdeburgum cecidit, libera Germaniae civitas ad Albim sita, antiquissima nobilissimaque, „ cujus excidium ducentis fere abhinc annis indigena vates elegiaco carmine eleganter deflevit. ” Fac autem Lotichium Magdeburgi interitum divinasse anno qui ipsi mortem attulit 1560. (die septimo, non primo, Novembr. ut contra Thuanum in diss. de Enthuf. poët. observavi) ita conficitur vatem minimum lxxi. annis illum praesignificavisse. Non aliter computat Scriptor Theatri Europaei (i), ubi collegit praesensiones, quae Magdeburgi expugnationem denunciarunt. Quibus junges Germanicum Christiani Scriverii (k) librum de ove omissa recuperataque, ubi relatum leges daemonem per mulierem *δαυμονιζομένην* Magdeburgi obsidionem 15. vel 16. annis praedixisse.

§. X. Atque haec nostra de somnio Lotichiano a conjecturis Domini Bayle nonnihil discrepans opinio est. Sentio nunc aliis non parum multis occurrendum esse, qui faciunt cum Antonio van Dale (l) perperam contendente (quod omnium primum se publice tueri non negat) nihil praeter fraudes praestigiasque humanas locum habuisse in oraculis versibus in delubris fatidicis per Pythias aliosve Prophetas editis, & prorsus nihil praedictum a paganis esse, ad quae mens humana pertingere nequeat; ac Lotichianam quoque & alias id generis praesensiones tantum non omnes in minimis ponunt. Videlicet, si unquam alias, certe hac tempestate scriptoribus non parum multis novitate nihil prius & antiquius est, & quondam ab omni vetustate accepta nunc proscripta sunt, nec fidem sicuti apud priscos ita & nunc inveniunt.

(g) Vid. §. V. hujus diss. p. 13.

(b) Burgus lib. II. pag. 199.

(i) Theatr. Europ. Part. II. ad ann. 1631. pag. 361.

(k) Scriv. conc. I. pag. 276. 278.

(l) Van Dale dissert. de orac. ethn. pag. 225.

\* Ejus verba sunt pag. 1871. edit. 2dae : *L'on peut supposer qu'au bout de trois ou quatre ans le meme songe revint — — Et ainsi la vue du saccagement de Magdebourg se renouvela. Lotichius la jugeant peut-etre mysterieuse retourna ses vers, les amplifia, & les mit dans l'état ou le public les a vus. Je ne sçai point s'il craignit pour Magdebourg que ce nouveau songe ne fut prophetique & surnaturel; mais il ne me semble pas qu'il l'ait du croire non plus que la premiere fois, ou selon le train ordinaire des songes il pouvoit rever l'incendie d'une ville que l'on assiegeois actuellement.*

veniunt. Id circo Petrus Petitus (m) Philosophus Gallus temeritatem eorum qui sine ratione & discrimine pertinaces ad negandum atque irridendum quaecunque de praesagitionibus apud veteres & recentes scriptores prodita memoriae sunt, merito atque optimo jure coarguit, obstinatisque ejusmodi ob oculos ponit quae Paulus Jovius (n) de Bartholomaei Coclitis Vaticiniis nos docet: „ Extat (inquit) de his praeclarae ac admirabilis fidei Catalogus ipsius Coclitis manu perscriptus, de iis, quibus varia violentae mortis pericula denunciavit, exactissimo post ejus interitum Fortunae obsequentis eventu comprobatus. Quo fit, ut me quoque inveteratae exercitationis in hac luce Romana non facile credulum senem, in sententiam adducat ipse exactae aetatis, & integri judicii Lucas Gauricus; quum ingenue fateatur, se a Coclite severe amiceque admonitum, ut violenti cruciatus causas effugeret — — A Johanne enim Bentivolo arreptus, & ex praecalta trochlea suspensio fune quinquies quassatus, ideo poenas dederat, quod excessurum patria & dominatu in ejus anni prognostico, praenuntiasset. ” Nimirum & Gauricus inclytus fuit vates: qui de Henrici II. Gall. R. obitu interrogatus, respondit: fore ut in singulari certamine vulneratus periret; quod evenit cum quodam aulicorum ludicra pugna decertaturo. Taceo nuper Vatem Anglicum in fastis sub initium anni praecedentis 1702. publicatis videri posse designavisse mortem Sereniss. Principis nostri acie prope Cracoviam ictu tormenti Polonici die XIX. Julii ejusdem anni (pro dolor!) interempti, dum eidem dici hosce versus adscripsit.

*Postillon bringt schlechte Post /  
Der Prinz hat einen Schuss gefasst.*

§. XI. Etenim quia nimis generale hoc prognosticon est, praestat incredulis objicere, quae Michael Nostradamus non indistincte, sed enucleate appositisque circumstantiis & nominibus nonnullorum, per quos praedictorum eventuum rationes expediuntur, praesignificavit. Scriptor siquidem Apologiae Nostradami probat ab hoc vate interfectorem Henrici III. Clementem, & Ducis Momorancii carnificem Clerepegne, compluresque alios (quorum nomina capite quarto \* exhibet) recte appellatos fuisse. Idem Londinense incendium, perinde ut Magdeburgense Lotichius, verbis praenuntiavit editis 1556. itemque Caroli Stuarti occisionem hoc carmine innuit:

*Senat de Londres (o) mettront a mort leur Roy.*

Ut silentio nunc praetervoham quae de nuptiis Henrici M. & Mariae de Medicis, deque Portugalliae rei commutationibus aliisque praeliis & rebus  
maximi

(m) Petit. de Sibylla lib. III. c. 10. p. 346. 347.

(n) Jovius in Elog. doct. vir. n. 53. p. 126. 127.

(o) Nostrad. cent. IX. Quatr. 49. pag. 106.

\* Vid. The true prophecies or prognostications of Michel Nostradamus Physician to Henry II. Francis II. and Charles IX. Kings of France &c. a work full of curiosity and learnino commented by Theophilus de Garencieres, Doctor in Physic. Coll. Lond. 1672. fol.

maximi momenti praecinuit \*, quaeque valde inclytus poëta Jo. Auratus expositionum suarum luce ad hominum intelligentiam excitavit.

§. XII. Tacitus autem praeterire nequeo, cum disseram de incendio urbis in quiete viso, pie defuncti Parentis mei somnium de incendio Rostochiensis, quod incidit, cum pleraque nostra, ob bella, quae hñc in Holsatia timebantur, Avus meus Rostochii asservaret. Tum temporis vidit Pater civitatem inflammata, cui inscripta fuere haec verba: *Manus Domini Proteget Te!* quae simul atque clare pronunciavit, somnus intermittere coepit. Id quod non solum plurimis convictoribus ante plures annos saepe numero, & paucis ante obitum diebus exposuit Pater, sed etiam Domino Magistro Matthiae Lobetantzio Pastori Femariensi primario, datis ad eum literis, hisce verbis enarravit: „ Rostochiensēs quam dura sint nuper experti, plus satis „ constat. Ea calamitas omnes afflixit, quos plures ibi habeo, affines meos. „ Grassata est flamma ad vicinas usque aedes Domini Soceri mei; quibus „ tamen pepercit benigna Dei manus; idque juxta somnium quod paucis „ ante hebdomadibus somniabam Nempe videbar mihi videre circa horam matutinam quintam B. Dn. D. Mullerum Professorem & Superintend. „ Rostochiensem, librum ostendentem apertum (instar Philothecii) in cujus „ pagina aliqua depicta erat urbs coloris plane ignei, super qua brachium „ extensum manu tenebat virgam inhibitam ab Angelo ex adverso stante, „ addita hac inscriptione, verbis latinis, literisque majusculis: MANUS „ DOMINI PROTEGET TE! Quae verba ubi legissem, & simul recitasssem, evigilavi, & Uxori, quod accidisset, narravi, moxque amicis etiam aliis Sed desino, utque clementissima Dei dextra & Te cum Tuis „ & nos omnes difficillimis his temporibus protegat, rogo. T. C. KORT- „ HOLT; D. Kilon. VII. Septembr. 1677.

§. XIII. Venit idem mihi agenti de obsidione Magdeburgi a Lotichio dormiente provisa in mentem somnii admodum memorabilis nec literis etiamnum proditi, quod aliquando mihi coram exposuit summus omnium literarum Maecenas, Vir Perillustris atque Excellentissimus Dominus Magnus de Wedderkop, Consilii Intimi Praeses & provincialis Consiliarius. Is cum paci Neomagi stabiliendae anno 1679. interesset, ab illustriss. Comite Bent. Oxenstirnio coram accepit, illum Thorunii anno 1659. agentem aequae ac Comitum Magnum de la Garde III. Non. Nov. ipsa noctu de somno excitatum esse a domestico quodam, cui Georgio Lubomirschio (hujus maximae existimationis viri multam mentionem, nullam autem hujus historiae, facit Pufendorfius (p) in Commentariis de rebus Brandenburgicis) nomen erat, qui pro certo affirmavit, Stetini obsidionem modo solvi, atque a Suchio & milite Brandenburgico prorsus liberari. Cum de veritate

(p) De Lubomirschio v. Pufend. lib. 7. p. 396. & lib. 9. p. 549. de obsid. Stetini v. ej. Lib. 8. p. 486. 487.

\* Vid. *Les Prayes centuries & propheties de Maitre M. Nostradamus corrigees suivant les premieres editions imprimees en Avignon en l'an 1556. & à Lyon en l'an 1558. à Amst. 1668.* 12.

veritae hujus praefagitionis eventus & literae, quas post plures dies Comites demum acceperunt, dubitare non permetterent, id ipsum domestico suo somnium praefaguisse judicarunt. Postmodum tamen eadem urbs ab Electore Brandenburgico defunctis Pomeraniae Ducibus ultimis anno 1677: expugnata est, quam occupationem Scholae Stetinensis Rector Scabinus sub initium seculi praecedentis his versibus praedixerat:

*DesVnCiIs PatrIbVs, BoreaLIIs, babeLIIs babenas,  
QVas taMen erIplet postea Brenno iVIs.*

§. XIV. Quid dicam de somnio in primis memorando Vatis Julii Caesaris Scaligeri (q) de Benedicto Brugnolo? *Legat totam elegiam, qui volet, & inveniet quod satis mirari non possit*, verba sunt Scaligeri (r) filii, ubi firmat quae carmine exposuerat pater, finito Heroum opere somnium Parentem in aedem Mariae antiquae Veronensis intulisse, ubi nomen suum inter Heroës non deprehendi questus sit homo procerior & gravis, qui se Benedictum Brugnolum Leniacensem Venetiis diem ultimum obiisse ibique sepultum esse dixerit. Addit experrectum patrem somnium in elegos cultissimos retulisse, quamlibet ignorarit quis esset Brugnolus ille, & quid somnium portenderet. Se quoque de viro nihil quicquam inaudivisse, donec anno 1566. Venetias perrecturus a Mureto hujus somnii prorsus ignaro monitus sit, illic haberi excellentissimi aevo suo grammatici Brugnoli epitaphium. Quod tamen oculis non usurpavit, ut idem alibi nos docet, ubi indicat a fociis itineris Gallis (s) sese impeditum, legi autem Veronae in templo S. Mariae antiquae, quod modo nuncupant: *Tempio di sancta Maria de la Scala*, haec verba monumento Brugnoli (t) inscripta: *Brugnolus maximus jui temporis Grammaticus*. Is egit in Italia, & fratris Ambrosii interpretationem Laërtii lectione revolvit, quam laudat Henricus Stephanus editor Laërtii, & exhibet literas ejusdem Venetiis 1475. exaratas. Nec enim confictum nomen \* Brugnoli aut Scaligeri somnium est. Quod ne quis, perinde ut quidam Lotichianum somnium pro commentitio habere possit, elegiam suam ita inscripsit: *Benedictus Brugnolus. Somnium non fictum, de re tamen penitus ignota mihi*. Quid quod Scaligeri (v) filius mendacium patrem ita averfatum testatur, ut ad ejus mentionem excanduerit, nec cum mendace in gratiam redire potuerit. Quo circa sibi puero aliisque nunquam non inculcarit hoc praeceptum: *Non mentire*. Sed frequenter prodigiosas J. C. Scaligeri ad

T t

mira-

(q) Vid. Jul. Caes. Scalig. poemat. p. 314. 315. edita 1600. & adde Confut. fabulae Burdonian. p. 382. & seqq.

(r) Scal. epist. I. pag. 40. conf. p. 39. & epist. xvii. pag. 94.

(s) Scaligerana edit. T. Fabri pag. 38.

(t) Id. pag. 34.

(v) Jos. Scal. epist. L. I. pag. 39.

\* De Benedicto Brugnolo & celebrato isto Scaligeri patris somnio cum iis, quae hic differit Kortholtus, conferenda sunt Miscellanea Lipsiensia Vol. VI. P. III. pag. 539. ubi tamen huic narrationi fidem suam derogat Cl. Menckenius: & ut commentitium exposcit Illustr. Scip. Maffejus in Verona Illustr. Part. II. lib. III. p. 233. & seqq.

miraculum usque ex somno vaticinationes eidemque emortualem fuisse mens-  
sem Octobris, sicut in ore habuerit, indicavi in diss. de Enthuf. Poëtico  
(w); ubi insomnia plura indico & itidem adversus illos differo, qui cum  
vates eventura providerunt, & acu rem tetigerunt, ob hoc ipsum, quod id  
genus praesentiones rerum eventis certius comprobantur, quam sibi per-  
suadere possunt, inter incredibiles illas recensent, atque in scirpo nodum  
quaerunt. At enim vero uti prudentiae est non temere fidem habere, ita  
imprudentiae & non raro impudentiae est nota temere eandem derogare;  
& ut mea hic faciam Illustris Polyhistoris (x) & Consiliarii Justitiae verba,  
„superstitiosa cautio, si probe inspiciatur, non minori periculo est obnoxia,  
„quam levis ille & temerarius simpliciorum, & fere dixerim, muliebrum  
„animorum assensus.

(w) Diss. de Enthuf. p. 94. f. conf. pag. 88. f.

(x) Jo. Nic. Pechlinus de vita sub aquis cap. x. pag. 129. f.

## CHRISTOPHORI AUGUSTI HEUMANNI

### D I S S E R T A T I O

#### DE SOMNIO POËTICO NON PROPHETICO

### P E T R I L O T I C H I I.

**Q**uod de foeminis Germanos veteres credidisse Tacitus (a) auctor est,  
*in esse iis sanctum aliquid & providum, & plerasque fatidicas esse*, idem  
de poëtis sibi persuaferat olim Romanorum pariter ac Graecorum  
litteratus populus. *Sunt, qui nos numen habere putent*, inquit (b) ille poë-  
tici chori luscinius, Ovidius. Ac ne poëtae de poëtis testimonium suspec-  
tum sit, Cicero (c) locuples testis est, *eruditissimo cuique Romanae pariter  
ac Graecae gentis poëtas creditos fuisse quasi divino quodam spiritu afflari*.  
Superstitio quidem certe haec est, eruditis hominibus parum digna. At  
nec nostra aetas istam omisit superstitionem, sed alit eam totosque libros  
(d) ei fovendae conservandaeque tribuit. Unum jam nominare libet *Casp.*  
*Bar-*

(a) Lib. de mor. Germ. cap. viii. §. 3. & Hist. iv. 61. 4.

(b) Amor. lib. iii. Eleg. 8. v. 18.

(c) Orat. pro Archia cap. viii.

(d) Inspice Disputationem de *Enthufiasmo poëtico*, praefide Henr. Mublio Kilonii  
A. 1696. habitam a Seb. Kortholto; & Petri Petiti libellum de *furore poëtico*, itemque  
Morbosii, Felleri, Borricbii, Merici Casauboni eodem de argumento Dissertationes.

\* Kortholsti Dissertationibus subnectere e re visum fuit iis oppositas Cl. Heumannii  
Observationes. Programmatls forma publice in Academia Gottingana promulgatas de  
hoc somnio Lotichli, maxime quia in notia nostris ad Elegiam ipsam mentionem earum  
facere omisimus. Depromtae sunt ex ejus Poësiles Tom. II. Lib. iii. p. 459-473.

*Bartbium*, qui (e) divinas plane praedictiones tribuit *Hesiodo*, eosque, qui secus sentiunt, sycophantarum loco habere non veretur. Satis quoque constat, quartam *Virgilii* Eclogam compluribus habitam esse pro *Θεοπνεύτω* de nascituro DEI filio praefatio: ut non mirum foret, si eam doctissimus *Fabricius* inferuisset *Codici pseudepigrapho veteris Testamenti*. Ad propiora ut accedam tempora, *Petro Lotichio* ob elegiam de obsidione urbis Magdeburgensis A. 1551. contextam, quae libri secundi quarta est, nec volenti nec speranti contigit, ut a multis nec iis indoctis hominibus pro propheta haberetur, cui excidium Magdeburgi, quod A. 1631. d. x. Maii accidit, integro prope saeculo ante divinitus oblatum. Certe ipso illo *πανελαδπλας* Magdeburgicae anno carmen hoc Lotichianum Germanicam in linguam translatus, Bremaeque pro vaticinio editum fuisse, testatur V. C. *Theodorus*, (f) *Hafaeus*: istiusque versionis auctorem fuisse *Matthaeum Lungwitzium*, docet (g) *Henr. Mublius*, qui & ipse, vel potius Respondens ejus, *Sebastianus Kortboltus*, huic sententiae se praebet (h) subscriptorem, hunc canens (i) in modum:

Quis tibi detexit funestae funera terrae,  
 LOTICHI, quae de virgine nomen habet?  
 Non fuerunt haec fallacis praesagia Phoebi,  
 Non fuerunt astrae somnia bilis opus.  
 Divino vati scire futura licet.  
 Fallimur? an casus aperit DEUS ipse futuros?  
 Hic praesens Numen singula verba docent.

Eadem fuit in sententia *Petrus Baptista* (k) *Burgus*, itemque auctor *Theatri* (l) *Europaei*, praeterea *Zeitlerus* in *Typographia* (m) *Saxoniae*, *Jacobus Fabricius* in *Probatione* (n) *Visionum*, ac recentiori aevo *Morbosius*, cujus haec exstat in *Polybistore* (o) *Literario* sententia: *Illud singulare in Lotichio & propemodum divinum (\*) est, ac plus quam poeticum ενδυσιασµὸν arguit, quod in elegia quarta libri secundi tristissima obsidionis & expugnationis Magdeburgensis fata integro saeculo praedixerit. Morbosii auctoritatem sequitur ac*

T t 2

pro

(e) Lib. II. Advers. cap. 8.

(f) In Biblioth. Theol. Bremensi T. II. p. 217.

(g) Disp. de enthuf. poet. §. 66. p. 91.

(h) Disp. cit. §. 65.

(i) In praefixa Disputationi Elegia v. 35. sqq.

(k) In *Marte Sueco-Germanico* lib. II.

(l) T. II. p. 871.

(m) P. 175.

(n) P. 157. De hoc libro *Fabricii* vid. *Arnoldus Hist. Eccles. P. III. cap. 20*.

(o) Lib. I. cap. 19. §. 40.

(\*) Fata integro saeculo praedicere non est propemodum divinum, sed profus divinum. Et hoc ipsum dicere voluit *Morbosius*, ut sequentia verba declarant. Nam poetico ενδυσιασµὸν opponitur vera *δυσκρινία*, quam non potest non *Lotichio* tribuere, qui priori tribuendam esse ejus praedictionem negat.

præ vero vate Lotichium habet Arnoldus in *Historia* (p) *Ecclesiastica*, Mublius atque Kortboltus, viri clarissimi, in *Disputatione de Entusiasmo poetico* jam memorata, Christianus Franciscus Paulini in *Amoenitatibus* (q) *philosophicis*, (*Philosophischen Lust-Stunden* /) Tenzelius in *Bibliotheca* (r) *curiosa*, & illustris Jenensium Medicus, Wedelius in *Exercitationibus* (s) *medico-philologicis*. Scilicet per somnium vidisse se, memorat Lotichius, urbem ab hostibus cingi, ac deam urbis tutelarem ita exclamantem audisse: *Haec, oculi quaecunque vident, cinis omnia fient*. Jam vero Ao. 1631. celeberrima illa Germaniae urbs, Magdeburgum, paucarum horarum spatio, incertum hostili an fortuito incendio, in cineres subsedit, multis millibus mortaliū ferro flammaque haustis, ut verbis utar Leonburdi (t) Pappi. At sane hoc nequaquam sufficit ad demonstrandum, Lotichium *Δεόννευσον* somniasse somnium. Quam facile enim potest accidere, inquam cum acutissimo (v) Baelio, ut urbs quaequam, quam poeta aliquis ab hostibus expugnatam maleque habitum iri *πρωτὰς* fingit, interjecto saeculi spatio obsideatur & expugnetur? Habet enim Baelius (w) somnium Lotichii pro fictione poetica, cui occasionem praeberit obsidio Magdeburgi auspiciis Caroli V. Imp. a Mauricio, Saxoniae Electore, suscepta: adeoque inter vaticinia mero casu vera referendum illud esse, rationibus pererudite subductis contendit. Idem est iudicium Celeb. Bierlingii in *Methodo studiorum* p. 43. Quae sententia cum ita se nobis probarit, ut ei erroris securi subscribamus, age, ipsam Lotichii Elegiam, quae ad Joachimum Camerarium de obsidione urbis Magdeburgensis inscripta est, lectoribus nostris ob oculos ponamus, eamque nonnullis illustremus annotationibus. Neutiquam profecto indigna est, quae vel a doctissimis legatur relegaturque. Adeo elegans est, & cum nulla Ovidianarum non comparanda. Fuit enim Phoenix poetarum Germaniae Lotichius, eoque nemo unquam felicius expressit Ovidium, iudice (x) Morbosio. Ex Camerarii (y) quoque sententia Lotichius talis fuit poeta, qualem sua aetas & nostra natio alterum non tulit. Sic igitur fatur suavissimus ille Lotichius:

*Si vacat arcanis, &c.*

Jam.

(p) Lib. xvi. cap. 23. §. 5. Idem tamen eodem libro cap. 4. §. 9. rectius capit Lotichium de obsidione urbis Magdeburgi a Mauricio Saxone facta. Adeo cogitationes posteriores non semper sunt meliores.

(q) Cap. 18.

(r) A. 1706. p. 490. seq.

(s) Cent. ii. Dec. iv. cap. 3. p. 30.

(t) In *Compendio belli Germanici*, quod & inscribitur *Epitome rerum Germanicarum*, ad A. 1631. p. 62. Dignus erat hic liber, qui infereretur *Bibliothecae historicae Struvianae* Op. xvii. §. 10. quo scriptores belli Germanici recensentur. De auctore & pretio illius *Compendii* vid. Placcii *Theatrum Anonymorum* num. 1122. a.

(v) *Diction.* v. Lotichius not. G. fine.

(w) Loc. cit.

(x) Lib. i. Polyhist. lit. cap. 19. §. 39. & lib. vii. cap. 3. §. 9.

(y) Praef. ad Opera Lotichii.

jam paulisper contemplemur hanc Elegiam, rectius ut intelligamus, nihil a poeta dictum fuisse, quod non dici eo tempore a quovis poeta potuerit, nec quicquam proinde hic legi, quod modum ingenii poetici excedat, divinumque prodit instinctum. Quo quidem tempore & qua occasione deductum fuerit hocce carmen, titulus ipsius luculenter indicat. Obsidebatur nimirum ea tempestate urbs Magdeburgum a Mauricio Saxone jussu Caesaris, metusque erat, ne ea expugnaretur, gravissimasque victori poenas daret. Tenero illius urbis amore aestuabat *Lotichius*, quippe in qua paucis annis ante vixerat (a) militiaeque nomen dederat. Cum igitur *res sit solliciti plena timoris amor*, metuebat poeta, ne urbis, utpote quae hostis patriae a Caesare judicata fuerat, excidio parentaretur irae Caesaris. Fingebat igitur, suum imitatus *Ovidium*, cujus simile existat (b) somnium, se per somnum vidisse calamitates civitati Magdeburgensium ab hoste illatas. Solenne enim poetis est, somnia hujusmodi effingere, pluraque eorum exempla exhibet in *Observationibus suis poeticis* (c) *Joannes Dekenius*. Non est igitur, cur, vere id somnii obtigisse *Lotichio*, credamus. Somniavit quippe ut poeta, hoc est, vigilans somniavit. Virgo, cujus sibi speciem oblatam esse v. 13. dicit, ipsam repraesentat urbem, quae a virgine (d) nomen gerit. Haec constanti repurgatae religionis suaeque pariter libertatis propugnatione Caesaris iram provocarat: qua de re legi dignus est (e) *Sleidanus*. Unde poeta v. 23. *Hic pietatis bonos? ea libertatis amatae gratia?* Eadem civitas duas jam acceperat ipso illo anno 1550. clades, *Sleidanus* (f) commemoratas. Has innuit poeta, v. 43. canens: *Funera bis vidi campis indigna meorum, Damna bis adverso tristia Marte tuli*. Hinc ultima jam praesagit Magdeburgensibus: quanquam non respondit huic praesagio eventus, pace quippe facta, gratiaque Augusti urbi utcunque reconciliata. Igitur *veris simillima* utique vidit poeta, ut ipse v. 81. ait, at *vera* non vidit. Nec notatu indignum, quod v. 46. inquit: *Qualis erit exitus urbis, Concidet hostili SI referata manu? rō si incertum futuri animum abunde prodit*. Quod si propheta fuisset *Lotichius*, vidissetque, certo deletum iri urbem, dicere utique

T t 3

(a) Testis est *Joannes Hagijs* in *Vita Lotichii* p. 33. sq.

(b) Lib. III. e *Ponto Eleg.* 5.

(c) P. I. cap. 17. §. 2. p. 59. sq.

(d) *Magdeburg* / id est, *urbs virginis*. Virginem enim veteres Germani vocabant non *eine Jungfrau* / sed *eine Magd*. Unde in cantico sacro: *Maria die reine Magd*. In *Rudimentis religionis Christianae*, antiquissima Germanorum lingua scriptis, quae *Boxhornius* A. 1650. edidit p. 5. in *Symbolo apostolico*, *Maria virgo* vocatur *the Maeden*, & p. 7. in alia ejusdem symboli versione *Macadi*. Ibid. p. 12. *virginitas* appellatur *Maegbad*. In alia ejusdem symboli versione, quam *Celeb. Eccardus* A. 1713. primus edidit, p. 65. haec verba: *gebohren von der Jungfrau Maria* / ita redita sunt: *Giboran fona Maria Magadl*. Conf. *Eccardinae* notae lib. cit. p. 134. 135. & 194. Hinc hodieque virginem vocamus *ein Mäddgen* / *ein schönes Mäddgen*.

(e) Lib. XXIII. f. 618. a.

(f) Lib. XXXI. f. 585. b. & f. 589.



atque debuisset : *Concidet hostili CUM reſerata manu*. Caeterum novam fictionem ſomnio ſubjungit ſuo v. 83. & ſequentibus narrans, ſe *aquilam* vidiffe, cujus unguibus *olor* haerit : huic nullam ſpem recuperandae libertatis fuiſſe, donec *gallus* certamine cum aquila into olorem illum e vinculis eriperet priſtinamque reſtitueret in ſedem. Equidem non dubito, poetam Aefopia hac fabula reſpexiſſe ad foedus, quod Mauricius eodem tempore cum Galliae rege pepigerat ad liberandos, quos Caefar captivos tenebat, duos Germaniae Principes : cujus rei teſtis rurius eſt (g) *Sleidanus*. Apparet jam lucidiſſime, poëticum, non propheticum, eſſe *Lotichianum* illud ſomnium, adeoque omnem operam fruſtra conſumiſſe clariffimum virum, *Sebaſtianum Kortboltum*, cum ſingulari Diſputatione, Kilonii (b) A. 1703. edita, *Lotichium* in vatium non ſine Numine futura canentium numerum referre, *Baelii*que ſententiam labefactare conatus eſt. Enimvero ſatis firmiter mihi perſuaſum eſt, vaticiniis caſu veris, de quibus ſuperiori anno Programma publicavi, adſcribendum eſſe non ſolum illud *Lotichii* ſomnium, ſed & duo illa ſomnia, quorum alterum patri ſuo, *Cbriſtiano Kortbolto*, Theologo praecellenti, alterum *Lubomirſcbio* cuidam obtigiſſe memoriae prodidit doctiſſimus (i) *Kortboltus*.

(g) Libri xxiv. initio, f. 642. b.

(b) Vid. Nova lit. maris Balthici A. 1703. p. 63. ſeqq.

(i) Diſp. cit.

## JOHANNIS DAVIDIS SCHREBERI

## P R A E F A T I O.

*Praefixa editioni Dresdensi**Apud*

JOH. CHRISTOPH ZIMMERMANNUM,

An. c15 1555. in 12.

**P**ETRUS LOTICHIVS SECUNDUS, cujus Carmina novis typis descripta hic exhibentur, inter praecipuos Germaniae Poëtas illustri laude emittitur, atque seculo post C. N. XVI. decori fuit & ornamento. Natus is erat A. 1528. Solitariae in Monasterio, quod est in Hanoico Comitatu, nec generis inhibuit obscuritas, quominus ad gloriam praeclaræ doctrinae eniteretur. Fovebant egregiam indolem Patruus primum Petrus, istius Monasterii Antistes, a quo ut discerneretur, cognomine etiam Secundus dictus est, inde Francofurti Praeceptor optimus, atque Poëta simul insignis Jacobus Micyllus, & Marpurgi postea alii liberalium artium doctores, maxime vero in hac nostra Saxonia Philippus Melanchthon & Joachimus Camerarius nobiles Viri ob repurgatas literas, & in intelligendis pensitandisque ingeniis praecellentes, qui gravi judicio amare coeperunt venustam indolem & amplexari, cumque naturali quodam impetu ad Poëseos studium Petrum ferri, atque disciplinis tum Graecis tum Latinis, ad haec vero moribus etiam probe temperatis compositisque perpolitum intelligerent, tuendum sibi atque diligentiori cura ornandum susceperunt. Sane Camerarius potissimum, finito jam ferali illo bello, quod Schmalkaldicum audit, in quo Lotichius nomen suum militiae dare necessum habuit, scriptis literis ad Danielem Stribarum Equitem Francum, atque Ordinis Canonicorum Wurceburgicorum Primarium, huic doctarum artium insigni fautori istum Musarum Alumnum commendavit, a quo etiam cupide in familiam adscitus, & agnatis adolescentibus Praeceptor primum, mox iter in Galliam ingredientibus comes est adjunctus. Vixit ibi per quadrienium, atque eximium ingenium optimis disciplinis solerter auxit, ac declaravit etiam summis Viris, seque in familiaritatem ipsorum penitus insinuavit ac immerisit, Mompelii cumprimis salutari arti operam navans, atque magnificas agri ejus hortorumque opes pervestigans. Redux e Gallia ab eodem illo Maecenate suo Stibaro in Italiam ablegatur, ut vitam & studia Nobilissimorum Juvenum moderaretur, fecitque istud cum singulari laude, & suam non minus mentem doctrina exornavit, Pataviumque ac Bononiam atrices habuit benignissimas, nisi quod tamen in hac urbe magnum vitae discrimen adiit, atque imprudens in jus venenatum, quod Philtron dicunt Graeci, abs hospita nobili cuidam Bavaro, qui egregiae formae Juve-

Juvenis iisdem aedibus utebatur, appositum incidit, ac superata veneni intra praecordia faevientis vi, febris gravi coepit laborare, neque ex eo tempore firma est usus valetudine, inque patriam reversus, & a Principe Palatino A. 1557. Heidelbergam adductus, ut Medicam artem doceret & tractaret, non nisi per triennium eidem Provinciae praefuit, vitamque angustis quidem terminis circumscriptam, sed plenam tamen laudis & meritum, vii. Novembr. die Ao. 1560. finivit, quam coelibem duxerat, nullis relictis liberis, sed supersticibus tamen ad posteritatis memoriam praeclari ingenii monumentis. Copiosius haec exsequitur, quocum Lotichio fuerunt omnes amicitiae necessitudines, Joh. Hagius, celeberrimus Medicus, qui hujus eximii Poetae vitam nonnullis Carminum editionibus annexam describendam sibi sumsit, ex qua ego pauca haec excerpſi, quae ad notitiam scriptoris viderentur sufficere, desideratione potissimum, cujus impensis haec exeunt, DN. JOH. CHRISTIANI ZIMMERMANNI, cum propter temporis angustias fieri non posse is monuisset, ut integra ista vita ipsi Poetae collectioni apponeretur. Nimirum cum quibusdam Scholae nostrae alumnis inferiori Ordini adscriptis & mea quoque institutione ad Poeseos studium deducendis Lotichium proponere, & cum Ovidio superiorum decreto aliis horis explicando Ovidianae suavitatis aemulum conjungere animus esset, ut videlicet his ducibus Elegiaci carminis constructionem addicerent; intelligerem autem perquam rara inveniri hujus exempla, ne consilio desistere necesse foret, Viro, quem dixi, integerrimo suaſor fui, ut curaret eundem denuo excudi. Passus vero ille est se persuaderi, & vestris usibus, quotquot liberalibus studiis atque carmini condendo potissimum operamini, ipsum exhibens, ut commendatum vobis habeatis hoc suum institutum vehementer expetit. Sane ut naturali quodam impetu ad ligatae orationis culturam Lotichius raptus est, adeo ut, quod Hagius refert, ipse passus sit identidem, quicquid extra carmen & versum ageret, quali aliud agentem se agere; ita communis est maximorum Virorum sententia, non cum optimis horum temporum modo, sed cum antiquis etiam vatibus eundem posse comparari, imo & aliquibus jure meritoque anteponi. Thuanus quidem, ne temere hoc scripsisse videar, omnium suo judicio, qui secundum Eobanum Hessum in Germania Poeticam attigerint, praestantissimum hunc esse fatetur. Lib. xxvi. p. m. 1201. at Joachimus Camerarius, qui suaſor & adjutor fuit Vögelino Lipsiensis Typographo, ut primus Lotichii carmina A. 1561. inprimeret, haud paulo operosior est in ipsius laudibus, & talem Poetam fuisse contendit, qualem sua aetas & nostra natio alterum non tulerit, neque negaturos & Eobanum & Sabinum, si viverent, addit, elegantia & suavitate atque expremendi vetustatis similitudinem contentione se ab hoc alicubi superari, in *Epistola nuncupatoria ad Neustetterum*, quam collectioni carminum istorum praemisit. Quinimo nec defuerunt, qui post Ovidium neminem in Elegiaco carmine tantum praestitisse asseverarent, quod apud Bailletum legitur in *Judiciis Doctorum* T. IV. P. III. p. 272. Nolo praeterire silentio, quod Janus Gruterus, accuratus ingeniorum cenſor, ad Jo. Petrum Lotichium de Petro hujus Patruo scripserit

— — nec

— — nec enim Germania vatem  
Laudat adhuc, illo qui prior esse queat.

Vid. Job. Pet. Lotichii *Bibliothec. Poetic. p. m. 115*. Daniel Paraeus merito Camoenas palmam utrique tribuere pronunciaverit apud *Bartbolinum de Medicis Poetis p. 142*. Morhofius vero, at o! quantus & ipse Poeta, Phoenicem Poetarum Germaniae appellaverit, qui superare interdum ipsum Ovidium ac Virgilianam in Eclogis suavitatem unus exprimere sibi videatur, *Polybistor. Literar. Lib. I. cap. 19. p. 225*. Ubi forsan non debuit notari J. C. Scaliger, quod in *Hypercritico suo*, cum censuram Poetarum Germanorum instituit, ne verbum quidem de hoc faciat, qui tamen omnibus caeteris antefereendus, propterea quod Lotichii Poemata post Scaligeri demum obitum prodierunt. Tulit ergo Lotichius omne punctum & ad huncque diem communi recte sentientium consensu mensuram implet egregii vatis, estque eorum cumprimis, qui ad Elegias scribendas animum applicant, manibus diligenter volvendus, quandoquidem ipse Principes istius carminis Nasonem & Tibullum perquam sibi reddidit familiares, & in sinu nunquam non habuit repositos, ac plerumque non nisi ubi eorum lectione incaluerat, ad versus conficiendos progressus est, solerterque & curate expressit, quicquid elegantiarum & suavitatis in illis demiramur. Quam sane ob causam recentioris aevi Poetae cum antiquis jungendi, atque ut in exemplis illustribus vera imitandi ratio pateat, juventuti etiam proponendi sunt, maxime quod & super haec religiosius longe, & ad horum temporum conditionem accommodatius scribunt, qui post profligatum ex Europa omni Ethnicismum numeris sua verba adstrinxerunt. Eoque consilio viri de literaria re bene meritori ultimarum seculorum carmina denuo curarunt imprimi, hancque peregre operam Aetio Sannazario, Georg. Buchanano, Casp. Barlaeo, Antonio Paleario, Hieronymo Vidae, sicut Amalthaeis fratribus ipse celeberrimus Graevius & admodum nuper Hugoni Piorum Desideriorum scriptori Vockerodus non minus recti moris studio quam praeclarae doctrinae laude inclytus Gothani Gymnasii Rector, aliis alii praestiterunt. His exemplis tuebitur se praesentis instituti ratio, adductusque iisdem ego Fabricii nostri Odas maxime ac reliqua carmina, & o! quam egregia pietas magni viri ex illis elucet recudi, & Romanae lyrae, Sioniae hunc fidicinem eximium adjungi facerem, si quis foret, qui consilio faveret. Monebuntur interea abs me nostri, in quorum gratiam Lotichiana haec carmina praelo subjecta sunt, ut eadem in deliciis habeant cumque antiqui temporis vatibus studiose lectitent, at vero & ipsi carminum conficiendorum rationem solerter meditentur, atque Poetas omnino, qui primi sapientiam voce & scripto tradiderunt, ad eandem consequendam adjumento sibi esse, ac praecipue ad compositionis elegantiam utilitatem ac decus asferre posse censeant, ut ejus artis praestantia ad perfectae doctrinae gloriam connitantur, neque patiantur exolescere optimum morem jungendi cum libris prosa oratione conditis venustorum carminum delicias, aut futilem credant esse eam omnem artem, operamque vanam

V v

&amp;

& ineptam, quae eidem impenditur, quod hos quinque ante annos Tanaquil Faber Tanaquil prudentioris studiorum aestimatoris Filius somniavit, & libello professus est, & nugatores alii, dum cerebro laborant interdum, inani fectiendi loquendique profluentia blaterant. Vos autem, optimi juvenes, quos apud utriusque aevi vates & eorum carmina in pretio adhuc sunt, fruimini libello hoc, & illustri exemplo excitati istam quoque sapientiae disciplinam, qua potestis contentione, ad antiquum nitorem revocate. *Scripti Misenaë, vi. Calend. Junii A. O. R. M. D. CC. II.*

## \* JOH. FABRICIUS MONTANUS

A D

### PETRUM LOTICHIMUM SECUNDUM.

Petre, quo primum duce sacra Phoebi,  
Et novem vidi latices Sororum,  
Nos amor quando sociavit ambos  
Martis in urbe.  
Quem per obstantes aditurus Alpes,  
Et maris coecos fueram tumultus:  
Cur tot inter nos jacet & locorum,  
Atque viarum?  
Ultimos nam tu, procul orbe nostro,  
Galliae fines habitas remotae:  
Me fouet felix Tigurum, beatos  
Inter alumnos.  
Forte dum longum furit, & cruentum  
Pertinax Bellona quatit flagellum,  
Quaeris an nostra regione pax, an  
Bella morentur.  
Otium nobis bona fata praestant.  
Alma pax & rura Ceres frequentant:  
Praeter hunc nostrum reliquus sed omnis  
Diffidet orbis  
Jam frequens Turcis equitatur Ister:  
Thraciae passim volitant sagittae:

Ad-

\* Effugerat, cum Adoptiva excuderetur, hoc Joh. Fabricii Montani carmen Lotichio inscriptum: itaque ei hic locum dare malui, quam omittere. Legitur in Fabricii illius Poëmatibus Tiguri editis pag. 4. & addi debet Adoptivis pag. 184. 5. *Aditurus*] ita recte in exemplari, quod Lotichio nostro donum miserat, correxit ipse Montanus: vitiose & contra metrum editum est *sequitur*.

Audit armorum strepitus Vienna,

Audit equorum.

Heu scelus nunquam satis expiandum.

Barbaros hostis cumulat triumphos:

Imperi captas inimicat urbes

Caesaris ira.

Quamdiu hostiles abolebit ignes

Civium sanguis? miser an colonus

Semper in silvis latitabit altis,

Rure relicto?

Ergo ubi murus stetit, & senatum

Civitas vidit dare jura plebi,

Mox feras antrum nemorale densis

Occulet umbris?

Quaeque foecundis operatus arvis,

Bos jugo robustus aratra traxit:

Surget incultis seges alta spinis?

Sentaque sylva?

Scilicet ne tu patriae ruinam

Cerneres coram, procul exul erras,

Qua diem sol occiduus tepentes

Condit in undas.

O mihi tantum Deus addat orbis:

Insper, quantum satis est videre,

Ferreos enses, galeasque, duro

Vomere versas.

Ultimus cum te mihi reddat orbis:

Jamque securus maris & viarum,

Gentium mores memores, & urbes

Ordine visas.

Quasque sol terras medio profundo

Aspicit: quas Oceanus remoto

Summovet ponto, tumidisque late

Distinet undis.

Hunc diem curru properante Phoebus

Suscitet: nunquam metuum deinceps,

Debitam satis, meliore cura

Reddere vitam.

( 340 )

D E

PETRO LOTICHIO SECUNDO,  
POËTARUM GERMANIAE FACILE PRINCIPE, ET PRIMO,  
TESTIMONIA, ET ELOGIA.

---

ERASMUS NEUSTETTER,  
DICTUS STÜRMER, PRAEPOSITUS CHOMBURGENSIS, &c.  
EQ. FRANCUS:

A D

CHRISTIANUM LOTICHIMUM.

Quanta inter fratrem tuum *Petrum Lotichium Secundum*, & me animorum conjunctio fuerit, *Christiane* ornatissime, tibi ita notum esse arbitror, ut nulla plane declaratione egeat. Cujus etiam post obitum, qui non tantum tibi, & mihi, sed toti fere Germaniae, luctuosus & dolendus accidit, ego nihil potius curavi, quam ut ejus Scripta, prout lectu dignissima sunt, nota essent quam plurimis. Cum itaque saepius ea de re cum Clarissimo Viro *Joachimo Camerario* literis egerim, ut tandem in publicum prodirent, &c. xvii. Kal. Januar. Anno M. D. LXV.

JOACHIMUS CAMERARIUS,  
PAPENBERGENSIS.

A D

ERASMUM NEUSTETTER,  
COGNOMINE STURMER, PRAEPOSITUM, EQ. FRANCUM.

Fuit autem *Petrus Lotichius* talis Poëta, qualem sua aetas, & nostra natio, alterum non tulit. Hoc me pronunciatum affirmare, in quam ab aliquibus partem accipiatur, non vereor. Eruditos enim mihi assentiri scio omnes. Habuerunt superiora tempora *H. Eobanum Hessum*, cum quo a prima adolescentia mea familiarissime vixi, & quem in suo genere regnasse docti fatentur. Hujus aetati, & famae supparem nuper amimus Clarissimum Virum *Georgium Sabinum*, cujus & facilem, & prudentem, et poli-

politam Musam Italia quoque est admirata. Multi autem nunc etiam declarant egregiis operibus, & scriptis hac in parte ingenii & studii sui efficacitatem. In quibus facile eminent *Joannis Stigeli*, solertia admirabili, & incredibili industria, & arte, exercitatione, usu summo perfecta, abfolutaque, Poëmata. Sed et *Eobanus*, & *Sabinus*, si viverent, cum omnia in *Lotichii* scriptis magnopere probarent, tum elegantia, & suavitate, atque exprimendi vetustatis similitudinem contentione, se ab hoc alicubi superari, non negarent. Deque hoc nimirum sentit, & loquitur prolixè *Joannes Stigelius*, quo melior vir ille est, & is, qui mortuo majorem etiam amplioremque laudem velit tribuere, quam meritum esse arbitretur: cum sine dubio deberi ipsi maximam, atque amplissimam, sciat, & praedicet. De quo plus verborum faciendum esse non puto. &c. *ix. Cal. Septembr.*  
M. D. LXI.

I D E M

A D

CHRISTIANUM LOTICHIIUM,

*En! perfecta tui promissa fratris ab arte Carmina.*

**S**ic enim mutare versus Maronis compellanti te mihi, *Christiane*, visum, qui pollicitus essem, me daturum operam, ut divinum opus Carminum Clarissimi viri, fratris tui, summa exquisitae artis cura hic ederetur. &c.  
*Lipsiae, v. Cal. Sextil. M. D. LXIII.*

I D E M

A D

JOAN. CRATONEM A CRAFFTHEIM,  
ARCHIATRUM CAESAREUM.

**I**ngenti cum dolore cognovi his diebus, Clarissimum virum *Petrum Lotichium* Eitelbergae esse mortuum, de quo plura alias. Cogito enim de hoc publicare quaedam, quibus celebretur nomen mortui, & inferre libello illi nostro. &c. *Calend. Decembr. Anno M. D. LX.*



( 342 )

PHILIPPUS MELANCHTHON:

A D

PETRUM LOTICHIMUM,

ABBATEM SOLITARIENSEM.

**P**etrus tuus magno ornamento est Academiae nostrae, ut edita ab ipso Carmina ostendunt. Ac vicissim libenter nos ipsum ornabimus, &c.  
*Witebergae, XIII. Augusti.*

I D E M

A D

JOACH. CAMERARIUM,

PAPEBERGENSEM:

**M**itto Carmina *Lotichii*, ut scias, etiam nos hic habere vicinas Musas, &c. *Wormatiae.*

Jo. HAGIUS *in vita P. Lotichii Sec.*

FELIX PLATERUS,

ARCHIATER BASILIENSIS:

D E

P. LOTICHIO SECUNDO,

IN GALLIIS AGENTE.

**P**antaleonem, inquit, Montpeffulum adventantem, prout petebat, deducebamus Villam Novam, ad littus usque maris, ubi is capfulas, non exiguas, conchis implebat. *Lotichius*, Poëta magni nominis, itineris ejusce comes, à *Pantaleone*, inter eundum, ad carmen, ex tempore fundendum, invitabatur, hoc eodem interim proferente:

*Germani focii tendunt ad littora maris.*

Excepit *Lotichius*, Non maris, (quia prima brevis) sed ponti.

IDEM

## I D E M D E E O D E M.

**P**ridie Non. Septembris literas nactus eram parentis mei, quibus subveneratur, ne quid mihi accidisset, quod diutius ab officio scribendi essem feriat. Addebat autem, *Lotichium*, & *Vischerum* sibi affuisse, & de studiorum meorum profectibus multa apprime subintulisse; *Lotichium* inprimis me, tanquam affinem, salutari iussisse. Quod vero me affinem (pro ut ipsi apud Montepesulanos erat in more) identidem appellaret, causa illa est. Cum primum Montpelium pervenissem, ibidemque in Collegio non nullos fabricarem versiculos, ecce *Lotichius*, Poëta excellens, mihi tum incognitus, accedens propius, inspicit, rogatque, sibi ut componendi versus modum aperiam. Offero operam illi meam, & non nihil suggero. Id caeteri, qui aderant, animadvertentes Teutones, suaviter me risere, subinferendo, illum Poëtam esse egregium, qui quidem paulo ante *Carminum Libellum* \* *Lugduni* evulgasset. Convenio igitur, atque coram hisce invado. Et tu vero mihi scite imposuisti, Ad quae ille: Egone imposuissem! Immo vero, ajebam, o Cognate! Haec enim vocula more patrio mihi tum erat familiaris. Ibi ille: Equidem vero, inquit, si optio detur, *Affinis* tibi, quam *Cognatus*, esse mavelim. Atque inde est, ut me deinceps, animi causa, tam coram, quam litteris, eo nomine identidem compellaret, &c.

*E diario studiorum Gallicanorum Felicis Plateri, sub Annis, M. D. LIII. & LIV: communicante Ampliff. Viro, Thoma Platero, Felicis fratre, & haerede.*

\* *Lutetiae.*

C A S P A R P E U C E R U S,

D E

P. L O T I C H I I S E C U N D I.

P O E M A T I B U S.

**H**aec, & infinita alia, quod assidue obversarentur animo meo, tam alte radicibus actis insederant, ut & in aula degenti, & procul inde disjuncto, recursu tamen perpetuo obstreperent, occurrerentque *Lotichianum* illud:

———— felix, si celsa Potentum  
Atria vitaris ————

*In Aulico Histor. Carcerum pag. 55. Vide P. Lotichii S. Eclog. v. v. 121. quae inscribitur Daphnis.*

JOAN.

JOAN. LANGIUS  
ARCHIATER PALATINUS:

A D

P. LOTICHIIUM SECUNDUM:

**A**nnus jam, *Petre Loticbi*, qui eruditione nulli es secundus, praeteriit, quo *Heydelbergam* accersitus es, ut Medicinam hic doceres, aegrotis quoque consilio tuo, & opera adesses. In quorum cura id tibi vel maxime displicebat, quod vulgus ita Clysteria, & alia alvi purgantia pharmaca, venae quoque sectionem, & ob affuturam Crisin, tenuem, vel saltem sobriam, victus rationem, abhorreret. Et jure sane tibi Medico perito displicuisse id arbitror, &c. *Epistol. Medicinal. Lib. II. Epist. LX.*

DAVID CHYTRAEUS,

DE

P. LOTICHIO SECUNDO,  
MEDICO, ET POETA.

**N**unc Artem Medicam, eximia cum laude fidei, eruditionis, & in mendendo peritiae, ac felicitatis profitentur (scil. *Heydelbergae*) Curio, Erasius, & vero Deo ac Musis carissimus Vates, *Petrus Lotichius*.  
*In Orat. de Greichgaea.*

NATHAN CHYTRAEUS  
IN TRES PETROS NOBILISSIMOS ITALIAE, GALLIAE,  
ET GERMANIAE POETAS.

Carminē quid possint Itali, & cum Teutone Galli,  
Scire cupis; ternos aspice, quaeso, Petros.  
Italia Angelium, Ronfardum Gallia, suave  
Lotichii ingenium Teutonis ora tulit.

*in Poëmatibus N. Chytraci p. 130. b.*

GEORG

GEORGIUS CRACOVIVS, J.C.  
 CELSISSIMI PRINCIPIS D. D. AUGUSTI, ELECTORIS AC DUCIS  
 SAXONIAE, CONSILIARIUS:

A D

P. LOTICHIUM SECUNDUM:  
 DE OBITU PHIL. MELANCHTHONIS.

**I**llud autem abs te magnopere contendo, ut tu de sanctissimi viri obitu Elegiam ad me, vel Epicedion, scribas. Nemini enim ego in hoc genere in Germania plus tribuo, quam tibi. Dignum facies illius erga te beneficiis: nam & integritati tuae, & omnium eruditorum votis, ac expectationibus, mihi vero etiam rem longe praestabis gratissimam. &c. *Spirae, xxix. Aprilis, M. D. LX.*

PAULUS EBERUS,  
 SS. THEOL. D. ET IN ACAD. WIRTEBERGENSI PROFESSOR.

**A**nno M. D. LX. mortuus est praestantis ingenii vir *Petrus Lotichius*, Artis Medicae Doctor, & Professor in Academia Heydelbergenfi, xxix. septimanis post Domini *Philippi Melanchthonis* obitum. *In Calendar. Historico.*

JOANNES POSTHIUS,  
 ARCHIATER PALATINUS,

A D

JOAN. HAGICUM, MEDICUM.

**V**ixi ego cum *Lotichio*, dum Heydelbergae Professore egit, conjunctissime, ita plane, ut, si frater ei germanus fuisset, majore benevolentia me complecti vix potuisset. Quapropter illum, ut par erat, non solum ut praeceptorem, sed etiam ut parentem carissimum, observabam semper, atque colebam. Quicquid autem in Poësi sum, si quid modo sum, id omne uni *Lotichio* acceptum me referre, atque debere, libenter equidem & ingenue fateor. Et, quo tanti viri consuetudo mihi fuit jucundior, eo acerbior accidit immaturus ipsius, & plane improvissus, e rebus humanis excessus. &c.

Xx

JOAN.

JOANNES HAGIUS, FRANCOUS,

A D

ERASMUM NEUSTETTER,

PRAEPOSITUM, EQ. FRANCUM.

**E**tiam aliorum nobilissimorum ac doctissimorum hominum de *Lotichio* mortuo pulcherrima, atque amplissima, testimonia publica, luctus, & lacrymas, adpello, quae in funere ipsius, quae in Epicediis, quae in Epitaphiis, observata sunt, historiae nostrae admodum consonantia, veritatemque illius maxime corroborantia. In iis quidem quae supersunt adhuc, ac publice extant, perquam luculentis monumentis amicorum, ac discipulorum, moerentium *Funeralibus* videre profecto est, magnum omnino *Lotichium* fuisse, veraeque virtutis, & magnae laudis virum, dignum, quem tot clari & principes viri lamentis, & lacrymis sint prosecuti. &c.

E T P A U L O P O S T :

**Q**uid? quod illud etiam (pace aliorum bona quod sit dictum!) adferrare de *Lotichio* nostro vere non dubitem ac confirmare, nullum meorum in vita nosse, & literis communibus, quos quidem habui & plurimos, & honestissimos, sodalium, de quo fatis functo, meminerim ego exitisse honoratiora iudicia, de quo auditas ampliores laudes, ingenii divitis praeclaras dotes magis admirarentur omnes, de cuius vita, moribus, rotaque disciplina, praeclarius sentirent ac loquerentur, minus detraherent, minus culparent, magis laudarent omnes. Itaque a me, vere dixerim, nihil tam magnifice de *Lotichio* nostro dici potuisse, (ut frater de fratre loquitur apud Comicum) quin id omne virtus summa superarit sua. &c. *In praefatione vitae P. Lotichii Secundi.*

GEORG. FABRICIUS CHEMNICENSIS,

A D

JACOBUM STRASBURGUM:

**F**uit in *Lotichio* ingenium excellens, & morum suavitas singularis. Quae cum mihi perspecta sunt, cum ipsam, & *Joannem Hagium*, in tuam patriam hinc persecutus sum, animi causa, cum inspicere metalla cuperet, in puteos ipse descendit, ac cuniculos perreptavit, & machinas sub terris admiratus est. Dicebat, se navigasse in Mari Ligustico, ac nunc inspexisse Metalla Misensia: quas res habiturus esset tota vita, quibus se jac-

jaſtare vellet. Ejus verſibus ſimplicitate, nitore, puritate, nullius e noſtris hominibus legi ſimiles, bellae & ſuaves ſunt Elegiae, ſed in Eclogis ipſe ſe ſuperavit. Niſi Bononiense toxicum, quod alteri appoſitum fuerat, inſcius guſtaſſet, diutius potuiſſemus ejus divino ingenio, & ſtudiis frui. Ac ſine dubio aut Philoſophicum aliquod, aut Medicum, tractaſſet argumentum, poſt has florentis adolescentiae exercitationes, &c.

HARTMANNUS SCHOPPERUS,  
NORICUS:

DE

P. LOTICHIO SECUNDO.

Certe communis illa hominum rerumque parens, Natura, conſtituta in libra, fluctuare videtur. Et juxta verſum celeberrimi noſtri Poetae *Lotichii Secundi*, vere de hac mundi ſeneſta dicere licet:

*Velvimur buc illuc, veluti ſpoliata magiſtro  
Cymba per Aegaeas nauſraga fertur aquas. &c.*

*Commentar. in Lib. II. de aſtutia Reinikes Vulpeculae.*

IDEM DE EODEM.

Nafone Sulmo dum ſuo,  
Et dum Tibullo nobili  
Urbs Romuli ſuperbiet.  
*Sabinus & Georgius,*  
Et, omnium cultiſſimi,  
*Mei Secundi Claudia,*  
Legentur ob mirabilis  
Reperta clara carminis, &c.

*In peroratione Operis de Reinikes Vulpecula.*

## FRANCISCIUS MODIUS BRUGENSIS,

A D

ERASMUM NEUSTETTER,

COGNOMENTO STURMER, PRAEPOSITUM, EQ. FRANCUM.

Ut igitur intimam tuam, ex studiorum animique similitudine, in dissimili vitae genere ortam, amicitiam cum clarissimo illo Germaniae lumine *Joachimo* quondam *Camerario*, mittam, ejus in eximiis illius maximi viri ingenii monumentis crebra extant, extabuntque omni tempore, testimonia, quae nunc ab eo, tanquam haereditate, cum eruditionis, humanitatis, probitatis laude, ad filios ejus, *Joachimum*, nobilem Medicum, & *Philippum*, clarissimum Jureconsultum, (*Ludovico* nuper immatura morte e vivis, magno tuo & bonorum omnium luctu, sublato) ante alios transit. Ut *Joannem Sinapium*, in utraque lingua, & Arte item Medica, cum laude summa versatum: ut sexcentos alios viros, eximie doctos, tam Germanos, quam externos, praeteream, quibus in amicitia & clientela tua certissimum semper fuit non praesidium solum, verum decus etiam, atque ornamentum. Annon *Petrum Lotichium Secundum*, quo virum meliorem, Medicum peritiorem, Poëtam elegantiorum, & ad Tibulli virtutes propius accedentem, aut, verius ut dicam, cum Tibulli, (Poëtarum in suo genere, omnium, quot usquam sunt harum rerum intelligentes, judicio, cultissimi, & purissimi) virtutibus feliciter certantem, contendentemque, ne studiorum quidem liberalium illa mater Italia unquam tulit: Annon hunc, dum vixit, ita provexisti, auxisti, ornasti, ut se dignitatem suam, honestissimo *Heydelbergae* stipendio in Collegium Artis Medicae Professorum cooptatus, uni tibi debere semper, quemadmodum non invitatus, sed ultro, & sponte sua, ita vere, publice privatimque apud omnes omnium ordinum homines, profiteretur? Te unum ut antiquorum morum, doctrinae, & fidei, ita admiraretur, ut quem tibi ex hujus nostri aevi heroibus compararet, vix unum, & item alterum, commemoraret, quem vero anteferet, haberet plane neminem? Equidem, quoties Epistolas lego, (lego autem non invitatus quam saepissime) quibus tu, & idem *Lotichius*, inter vos salutare solebatis, toties admirari cogor egregiam illam tuae naturae bonitatem, & ingenii vim, quibus homo in Reipubl. negotiis quam maxime arduis occupatissimus alioquin, eam ad bene scribendi facultatem perveneris, qua, haud scio, an multi nostro tempore praediti sint ex illis, qui procul a Republica in otio literario dediti plane sunt, & omnem in Scholasticis exercitationibus vitam conterunt. Et si tu, benignissime Patrone, ne hic quidem tibi subsistendum putasti. Verum, ut, quantum soluta oratione, tantum pedibus astricta quoque, progressus fecisti: ut, si ratio dignitatis, & studiorum tuorum, tulisset, magnus in hac quoque, & non e vulgo, aut trivio, aliquis futurus fuisset.

Quam

Quam ego tuam felicitatem genii, & ingenii, leviter delibasse contentus, quia neque digne hic a me satis, laudari potest. neque tu, qui, ut ante quoque innuere memini, *laudanda semper facere, quam laudari*, maluisti, ut posset maxime, fieri id a me passurus videris, libenter mitto: & ad tua in Viros, supra caeteros eruditos, merita reduendo, a *Petro Lotichio*, insigni Medico, & Poëtarum principe, ad *Joannem Postbium*, qui in utraque facultate *Lotichius* adeo alter haberi jure potest, & debet, quique tibi ab eodem *Lotichio* moriente tantum non per manus traditus est, transitionem faciam, quis nescit, ita te eum, ab illo jam tempore, quo se primum bona sua fortuna tibi insinuavit, officiorum & beneficiorum genere complexum, ut nihil in eo tuendo ornandoque reliquum tibi haftenus faciendum putaris. &c. *In Praefatione Lëction. Nov-antiquarum.*

## HENRICUS SMETIUS A LEDA:

Quamvis autem ex Poëticiis hisce conatibus Reges, cum *Heidelbergae* in literis versarer, non absque *Petri Lotichii*, suo tempore Poëtae clarissimi, hortatu, evulgare cogitarem: propter typographi tamen morositatem tunc omissum fuit, &c.

*In dedicatione Poëmatum, sive Regum Judaicorum, ad Illustrem Simonem, Lippiae Comitem.*

## JANUS DOUSA PATER, NORDVICI DOMINUS.

Epigrammate, ad Sirmionem Peninsulam quod scribit, locus est hujusmodi:

*O quid solutis est beatius curis,  
Cum mens onus reponit, ac peregrino  
Labore fessi venimus larem ad nostrum?*

qui hunc in modum nobis construendus esse videtur. *o quid beatius est, (quam) cum mens onus reponit solutis curis? cumque peregrino, id est peregrinandi, labore, itinerumque molestiis, persuncti, reduces domum, & quidem salvi, postliminio aliquando convertimus?* Hoc propterea indicandum censui, quod videam, pulcherrimam sententiam perperam omnibus in libris, etiam iis, quos, ut emendatissimos, exhibuit postremo nobis limatissima Scaligeri castigatio, interpunctum esse, vitio maxime interrogationis, quae ubique voci *curis* appensa legitur, eo exemplo, quod proposui prius, nullo sensu. Quis enim Latine dicat, *curas solutas beatas* esse, ac non potius, *animum curis solutum*? Quo magis demiror, quidnam politicissimo Germanorum Poëtarum *Petro Lotichio* in mentem venerit, hujus ipsius loci, proinde, ut vulgo legitur, imitationem a *Catullo* nostro mutuari. Sic enim est apud illum, Lib. 1. Carminum:

X x 3

Ec-



——— *Ecquid aestimandum est  
Curis esse beatius solutis?*

Sed idem nimirum ipsi, quod summis plerumque ingeniis, evenit, quibus perversa trium quatuorve verborum distinctio glaucoma ob oculos objectare consuevit, quo minus verum dispicere queant: quod ipsum & Mureto, in loci hujus declaratione, usu venisse, res ipsa invicem praedicare me cogit. &c. *In Praedicandis ad Catullum pag. 27.*

## I D E M

A D

### P A U L U M M E L I S S U M.

**A**rgumenti mollitiem quid attinet excusare, cum (ut *Martialis* defensione utar) meum non sit exemplum? Sic certe scripserunt non dico veteres & Romani illi, quorum levissima in hac controversia auctoritas apud nos, qui *Christiani* & esse & videri discupimus, pondus habere non debet, verum nostra memoria *Bembus*, *Marullus*, *Sannazarius*, *Pontinus*, *Naugerius*, *Castalio*, *Cotta*, pientissimi Poëtae. Denique *Flaminius*, & *Lotichius* tuus, at qui viri? quorum hercule Manes tota nobiscum Europa veneratur, omnesque dignissimos censent, unde non ego modo, verum etiam optimi quique exemplum sibi ambitiose expetant. Qui si auctoritatem defugerint, quod, dum viverent, aliam Religionem (postremos illos *Flaminium*, & *Lotichium* excipio) sacraque, a nobis diversa, coluerint, &c. *In Praefat. Libris Cupidinum praefixa p. 211.*

## J U S T U S L I P S I U S,

A D

### J A N U M L E R N U T I U M.

**I**nter nostros *Lotichium* amo, *Janum Pannonium* aestimo, *Scaligerum Patrem* admiror: qui si felix illud ingenium, & inventionum invidendum acumen, cura temperasset & lima, coronari contra omnes Poëtas posset ab illo aevo prisco, &c. *Centur. II. Epist. IX.*

JAC.

## JAC. AUGUSTUS THUANUS.

**C**omplures filias reliquit *Melanchthon*: ex quibus *Anna* elocata est *Georgio Sabino*, Brandenburgensi, Poëtae inter Germanos non exigui nominis, qui a *P. Bambo*, *Casp. Contareno*, *Cardinalibus*, *Baptista Egnatio*, *Ludovico Becatello*, Italis, dum viveret, magno in pretio habitus, hoc eodem Anno, (scil. LX.) socerum secutus, *Frankofurdiae* ad *Viadrum*, ubi larem fixerat, decessit Kal. Decembribus, aetatis suae LIII. Cum *Petrus Lotichius Secundus*, multum eo junior, nam XXXII. tantum annum attigerat, Solitariis, oppido ad *Drusi montem* sito, in *Hanovica* ditione, natus, omnium, meo quidem iudicio, qui, secundum *Eobanum Hessum*, in *Germania* Poëticam attigerunt, praestantissimus, *Heydelbergae*, Kal. Novembribus, ultimum vitae diem clausisset. Hujus Poëmata, triennio post auctoris mortem, a *Joach. Camerario* collecta, & publicata sunt, fidem apud posteritatem factura, quid ab illo expectari debuerit, si longiorem ei vitam *Deus* annuisset. &c. *Historiar. sui tempor. Parte II. Lib. xxvi. sub finem.*

TOBIAS PAURMEISTER à KOCHSTETT,  
EPISCOPATUS HALBERSTADENSIS CANCELLARIUS:

**D**e cujus (*Magdeburgi*) innocentia, fide, & integritate, potissimus ejus temporis poëta *Petrus Lotichius Secundus*, in *Elegia* de obsidione urbis, ad *Joachimum Camerarium*, non minus eleganter, quam vere, ita cecinit:

*Profit, & excuset, quod sum mihi conscia recti,  
Et caput in patriae nulla quod arma tuli.  
Sed prodesse parum est: labes binc prima laborum,  
Hoc miserae (verum si fateamur) obest.  
Moenia debueram natalia prodere; texi:  
Fida nec innocuis civibus esse; fui:*

Et paulo post:

*Majorum titulos, sacrasque Tuiſlonis umbras,  
Testor, & haec tacito fidera fixa polo:  
Me servasse fidem: Si mentior, ultima nunquam,  
Quae patior, tantis bora fit ulla malis.*  
*De Jurisdicti. Imp. Rom. lib. II. ad finem.*

JO.

## JO. JACOBUS BOISSARDUS,

IN VITA

JOANNIS POSTHII:

**P**ueritiae igitur partem (*Postbius*) postremam apud praeceptores populares in patria exegit. Jamque adultior factus, missus est Heydelbergam ad Nicrum, Academiam celebrem, Aulaque Palatinorum Principum claram: ubi doctissimi viri, *Thomas Erastus*, Medicus & Philosophus eruditissimus, *Petrusque Lotichius*, Poëta inter Germanos suo tempore primus, aliique permulti viri, doctrina illustres, vivebant. &c. *Iconum Viror. Illustr. Lib. I. & II. pag. 10 & 75.*

ABRAHAMUS BUCHOLCERUS:

**A**nno M. D. XXIX. *Petrus Lotichius Secundus*, Poëta praestantissimus, die 11. Novembris, in Coenobio Solitariae natus est. *In Indice Chronolog. pag. 514.*

I D E M.

**A**nno M. D. LX. *Petrus Lotichius Secundus*, Poëta celeberrimus, Medicus & Professor in Academia Heydelbergensi, extinctus febri acuta, Calendis Novembris, aetatis xxxii. Heydelbergae. *Ibidem, pag. 601.*

HERMANNUS KIRCHNERUS.

**V**idi Imperialem Cancellarium Joan. Wolfgangum Freimonium, inter medios Comitium negotiorum aestus, *Lotichiana Carmina* in lectulo lectitare, ut Musarum suavitate animum refocillaret. &c. *Cancellar. lib. I. cap. x., de literar. poeticar. ornamento.*

PETRUS SCRIVERIUS.

**N**eque fugit *Lotichium Secundum*, Poëtam Germanum, suetos veteres in computationibus ad numerum literarum, quas amicorum amicorumve nomina habebant, bibere. Expressit rotundissimo, & festivissimo Carmine, ad Joannem Altum suum:

*Saepe meae nomen simul inter vina puellae  
More jubes priscae temporis, Alte, bibam.*

Tu

*Tu Violantillam potas, mibi Claudia septem  
 Dat cyathos: & jam frigida fugit hyems.  
 Quid faciam, sicci cum terga Leonis adibit  
 Phoebus, & ingratus faucibus aestus erit.  
 Ergo meae propter nomen breve cogar amicae  
 Ferre sitim? Tanti nulla puella mibi est.  
 Non tamen hanc dominam mutabo, sitimque levabo:  
 Quid facies igitur, quaeris? Amabo duas.*

Tu, inquit, deuncem, sive undecim cyathos, potas, ego vero septuncem, seu poculum septem cyathorum. Alibi iterum idem Germaniae suae Phoebus, suavissimo epistolio ad *Martinum Fabrum*, amicum suum, morem eundem diserte respicit, quantum ego video. Nam non omnibus liquere arbitror, praesertim antiquitatis ignaris. Recitabo magnam partem clarius, ut & illud de plano in posterum legi, & a rudioribus quoque intelligi, possit. Doctiores recentibus exemplis veniam daturus, atque haec absque fastidio lecturos esse, speramus:

*Chare Faber, quem non fabricando Mulciber aequat,  
 Aeterei quamvis sit faber ille Jovis.  
 En! redit Ulricus, redit Herdesianus, & Altus,  
 Qui merito Jani nomen & omen habet.  
 At vos, dum liquidi celeberrima flumina Salae  
 Accolitis, memores nominis este mei.  
 Laetaque dum posito trahitis convivium Baccho,  
 Praebibo dic etiam, care Secunde, tibi.  
 Sic tibi sint faciles Musae, sit dexter Apollo.  
 Felix, Musarum cui licet ore loqui!  
 Haec tibi contingant! Me tertia littera torquet,  
 Littera sed votis non satis aequa meis.  
 O utinam mecum testudine ludere dulci  
 Ad dominae possis nocte silente fores!  
 O utinam! Sed quid mibi profunt irrita vota?  
 Pocula jam restant evacuanda mibi.*

Jocatur facetissimus Poëta, rogatque Fabrum, Ulricum, Herdesianum, & Altum, ut, cum epulis vinoque pariter indulgent, non oblivisci velint Secundi, bibendo ad numerum literarum nominis sui: se vero, quo minus idem amicis suis praestare possit, urbane admodum excusat, primosque amores suos *Claudiam* (quam intelligit per tertiam literam) praetendit, cui erat septunce salus propinanda, & nunciandus affectus. &c. *Animadverti, ad Martia. lib. IIX. Epigr. LI.*

J O A C H. V A G E T I U S  
H A M M A B U R G I U S :

**S**olitarii, oppidum ad Drusi montem Hanoviae ditionis, nobilitatum *Petri Loticbii Secundi* ortu, cui Elegorum, quos scripsit, praestantia, & mira dulcedine, nemo facile comparandus. Emigrabat Heydelbergae, Calendis Novembris Anno M. D. LX. XXXII. annorum juvenis. *De Orbe habitabili, in Germania, pag. 177.*

C H R I S T O P H O R U S B R O W E R U S.

**I**nflatus etiam pro loci obscuritate antiquitatem hic ignotam usurpare mihi videntur, qui ut *Petri Loticbii* incunabula attollant, Solitariis, oppido ad Drusi montem sito, cum Schluchterensi potius Laura, quae ad Thrafebergii montis jacet radices, ortum dicere oportuit: Poëtam meliorem, quam cultorem religionis avitae. &c. *In Antiquitat. Fuldenf. pag. 145.*

M I C H A E L N E A N D E R,  
S O R A V I E N S I S.

**N**on nasci homini longe optimum est, proximum autem quam primum mori! nam *Nil praeter lacrimas haec & suspiria vita est*: quomodo recte scripsit aliquando *Loticbius*, poëta elegans, & eruditus.

————— *Nec sine vae,*

quod vulgari versiculo dicitur,

————— *Nunc vivit filius Evae:*

*Collection. Physicar. part. II. p. 425.*

I D E M N E A N D E R  
IN PRAEFAT. ANTE EROTEMATA L. GRAEC. pag. 208.

**P**etrus *Lotichus Secundus*, Solitariensis, cujus Poëmatum Lib. IV. & Carminum unus, & Ecloga bene longa ad finem adjecta, nuper admodum prodierunt, (innuit editionem *Voegelianam* an 1561.) donec quae supersunt hujus caetera cum occasione similiter excant.

MEL-

## MELCHIOR ADAMUS,

IN VITA

P. LOTICII SECUNDI,

PHILOSOPHI.

**D**e genere vero *Carminis Loticbiani* quid sentiant, quidve in Poetica ei tribuerint, clare demonstrant honestissima de *Lotichio* judicia, & testimonia, literis prodita. Camerarii certe in *Lotichium*, cum vivum, tum mortuum, propensio animi exstitit singularis: qui & in hoc unice elaboravit, ut divina *Loticbii* (sic vocat ipse) *Carmina*, post mortem illius, ederentur. In Academia autem Witebergenſi, ubi *Melanchthon* regnum tenebat, innotuit clarissimis quibusque viris, cum primis *Georgio Sabino*, *Joanni Stigelio*, *Georgio Fabricio*, & aliis, ut *Postbium*, ac *Melissum*, posterioris aetatis Poëtas, omittam: qui omnes unanimi consensu in Elegiacis *Lotichio* palmam detulerunt. &c. In *vitis Germanor. Philosophor. p. 210*. Videatur idem in *vita Michaëlis Beutheri*, itemque in *vita P. Loticbii Secundi*, *Medici*, pag. 113.

## MARTINUS OPITIUS,

IN PRAEFATIONE *Deines Lobß daß Selblebens /*  
SYLVAR. POET. LIB. II.Saget also wester *Lotichius*, Der fürst aller Deutschen Poeten / sehr wol :*Rura sacros vates, gelidaeque in vallibus umbrae,**Blandaue graminei cespitis herba juvant.**Grataue delectant ignobilis otia vitae.**Rura dapes, umbram dat nemus, amnis aquas.*

Daß Feldt / das kühle Thal / das Graß / ein frischer Müt /

In gleichfals: früher lust / ist den Poeten gut ;

Irer wo daß schöne feldt trägt Speise wol zu leben /

Der Pusch auch Schatten macht / die Bäche wasser geben.

Vide *Eundem Sylvar. Poët. lib. v. an Neußlern*.

Confer *Conradum Gesnerum Tigurinum* in Bibliotheca, *Josiam Simlerum* in Epitome ejusdem, *Janum Guilielmium* in Manibus Palmerianis, *Joan. Bocerum Danum*, *Natban. Cbytraeum*, *Joan. Schofferum*, *Fred. Taubmannum*, *Dan. Heinsium* super obitu *Taubmanni*, *Joan. Christophorum Neustetter*, dictum *Sturmer*, ad *Jo Petrum Lotichium*, *Janum Gruterum*, *Rod. Goclenium Sen. Jo. Henricum Alstedium*, & innumeros facile alios: quorum omnium symbolas & testimonia hic accumulare velle, nihil sit aliud, quam Lectori laborem ac taedium objicere. Haec JOH. PETR. LOTICHIUS.

Yy 2

JOH.

J O H A N N E S B O C E R U S  
IN PRAEFATIONE ANTE ECLOGAM DE MORTE TRIUM PRAE-  
STANTISSIMORUM GERMANIAE POETARUM,

G. SABINI, JOH. STIGELII, ET P. LOTICHII SECUNDI.

**A**missus in his tribus viris ea ornamenta & decora, & non solum in studio poëtico, quo quilibet horum divinitus erat ornatus & donatus; verum etiam in reliquis disciplinis & artibus eam facultatem & gloriam, qualem postera secula inter hanc ingeniorum ferociam & ignaviam nulli concedent. Quantum vero peculiariter ad virtutem & dignitatem poëticam adtinet, quae in his tribus viris, ad ipsam maturitatem & consummationem perfecta cum gloria eluxit, summi & excellentes hi tres viri in Germania, quod se Italis, Gallis, & Hispanis, & aliis nationibus in hoc studii genere audacter conferre, & nomine pietatis & rectitudinis, & veri usus, summo jure praeponere potuit. Vehementer itaque dignitas & gloria studii poëtici (quod in omni erudita vetustate sacrum, & admirabile, & tanquam coeleste donum cultum fuit) occasu horum trium virorum, in Germania diminuta & debilitata est. Et quoties praestantiam & divinum ingenium in his viris admiror, & illos in matura morte, unum statim post alterum, non longo temporis spatio, & quasi fatis hanc ingeniorum & doctrinae & facultatis poëticae gloriam Germanis invidentibus, sublato confidero, bonarum artium interitum, & praecipue studii poëtici contemptum, & priscae barbariae, plenumque inscitiae tempus, tristis animus mihi praefagit. Neque aliud paucis abhinc annis, in hisce pulpitis nostris & palestris literariis, quam horrenda & detestabilis vastitas exspectanda est. & *segg.*

J A N U S M E L L E R U S P A L M E R I U S  
IN SPICILEGIIS T. IV. FACIS CRITICAE GRUTERI pag. 763.

A D.

N I C. I S T H U A N F F I U M,  
N O B I L E M P A N N O N I U M.

**A**tqui ego te vivum, Isthuanffi, volebam: quippe publice interesse; & viveres absque amicis aliquot meis fuisset, qui virtutem tuam, doctrinam, humanitatem ad coelum ferebant; esse Latine doctissimum, poëtam insignem, facere *Loticbium* maximi; argumenta, quid tibi literae debere possent, quid tu literis, si in his studiis habitares. Qui nunc, quando peregrinaris, ita hospes sis, ut nemo videatur omnium qui vivat minus.

D A-

## DANIEL HEINSIUS

LIB. II. ELEG. VIII.

*Hic sedet & priscos Lotichius ardet amores,  
 Hoc nullum majus gens tua nomen habet.  
 Non negat hoc Naso, lateri cui proximus baeret,  
 Non negat hoc Neinesi nunc quoque junctus amans.  
 Non negat hoc Veneris puer & Cytherica mater,  
 In terris alium vix habitura parem.  
 Adsidet & totis indulget basia labris,  
 Aut junctum in chorea fert Tunicata pedem.  
 Claudia quam sequitur rivalibus aemula curis,  
 Primus amor vatis primaque cura sui.  
 Ille manu medica Phoebeque potentibus herbis  
 Saepe aliquam vellet quaerere laesus opem.  
 Mox ubi pulchra videt ridentis lumina Nymphae,  
 Gaudet, & ardori jam favet ipse suo.*

## JOH. ISACIUS PONTANUS

IN CHOROGRAPH. DANIAE DESCRIPT. pag. 784.

**C**elebratur quoque aut celebrandus suo merito *Job. Franc. Ripensis*, poëta simul & medicus, musicusque omnibus suis numeris absolutus: ut vere eum Apollinis fuisse pullum dicere liceat. Ei poëtices laurea non è trivio aut trivialibus data, sed a poëtarum, quos habuit Germania, principe *Petro Lotichio Secundo*.

## OLAUS BORRICHIIUS

DE POËTIS pag. 132.

**P**lus roboris, plus salis est in Poëmatis *Petri Lotichii*, cujus Elegiarum Libros iv. Carminum Libros ii. legimus, & lectione recreamur. Nec in Eclogis ejusdem epici quicquam adeo desiderabis.

## THOMAS BARTHOLINUS

DE MEDICIS POËTIS pag. 142.

**P**etrum *Lotichium Secundum*, ejusque nepotem *Job. Petr. Lotichium* quid memorem, Medica & Poëtica arte illustres viros? De quibus ita *Daniel Paracus Phil. Fil.* cecinit:

*Lotichiis merito palmam tribuere Camenae,  
 Seu Medicae spectes seu Melicae artis opus.*

Y Y 3

JA-



**JACOBUS PHILIPPUS TOMASINUS**  
IN PETRARCHA REDIVIVO CAP. XXIII. IN FINE.

**P**etrum *Loticbium*, Poëtam Germanum, accepimus, cum Patavii literarum studio moraretur, crebro Petrarchae cineres salutasse, & sub vesperam ad Laureta concessisse.

**JOH. ANDR. QUENSTEDT**  
DE PATRIIS VIROR. ILLUSTR. pag. 214.

**S**olitaria, illustris Hannovici comitatus ad Drusi montem situm oppidum inter Gelnhusan & Diocoesin Fuldensen. Ad coenobium Solitariae natus est *Petrus Loticbius Secundus*, Poëta suavissimus, pariter & solertissimus Medicus, cui omnes unanimi consensu in Elegiacis palmam detulerunt, unde & princeps Elegiacorum Poëtarum audit. Gerh. Joh. Vossius de Scientiis Mathematicis cap. 18. inquit, *Loticbium* in Elegiis condendis exsuperasse Germaniam universam. Camerarius ejus carmina divina vocat. Inter nostros Poëtas, inquit Lipsius Lib. II. Epist. 9. p. 125. *Loticbium* amo, J. Pannonium aestimo, Scaligerum patrem admiror.

**CASP. BARTHIUS**  
COMMENT. AD CLAUDIAN. pag. 1020.

**T**enues isti & faciles Poëtae, si lectione scriptorum subacti fuissent, ut cultus naturae accessisset, multo maxima praestitissent; id videre est in *Petra Loticbio*, quo cultiores elegos recentiorum nemo scripsit.

**JOHANNES FREDERICUS CRAMERUS**  
IN VINDICIIS NOMINIS GERMANICI CONTRA OBTRACTORES GALLOS pag. 31. ed. Amst.

**U**t Eobanum Hessum, Georgium Sabinum, non contemnendos superioris aetatis poëtas omittam, unus *Petrus Loticbius* instar omnium tueri potest gloriam Germanicae gentis, quod ad poëseos laudem adinet. Neminem enim unquam non solum e Germanis, verum etiam e peregrinis feliciter expressisse divinam suavitatem, & elegantiam Nasonis, quam *Loticbium*, vel exteri fatentur.

## P E T R U S F R A N C I U S

A D

J O H A N. C R A M E R U M,  
GERMANICI ET BATAVICI NOMINIS VINDICEM;  
LIB. II. SYLVAR. pag. 405.

*Quid Eobanus Hessus, & Georgius  
Dicent Sabinus? quid Petrus Lotichius,  
Et Ferdinandus ille Furstenbergius,  
Grande ille Vatum, grande Praesulum decus,  
Politus ille scriptor, ille Caesaris  
Probatum ore, non probatum ut tuo  
Lasctivienti virgulae censoriae  
Isti reponent, Censor insolens, tuae?*

## A C T A L I P S I E N S I A

ANNI MDCLXXXIV. TOM. III. pag. 542.

U B I D E B R O U K H U S I O.

**B**ene igitur interdum Marti cum Musis & his eum illo convenit, quem-  
admodum & *Petrum Lotichium Secundum* (male editur *Job. Petr. Lo-  
ticbium*) incomparabilem superioris seculi poetam, imo alterum Ovi-  
dium, cum abs Apollinis Musarumque vexillo ad Martis castra ad tempus  
transiisset, tersissimas inter ipsos tumultus bellicos scripsisse Elegias novi-  
mus.

## D A N. G E O R G. M O R H O F I U S

IN POLYHIST. LITER. LIB. I. CAP. XIX. §. 38. seqq.

**V**ita *Pet. Lotichii Secundi* per Johannem Hagium scripta, non pauca  
erudita continet. Fuit phoenix Poëtarum Germaniae Lotichius, om-  
nibus exteris si non superior, certe aequalis. Hujus tamen vel ipsis  
Germanis paene ignotum nomen est: exteri nullam ejus mentionem fa-  
ciunt. \* Julius Caes. Scaliger, cum censuram Poëtarum Germanorum insti-  
tuit

\* Julius Caesar Scaliger, ne verbulum quidem de hoc nostro &c] haec Morhofii & eum  
secutæ Burchardi querela intempestiva est, quia Lotichii Poëmata vix publice nota erant,  
aut in lucem prodierant, cum J. C. Scaliger Libros suos de Poëtica scriberet. vide Kort-  
holti Dissquis. an Lotich. Obs. Magdeb. praedixerit §. VIII. p. 325. quod addit Morho-  
fius, ipsis fere Germanis ignotum Lotichii nomen esse, nullamque ab exteris ejus fieri  
men-

tuit in Hypèrcritico suo, ne verbum quidem de hoc nostro, qui tamen omnibus ceteris erat antefendus. Mira in illo suavitas & concinnitas carminis, & vix imitabilis, ut mihi superare interdum ipsum Ovidium, ac Virgilianam in Eclogis suavitatem unus exprimere videatur. Multa habet vita ejus memorabilia, quae ipsi per Italiam Galliamque peregrinanti obtigerunt; multae in illa de viris doctis notitiae. Dolendum, immaturo fato & ipso flore aetatis anno scilicet xxxii. obiisse e philtri reliquiis, quod ipsi in Italia propinatum fuit. Solus inter Batavos Heinſius tam candidus fuit, ut aestimaret ipsius ingenium in Lib. ii. El. 8. quam in obitum Taubmanni scripserat. Non satis pro dignitate Viri judicavit Thuanus, qui illi Eobanum Hessum praepont; quo ille non solum, sed & omnibus ceteris est superior: quod ostendit cognatus ejus Johannes Petrus Lotichius in Promulſide Critica, ubi multis argumentis ostendit, non Eobano tantum Hesso, sed & ceteris omnibus superiorem esse *Lotichium Secundum*. Qua in re etsi nihil a vero alienum dixit, non deerunt tamen, qui vel inmodestiam, vel affectum ejus nimium, hic reprehendant. Videndum etiam est Lipsii de Lotichio elogium, quod legitur Tom. ii. Oper. pag. 74 B. Illud singulare in hoc Viro & propemodum divinum est, ac plus quam poëticum *ἐνδυσμασμός* arguit, quod in Eleg. 4. Lib. 2. ad Joachimum Camerarium scripta, tristissima obsidionis & expugnationis Magdeburgensis fata integro seculo praeiuxerit. Res omnino notatu digna, ac Elegia illa pulcherrima est. Haec ille aurea carmina, quod mireris, inter armorum strepitus ipse miles scribebat.

## J A C O B U S B U R C K H A R D

DE FATIS LINGUAE LATINAE IN GERMANIA

CAP. V. pag. 390.

Omnis posteritatis memoriam *P. Lotichius*, Solitariensis, non sperare, sed confidere potuit: urpote qui unus instar omnium Germanicae gentis gloriam, quae ad poëseos laudem pertinet, tueri potest: siquidem poëtico studio toto vitae suae tempore totus deditus fuit, eique sic adhaesit, ut quicquid extra carmen & versum agebat, quasi aliud agens ageret, & poëta natus non factus videretur. Quo neminem umquam non solum e Germanis, verum etiam ex peregrinis feliciter Nasonis suavitatem & elegantiam expressisse, vel exteri fateri necesse habuerunt: ita ut compluribus mirum non sine injuria visum sit, quid fuerit, cur Jul. Caesar Scalliger de Poëtis agens nullam plane Lotichii fecerit mentionem.

JOH.

mentionem, nisi a solo Dan. Heinſio, facile refellitur ex his ipsis de Lotichio Testimoniis, & Elogiis, tot Germanorum ac Belgarum honorificam poëtae nostri mentionem exhibentibus: & his similia vide apud Freher. Theatr. Viror. Illustr. T. III. p. 1249. Schreberum in vita G. Fabricii p. 305. Schumacher. in vita Adami Siberi p. 279. Crusium in notis ad Albini vitam G. Sabini pag. 49. J. Christ. Wolfium in Supplect. Epistol. & Literar. p. 205. Baillet. Jugem. des Sçavans T. iv. P. III. p. 272. Tessier. Elog. des Homm. Sçav. T. i. p. 195. Nicéron Memoir. des Homm. Illustr. T. xxvi. p. 28. seqq. & omnium accuratissimum Baylium Tom. III. Lexic. Critic. in *Lotichius*.

JOH. BURCH. ET FRED. OTTO MENCKENII  
IN BIBLIOTH. VIROR. MILIT. AC SCRIPTIS ILLUSTR. §. 134. pag. 273.

**A**d Petrum Lotichium pergimus Secundum, Medicum, Philosophum, imo Poëtarum Latinorum apud Germanos facile principem. Hic, praeter caetera vitae fata, militiae incommoda expertus est. Quum enim aliquando Melanchthoni (cui Witebergae unice adhaesit) Magdeburgum profecto, comitem se adjunxisset, ibique tum temporis omnia armis perstreperent, juvenili ferocia exsultans, militiae nomen dedit. Cujus tamen rei repente ipsum poenituit. Huc enim spectat Carminum ipsius Libri primi Elegia statim prima, qua coram Jac. Micyllo Praeceptore conqueritur, quod in primo aetatis flore, relictis studiis, militare cogeretur. &c. Natus est Solitariis, oppido sito ad Drusi montem in illustri Comitatu Hanoviae intra Gelhusam & territorium agri Fuldenfis, A: C. MDXXVIII. post trid. Cal. Novembr. Medicinae Doctor, ejusdemque in Academia Heidelbergensi Professor factus, obiit Anno MDLX. d. 7. Novembr. aet. 32. Ceterum quomodo Lotichius noster in Carmine quodam flebile illud & miserandum Parthenopolcos excidium longe antea praedixerit, eoque nomine inter poëtas Prophetas referendus sit, hoc loco pluribus enarrare atque disquirere nostri non est instituti, quum otium nobis hac in parte fecerit Sebastianus Kortholtus in peculiari Disquisitione, utrum P. Lotichius Secundus Obsidionem urbis Magdeburgensis praedixerit.

## JANUS BROUKHUSIUS

CARM. JUVENIL. pag. 397.

*Aemula Romani Germania nominis armis  
Noluit hac una tollere laude caput.  
Nec tantum Arminios Latii opponere Varis,  
Et Tiberim Rheni cogere ferre minas.  
Jam ferro superasse parum est; contenditur arte,  
Et Latii curam docta leporis habet.  
Invidiae secura, uno contenta SECUNDO,  
Gaudet, & Aonias eminet inter opes.  
Quem, nisi seclorum vitaeque recentior aetas  
Crimen habet, priscis quis neget esse parem?  
Si Venus haeredem scripsit Romana Tibullo,  
Non alium potuit scribere LOTICHIO.*

Zz

IDEM

## IDEM BROUKHUSIUS

In notis ad Propert. Lib. I. El. 8. 11.

**I**stud vero *Tyrrbena* cum vicino *arena* sonum facit non nimis suavum. Unde miror politissimum Lotichium voluisse imitatione sua quasi comprobare rem Latinis auribus insolentem atque ingratam. Ita enim ille Epistola Helicanae: (Lib. v. El. 13. 52.)

*Sed nunc Tyrrbenis forsant tu laetus arenis &c.*

miror, inquam, & indignor; neque est sane id ipsum valde Lotichianum.

Priscorum vestigia felicissime secutus, Zmaragdus ille Poëtarum Germanorum, Petrus Lotichius Secundus. IDEM AD PROPERT. LIB. I. EL. 17. 2.

mellitissimus Lotichius. IDEM AD LIB. III. EL. 14. 28. ET AD LIB. IV. EL. 4. 63.

nitidissimus Lotichius. IDEM AD LIB. III. EL. 16. 10.

suavissimus Lotichius. IDEM AD LIB. IV. EL. 7. 69.

Lotichius antiquis suppar poëta. IDEM IN NOTIS AD TIBULLUM LIB. I. EL. 10. vs. 31.

dulcissimus Lotichius. IDEM AD TIBULL. LIB. I. EL. XI. 13. LIB. III. EL. 6. 27. ET AD PROPERT. I. 10. 6.

praeclarissimus Lotichius. IDEM AD TIBULL. LIB. II. EL. 5. 73.

jucundissimus Lotichius. IDEM AD LIB. IV. I. 157.

## GOTEFRIIDUS RICHTERUS

In Specim. Observ. Critic. pag. 45.

**P**etrus Lotichius Secundus, zmaragdus poëtarum recentiorum, & molliissima dulcedine carminum memorabilis.

## PETRUS BURMANNUS

In Epicedio JANI BROUKHUSII, Lib. III. Poëmat. pag. 192.

*Talis erat lituos inter strepitusque virorum*

*Ennius, Alcidae Pieridumque decus.*

*Talis erat teneri quondam desertor Amoris,*

*Dum sequitur dectus castra Quirina, Macer,*

*Talis, Hyperboreum dum ludit miles ad axem,*

*Lotichius lauro duplice cinctus erat.*

E. X

## • EX ACTIS ACADEMIAE HEYDELBERGENSIS.

**P**ETRUS LOTICHIVS, MEDICINAE PROFESSOR. Eximio huic Poëtae, quo Academia nostra triumphat, dolendum est fata obstitisse. Natus hic anno 1528. Solitariae in Comitatu Hanoviensi, per varios casus & tot discrimina rerum Professor tandem in Universitate hac constitutus, paulo post ibidem obiit. Hic illico in adolescentia praeceptorem Jacobum Micylum nactus, ad literarum studia Francofurti Martisburgum, & hinc Leucorin ad Philippum Melanchthonem, & Joachimum Camerarium ablegatus, qui duo magnetica sua vena ab utroque & sole & polo plurima ad sese literaturae studiola ingenia attraxerant, eorumdem, ut & Stigelii & Sabini non tantum familiaritates, sed benevolentiam & amorem sibi conciliavit. Inde exorto bello Saxonico Protestantium, Lotichius, quamvis invitatus a Gynaeceo Academico ad Trojam protractus Achilles, tamen temporis ac necessitati se accommodans, commilitonem nactus Melchiorum Zobellum, postmodum Episcopum Erbpolensem factum, sed nefarie obtruncatum, militiae nomen dedit, unde alicubi sic scribit: (Lib. I. El. XI. vs. 55.)

*Vos quoque sum lituos inter veneratus & enses,  
Quodque fuit vacuum tempus ab hoste, dedi.  
Deque tot amissis, etiamnum pauca super sunt  
Carmina, militiae tempore facta meae.*

Quo bello defunctus accepto ab imperatore suo honestae missionis diplomate, Erfordiam & Wittenbergam rediit a Camerario commendatus, cum Nobilibus Francis, Galliae Lutetiam, Montem Pessulanum, Rothomagum, non sine minitante Neptuno, Lugdunum, Tholosam, discendi studio visitat, maxime propter Asclepiadeam disciplinam, ut & Narbonam. Quo itinere Gallico confecto, Italiae Veronam, Patavium, Venetias, Bononiam contendit, ubi casu quodam transmutati iusculi, amasio alii propinati, phylthro paene intoxicatus, ubi sorbere cepisset (quamvis buccellam projiceret cani, in rabiem propterea illico verso, & ad parietem impacto, quod tamen ipse Lotichius non deprehenderat) illico vi veneni intra praecordia assumpta, animi deliquio in terram concidit, furit, arma rapit, stricto contubernalem, quem suspectum habebat, gladio invadit: ad se reversus medicamentis partem toxici revomuit, in febrim nihilominus malignam coniectus; quamvis sanatus, tamen istius mali reliquias quotannis fere sub autumnum sensit: Absoluto studiorum in Italia curriculo, anno Christi 1557. ab Ottone Henrico, Septemviro Electorali, ad Professionem Medicam Heidelbergam Lotichius evocatur, quo eum, cum aliorum, tum Jacobi Micylli consuetudo pertraxit, quam etiam provinciam, Marpurgum, quo & ipse ad Professionem vocatus fuerat, praetulerat. Qua tamen in statione vix biennium & quidem coelebs vixit; correptus acuta & maligna febre, anno Christi 1560. qua etiam extinctus fuit, annos natus 32, ossa quasi legente & oculos claudente Joanne Posthio, funeris non tantum procuratore, sed & cum aliis corporis exuvias suis humeris efferente. Palmam putatur retulisse hic Poëta in Elegiacis.

Zz 2

MI-

\* Schedulam hanc, qua vitae Lotichianae curriculum quasi in tabella satis accurate delineatum est, nobis transmisit Clarissimus Academiae Heydelbergensis Professor Christianus Bruiningius.

\* MICHAELIS HASLOBII, BEROLINENSIS,  
 I D Y L L I O N  
 A L C O N,  
 D E  
 P E T R O L O T I C H I O S E C U N D O,  
 A D  
 T H O M A M M A T T H I A M,  
 JOACH'MI II. ELECTORIS BRANDENBURGICI CONSILIARIUM.  
 A E G O N E T C O R Y D O N.

**F**orte sub umbrosa Daphnis dum corpora quercu  
 Ponit, & infaustos animo meditatur amores,  
 Alconis mortem dicturi ad flumina nostri  
 Conveniunt Viadri Corydonque & Marchicus Aegon:  
 Aegon, qui statuit Pastoris ducere vitam,  
 Aonio myrtum Corydon in vertice cepit.

Tu vero Aonidum Thoma ornatissime fulcrum,  
 Et decus ac splendor, tu, sive negocia nostri  
 Evoluisti Ducis, aut vatum pro sorte laboras:  
 Sive foves animo dilectae virginis ignes,  
 Care favens, Thoma, juveniles accipe lusus.  
 Sic tua victurae tradantur nomina chartae,  
 Quam cedrus tegat, ac dulcem experiaris amorem.  
 Tempus erit, quo te dicam, tuaque incluta facta.  
 Non olim immemorem me fera redarguet actas.

Quid loquor? en Aegon Corydonis poscit amores,  
 Sive Nigellae ignes, seu dira incendia Florae.  
 Sed Corydon longe ante levis quae cortice fagi  
 Finxerat Alconi manibus, cantanda, tenebat.  
 Ac tamen Aegonem sic est affatus amice.

CORYD. Si vel habes Aegli laudes, aut facta Philetæ,  
 Vel tibi cum Floræ sunt lites, incipe lites,  
 Quæ tibi cum Floræ, vel nostri jurgia Momi.

AEGON. Immo ego non Aeglum dicam, nec facta Philetæ,  
 Vel Floræ lites, Alconi carmina serbo,  
 Illa dabo cantans, alias mihi Floræ canetur,  
 Quæ mihi basiolum nuper dum præbuit, ipsam

Eri-

\* Eclogam hanc debemus officiosæ humanitati Viri Clarissimi Christophori Saxii, qui eam acceperat ab Illustr. Gunzio Archiatro Regis Poloniae, descriptam e libro, cui titulus, *Idyllia quatuor, Amyntas, Philetas, Aeglus, Alcon, de clarissimis Viris, Martino Lusbero, Philippo Melancthone, Georgio Sabino, Petro Lotichio Secundo, scripta per Michaellem Haslobium Berolinensem, cum præfatione Abdis Præsterii Francfordiæ ad Oderam in Officina Johannis Eickborni. 4.*

Eripuit vitam: Florae me perdit ocellus  
 Unius, Arctoe quod non potuere puellae,  
 Quotquot habet Suevus, quotquot pater educat Albis.

CORYD.

Mirabar certe indigna cur voce canebas  
 Candiolae dudum fastidia: credo repulsam  
 Passus es: at nuper, mi dulcis ocellule, dulcis  
 Noster amor, pectusque meum fidusque vocabas,  
 Sed tua quam speras istos fastidit amores:  
 Fuscule, dicebat, valeas, me pulchra morantur,  
 Nigri oculi, tibi barba nigra, & tibi corpora nigra.  
 Par amor, & species melius conjungit amantes.

At quia nunc isti propius successimus amni,  
 Et nobis umbram largitur Chaonis arbor,  
 Alternis numeris referemus carmina, Daphnis  
 Judicet haec, Dryadesque olim cantata reportent.

Tum sua narrabat Corydoni junior Aegon.

AEGON.

Vos Nicri colles & amicti vitibus agri,  
 Quaeque sonant dulci volucrum nemora avia cantu,  
 Perpetuum lugete, quibus notissimus Alcon  
 Nuper erat: Vosque Halcyones assurgite luctu.  
 Saepe suos suevit vobis ad littora versus  
 Dicere, & invictum gratari carmine amorem.  
 Vosque adeo tellure satas lugete puellae,  
 Quae colitis pelagi vastas Alcheloides undas.  
 Vester obit Alcon, Musarum & Apollinis Alcon  
 Deliciae quondam, nunc triste & flebile funus.  
 Occidit is tenerae primo sub flore juventae,  
 Qui multum Zephyros & blandis vocibus auras.  
 Respondete amnes, silvae ingeminate frequentes,  
 Occidit ante aevum Phoebelus occidit Alcon,  
 At tu quid velas Clotho saevissima vultus?  
 Nempe dolens cuperes legere ultra fila, sed illum  
 Non potes ablatum Germanis reddere terris.  
 Saepe ego dicebam, quo te, quo pertrahit error,  
 Ne precor o stamen scindas, mihi causa doloris  
 Illud erit, non illud amor, sed amaror & ardor.  
 Tu tamen urgebas opus, & sub vere juventae  
 Stamina rumpebas nullis rumpenda diebus.  
 Parca quid egisti? non hoc vel dextra coloni,  
 Hoc neque aratoris faciet manus: illa vel ultro  
 Concedit senium spicis, nec poma tenellis  
 Arboribus nata avellit: tu poma sub hortis  
 Crescere visa rapis: Quid nos sperabimus ultra?  
 Tu quoque noster amor Musa, & venerabile numen,  
 Dic quibus in terris fueras, quando occidit Alcon?



Non juga Parnassi, non lauriferi Heliconis  
 Numina te celfo viderunt culmine flores  
 Deligere, & crines factis onerare corollis.  
 Nonne tuas clamor reperitus contigit aures?  
 Namque illum Myrti flevire atque innuba Laurus,  
 Cumque Visurgis aqua qui Fuldum flumine stringit.  
 Ecce dolet Myrtus Laurique Hederaeque querentur,  
 Et Charites plorant cum virgine Cymodocea.  
 Atlantisque nepos, ante omnia Claudia dulcis,  
 Callirhoëque, & quas multas amor illius uffit.  
 Is procul a patria, procul amplexuque suorum,  
 Degit ad Euganeas terras, & Sequana latus  
 Qua fluit, ac flores & gramina legit in horis,  
 Ornatus viridi circum sua tempora Lauro.  
 Quam potuit succus miscere & germina doctus,  
 Scivit & antiquam cura revocare salutem,  
 Et multos tantum limato carmine vicit,  
 Aeriae quantum superant viburna Cupressi.  
 Heu quoties dixi, ne te ne pocula lacedant,  
 (Ista venenatae credebam pocula Circes)  
 Care mane, vigilans herbis & Apollinis arti,  
 Cursum inhibe, mora nam prodest, mora proderit Alcon,  
 Has fuge tu terras, sunt hae sunt funera terrae.  
 Cum dixi, vivus subito calor ossa reliquit,  
 Frigidus incessit pectus timor, & mihi vitam  
 Paene metus rapuit. Sic sortem Alconis amabam.  
 Is contra: Has auras (coelos spectabat & auras)  
 Testor, & in terris quae degunt numina testor,  
 Fata jubent, abeo populos visurus & urbes.  
 Jamque vale longum, nutrix Germania vatum,  
 Pro reditu mulce Divos, & gramina templi  
 Ante fores spargas, voveas pro sospite vita  
 Liba DEO: procul amotus tibi ferta parabo,  
 Quae gestent patres, cupiantque aptare minores  
 Crinibus: haud equidem pro te dare vota negabo.  
 O me felicem dicam ter & amplius, istas.  
 Si potero fausto contingere fidere terras,  
 Et Musas remorari, & dulces fingere versus.  
 Atque utinam ex illis unus ferar, ardua montis  
 Qui juga Parnassi dilexerit, hic ego sponte,  
 Sponte tuos (ignosce) ignes ego, Claudia, sperno,  
 Callirhoëque tuos (nobis ignosce) calores,  
 Si modo speratas mea fistula mulceat oras.  
 Sic equidem cuperem totam traducere vitam,  
 Et lustrare illos depictos floribus agros,

Om-

Omnia quae melius crescunt ad vulnus Amoris,  
 Quae calidos possunt depellere ab ossibus aestus.  
 Ac licet instet Amor, totoque in pectore regnet,  
 Pierides discant paulatim adluescere amor.  
 Hic ego non essem Croesus, modo ducere possim  
 Ex Pindo Musas, patriasque inferre sub oras.  
 Tunc aliquis nostri cupidus, cum fata reposcent  
 Stamina, nostra legat sub littore membra, feratque  
 In tumulos, addatque sui monumenta fauoris.

Dum sequitur Latios pastores miles Amoris,  
 Et simul Aonidum, sub primo vere juventae  
 Concidit & Musis & clarus amoribus Alcon.  
 Dixit, & urgebat cursus ad Gallica rura.  
 Felix si patriis pastor mansisset in oris.  
 Nam simul ac rediit, fingitque ad flumina Nicri  
 Carmina, deponit vitam sub flumine Nicri,  
 Occidit heu Alcon Musaeque & Apollinis Alcon  
 Curaque Pastorum, pastorum gloria lumen.  
 Jam mihi nec lusus, nec dulcis numina Musae,  
 Vitaque nulla placet, nec suave rubens Hyacinthus.  
 Nec virides Lauri, nec pendula germina Myrti.  
 Querere stat mecum nemora inter devia vatem,  
 Sed nemora affirmant nunquam vidisse canentem.  
 Testor ego coelos, restant fera funera, restant.  
 Bella (sed in ventos eat omen) faevaue tabes.  
 Is jacet Albiacas tenuit qui carmine Nymphas,  
 Aeglus & occubuit, cecidit pulcherrimus Alcon.  
 Quid reliquum nisi flere? fleant mea lumina late  
 Flumina, & ingentem testentur moesta dolorem.  
 Luctus adest, viresque aufert, & corda fatigat:  
 Haec igitur sat erit Viadri luisse sub amui.  
 Tuque adeo salve aeternum decus addite Divis  
 Alcon imaxime, & hoc nostri cape pignus amoris.  
 Non possum majus dare, nunc vale o vale Alcon.

**CORYD.** Moesta refers Aegon, quae nobis pectore vitam  
 E medio rapiunt: pastor bonus occidit Alcon?  
 Alcon, dic, coeli vitam sub luce reliquit?  
 Occidit: incassum curis ego jungo querelas,  
 Et lacrymas lacrymis & luctus luctibus addo.  
 Certe erat hoc nuper quod ego non numina vidi  
 In nostris agris solitas ductare choreas,  
 Nec Dryades ullas, nec monticolae Sylvanos,  
 Panave ruricolam, Cereremque aut vina creantem.  
 Scilicet ipse aberat vi laesus mortis & ictu.  
 At nuper Divos eius mulcebat agrestes  
 Fistula, quam Phoebus dederat, silvasque jubebat

Mul-

Mulcere, & canere Heroas praestantibus ausis.  
 Ipse aberat. Vidi, nec abhorreo dicere verum,  
 Cum rosei spectaret adhuc orientia solis  
 Lumina, & in pulchris inhiabat floribus agris,  
 Ridebant agri, ridebant germina campi.  
 Nunc quoniam fato liber, curisque solutus  
 Vescitur ambrosia felix, & nectare Divum,  
 Sunt agri tristes, sunt tristia germina campi.  
 Ipsa etiam natura suas prato invidet herbas.  
 Vidi equidem referamque lubens audita sub agris,  
 Cum caderent altis majores montibus umbrae,  
 Cumque senescenti raperet Sol clara dici  
 Lumina, conspexi juvenem cum Daphnide campis  
 Moerin oberrantem, docto vocemque coloremque  
 Alconi similem, tristes ut fallere curas  
 Posset, adhortatus socium sic ludit ad auras.  
 Lugebat Moeris, retulit sua carmina Daphnis.

MOERIS. Nicleides Nymphae, vos aut mihi reddite fratrem,  
 Nam regitis fratrem, vel si non reddere scitis,  
 Quaerite per ripas, quo cedant pectore curae,  
 Aut aliis nostrum rebus sanate dolorem.

DAPH. Sueviades sanctum patriae genus, illud amico  
 Sublato date, de Lauro contextite sertum  
 Alconi mollique hedera, vos dicite, gestet  
 Crinibus hoc Alcon Germanae gloria gentis.

MOERIS. Qualis ubi pullis spoliatur Bistonis ales,  
 Arbore quos celsa curvus rimatus arator  
 Abstulit, aut ligno dejecit rustica pubes:  
 Talis ego, postquam mors sustulit impia vatem.

DAPH. Qualis erat pastor celebres Sulmonis ad undas  
 Qui fida pulcrum dilexit mente Corinnam:  
 Talis erat praestans Alcon dum vita manebat,  
 Callirhoë cui luctus erat, cui Claudia luctus.

MOERIS. Transfixus jaculis vallesque & rura pererrat  
 Cervus, & inquit Cretaei germina floris,  
 Iste levat vulnus, quod lignum missile fecit:  
 At non ulla meum sanat medicina dolorem.

DAPH. Aspicias ut vario pastores carmine certent,  
 Flexibiles hederas & Myrtea ferta gerentes,  
 Aureolis decorent ut tempora nostra libellis,  
 Fallor an hos vincit fandi doctissimus Alcon?

MOERIS. O Nicer, o Nicri tellus, tu condis ad amnem  
 Alconis corpus, nostrum tu solus amorem  
 Contegis & servas, habeas, tibi cessit habendus  
 Pulvis, & umbra, sed est melior pars reddita coelo.

DAPH.

- DAPHN.** Creta Jovem jactat, Delos sed Apolline gaudet,  
Orphea miratur Rhodope, cum viveret Alcon,  
Non Jove gaudebat tellus Cretaca, nec Orpheus  
Carus erat Rhodopae, nec Delo carus Apollo.
- MOERIS.** Hortus aquis gaudet, sed aquae sunt arbore laetae,  
Arbor amat volucrum cantus: carissimus Alcon  
Est nobis, nec aquae multa sunt arbore laetae,  
Non horti lymphis, postquam meus occidit Alcon.
- DAPHN.** Helius est Hestis adamatus: clara Sabino  
Marchia laetatur: noster cum viveret Alcon,  
Non tellus ejus Musis inclaruit una,  
Sed mirabatur cantantem maximus orbis.
- MOERIS.** Cedit hyems, quando ver floribus induit agros,  
Et cervus certo sub sidere cornua ponit,  
At mihi per totum luctus non deficit annus,  
Immo dolor tantus mecum moriatur oportet.
- DAPHN.** Nunc salve procul a curis mortalibus Alcon,  
Luctus in hoc mundo, sed tu nunc gaudia sentis  
Coelicolum, pietas placeat, tibi germina veris  
Nos dabimus Bruma elapsa, nunc suscipe votum.
- MOERIS.** Care vale, decus o nostrum, nunc frigus adurit  
Omnia: servatos tamen aeternos Amaranthos,  
Accipe quos liquidis mea cura refecit ab undis,  
Et Rutam tumulo inspersam, roremque marinum,
- DAPHN.** O Alcon si te potuisses cernere vivum,  
Quos mea non olim fudisset fistula cantus,  
Alconis nomen calamo sublimis tulissem,  
Si mihi Pan illum vel Phoebi dextra dedisset.
- MOERIS.** Sol meus o Alcon Pastor, si vita maneret,  
Quos ego non laeto sentirem pectore plausus.  
Tu mihi vel Phoebus fueras, Orpheusque futurus,  
Si nobis salvus vixisses amplius Alcon.  
Nunc ego non teneo lacrymas: o sidera coeli,  
O coeli sedes, o Jupiter, ah meus ignis  
Vulnus in hoc (pectus monstrabat) triste reliquit.  
Hei cecidit: Non ergo fruar vultuque oculisque,  
Colloquiove eius: Tanta est fiducia Parcae,  
Ut mihi furripiat fratrem, mea numina fratrem?  
O miserum tempus quo vitae flamina iecit.  
Alcon, o Alcon, non amplius, ergo superstes  
Te sine traducam vitam, si vita futura est?  
Non ita: sed dicar rabidis crudelior urfis,  
Si lucis mihi forma placet, si luminis auras  
Appeto. Vos equidem campi, vos gramina testor,  
Immensum Alconis mihi fata tulisse dolorem.

A a a

Sunt

Sunt vobis lacrymae notae gemitusque frequentes.  
 At quia nunc Alcon cecidit meus, obsecro Divos  
 Elysiō ut sedem tribuant in colle perempto.  
 Legibus immanis fati, quando aetheris auras  
 In nostras hunc ferre nequit cura, ardua cura.  
 Tunc libro incumbens (librum gestabat, & illum  
 Dono Alcon dederat) figebat basia libro.  
 Tu mihi, dicebat, minues haec taedia vitae,  
 Elysiis fatum dum me quoque jungat in agris  
 Egregiis animis, & doctis cordibus olim.  
 At tu, care, meum decus, & solatia quondam  
 Care vale, lacrymas atque haec suspiria dono:  
 Quamvis aetherei nunc sedes incolis orbis,  
 Concilia & Divum spectas: tamen usque manebis  
 Cordibus in nostris, haec busta haec altera sunt.  
 Sic moriar si fata velint, sed fata recusant,  
 Tu mea vis fidusque meum, tu summa voluptas,  
 Nunc meus est languor, tenebrae, nunc unica cordis  
 Tristitia. Hei nullis quod legibus atra movetur  
 Parca, nec exaudit, nec flecti gaudet ab ullo.  
 Si voluit fatum nostros sejungere amores  
 Cur non me potius, quam te mihi, frater, ademit,  
 Aut ambos pariter tumulo imposuisset eodem?  
 Sed durum sibi sic fatum placet. Ergo beatus  
 Addicis Elysiis animis, & manibus Alcon  
 Care vale, & lacrymas istas solare dolentis,  
 Quae potui moestis retuli suspiria tumbis.

- DAPHN.** Quo te Moeri dolor? noli turbare salutem  
 Alconis, qui nunc epulis accumbere Divum  
 Gaudet, ab humanae sublatus carcere vitae.  
 Ne turba, gratus non hic dolor accidet umbris.
- MOERIS.** Ismarium deplorat Ityn Pandione nata,  
 Et querulo quiddam ore gemunt subtriste Palumbes,  
 Ac Clytie spectat fugientia lumina solis,  
 Mel decet Alconi tristes afferre querelas.
- DAPHN.** Quid lacrymas urges, est raptus ad optima coeli  
 Gaudia, nos homines coelum aspiramus ad unum,  
 Moeri, tene luctus, non sic revocabitur Alcon.
- MOERIS.** At jacet is primo vitae sub limine, plures  
 Si saltem misero vita accessisset ad annos,  
 Posses aliquo solari istum, mi Daphni, dolorem.
- DAPHN.** Ut jaceat, nobis monumenta aeterna reliquit,  
 Post mortem major succrescet gloria vati.
- MOERIS.** Unicus ego linquo curas quas forte levabit  
 Fannia, jamdudum quae se mihi spondet amicam.

**DAPHN.**

**DAPHN.** Et mea suaviolo minuet suspiria Flora.  
**MOERIS.** Flora tuos, nostros sedabit Fannia lectus.  
**DAPHN.** Sol propior pelago est. ergo tecta alta petamus.  
**MOERIS.** Luna venit, te Daphni sequor, nox ingruit atra.  
**DAPHN.** Desino nunc, cara cum Flora plura canemus.  
 Ista loquebantur, sonuit Nicri amnis, & undis  
 Abdidit ille caput, plorans infantis amici  
 Infandos casus, cursusque inhibebat euntes.  
 Certe erat hoc, nec certa animi me fallit imago,  
 Alcon ille fuit, quemque herbae & moesta vocabant  
 Flumina, nequicquam spargentia verba sub auras.  
 At mihi spes fuerat, dum vixi ad flumina Suevi  
 Conspiciendi ejus, sed spes fuit irrita. Quare  
 Exuviasque colam, monumentaque splendida mundo  
 Ingenii foetus data, nostris qualia terris  
 Nemo prius luit: cumque herbas purpureum ver  
 Reddiderit campis, flores ad busta feremus,  
 Et lacrymans manes intenta voce ciebo.  
 Interea nostris passim notissime terris  
 Terque quaterque Alcon salve: salvete per omnes  
 Busta dies, tibi sit requies, & Claudia dulcis,  
 Callirhoëque tibi assurgant, & basia libent,  
 Ac minuant luctus, si luctus manibus unquam.  
 Haecenus Arctous Corydon & Marchicus Aegon  
 Alconis querulo referebant carmine mortem.  
 Audiit haec Viadrus, jussitque ediscere Suevum.  
 Audiet haec Albis luctuque insister acerbo.  
 Accola nostrae urbis secum per pectora voluit,  
 Et valles istum retulere ad sidera luctum.  
 Jamque index noctis pelagi prodibat ab undis,  
 Mox igitur juvenes Viadri gradiuntur ad urbem,  
 Et fallunt istos somni dulcedine questus,  
 Quandoquidem non fas fuerat revocare jacentem.

E J U S D E M H A S L O B I I  
D E  
P. L O T I C H I O S E C U N D O ,  
PHILOSOPHIAE ARTISQUE MEDICAE DOCTORE, GERMANIAEQUE  
POËTA UT DOCTISSIMO SIC ELEGANTISSIMO ET SUAVISSIMO.

**A**emula Lotichius dum scribit carmina vati,  
Quem gelidis genuit Sulmo refertus aquis.  
Et numeros aequat verborum pondere cultos,  
Sive, Catulle, tuos, sive, Tibulle, tuos:  
Pulcher inexhaustae captus dulcedine vocis  
Ad focios orsus talia Phoebus ait.  
Thracius aut Orpheus nunquam sub Tartara cessit,  
Aut alium nobis Calliopea tulit.  
Pieris excipiens: Non tellus Ausonis, inquit,  
Sed celebres vates Teuton's ora fouet.  
Roma licet tulerit praestantes arte canendi,  
Ipse quibus citharam pleetraque sponte dabas:  
Edidit haud illis Germania lata minores:  
Ista placet cultu, nec minus arte placet.  
Ne referam cunctos, tellus quibus ista superbit,  
Lotichius, palmam cur mereatur, habet.  
Mollia nam pangit jucundo carmina ductu,  
Carmina nativo cuncta lepore fluunt:  
Sive canit Procerum res gestas, sive libellis  
Impariter scriptis nomen habere cupit.  
Stamina si pergent fatales ducere Parcae,  
Inferior nullis carmine Petrus erit.  
Saeva dolens Lachesis Germanos vincere plures,  
Quos vetus Augusti tempore Roma tulit.  
Stamina disrumpens vatis saevissima, nostris  
Eripuit summum finibus ista decus.  
Phoebus ut audivit sublatum funere vatem,  
Lanificae plebi dira precatus, ait.  
Cur tibi sic semper contraria stamina? nectis  
Longa malis: nectis stamina parva bonis.  
Altius ut secum dextrae confiderat ausum,  
Flevit & indoluit de tribus una soror.

EJUS-

( 373 )

E J U S D E M

D E

P E T R I L O T I C H I I

P O Æ M A T I S.

**D**um fleo Lotichii lugubri carmine fatum,  
 Illius ad Viadri flumina cerno libros,  
 Divinos libros, divina Poëmata vatis,  
 In quibus est quicquid Musa leporis habet.  
 Tristis eram nuper, rangunt nunc gaudia pectus,  
 Dum fruor ambrosia nectareisque bonis.  
 Spes mihi nuper erat cernendi corpora vatis,  
 Cernere nunc animi pignora docta licet.  
 Ergo simul luctus, simul & mihi laeta supersunt  
 Gaudia: mors luctum, gaudia scripta ferunt.  
 Laetitiae cedit moeror, salvete libelli,  
 Cum Domino salve docta Camena tuo.  
 Ille tuum tali decoravit corpus amictu,  
 Quem tibi de nostro sanguine nemo dedit.  
 Nemo tibi certe similes Elegera vestes  
 Induit: huic grates optima Diva refer.  
 Tu quoque quae campos colis, huic assurge, meretur  
 Ingenio palmae munera digna suo.  
 Tu quoque Calliope Procerum quae facta recenses,  
 Transfer in aeternos optima scripta dies.  
 Cedite nunc Latii, Germani cedite vates,  
 Hic legimus Phoebi carmina facta manu.



PETRI LOTICHI SECUNDI  
DEDICATIO

Primae editionis Elegiarum & Carminum Paris. apud Vascosan. 1551.

DANIELO STIBARO, EQUITI FRANCO,  
P. LOTICHIUS SECUNDUS S. P. D.

Cum e Sequanis discedens, Lutetiam venissem, & eo mihi de nova Germaniae nostrae perturbatione amicorum literis, multorumque sermone esset allatum, sane pro eo ac debui, gravem animo cepi dolorem. Nam cum in meo ex ea ipsa discessu, ex tacito summorum ordinum consensu, lux quaedam Reipublicae oborta, & fundamenta pacis atque concordiae in amplissimo principum Senatu jacta esse viderentur: non modo belli incendio, sed etiam metu ejus omni atque timore e Republica sublato, eoque in spem amplam & certam boni omnes adducerentur: post tantas calamitates, felicem aliquando rerum commutationem esse futuram, dolebam mehercule animoque angebar, nihil non modo ejusmodi bonorum virorum expectatione dignum, tanto praesertim tempore interjecto esse consecutum. Sed etiam nescio quo fato fortunaque populi Germani accidisse, ut quod tempus ad pristinae dignitatis ornamenta recuperanda, quietis & tranquillitatis plenissimum fore omnes existimabant, id subito ad Reipub. reliquias dissipandas, veteresque incendii flammās reintegrandas plane conversum esse videatur. Qua in cogitatione, sive dolore potius, cum superiorum etiam temporum, quibus ego in ipsa belli acerbissimi tempestate versatus, recordarer, Elegos quosdam meos, quibus ego in tanta rerum omnium conversione, & Reipub. & literarum etiam nostrarum cladem interitumque, justo quidem ac debito animi dolore eluxi, lectione revolvere coepi, in quibus cum & istorum temporum, & meae etiam fortunae imaginem intuerer, Reipub. quidem nomine, quod ita armis afflicta esset, ut diuturno se otio recreare vix posset, eum quem par erat, animo cepi dolorem: mearum autem rerum gratia nihil mihi quidquam molestum esse debere arbitrabar, propterea quod ita natura comparatum, ut quo malorum periculorumque sensus major extitisset, eo plus haberet voluptatis secura istorum recordatio, ut non tam mali atque adversi ego aliquid eo ipso perpeffus, quam ad omnem fortunae impetum atque levitatem tanquam disciplina adhibita informatus mihi esse videar. Eo autem in his versibus relegendis versatus sum lubentius, quo magis ea studia longis intermissa temporibus, nullisque adhuc interea intervallis repetita, ne obsolecerent, renovanda esse putavi exercendo. Quos jam emendatos a me limatosque politius cum in apertum referre cogitarem, in nomine tuo potissimum apparere volui, eosque cum pau-

cis

cis hendecasyllabis mittendos ad te esse putavi: non quod quidquam hinc summo tuo ingenio, exquisita doctrina, singularique judicio dignum lecturum te putem (sum enim in hoc scribendi genere, cum meae mihi imbecillitatis conscius, tum non ignarus, quam in eo ipso difficile atque arduum, nisi singulari aliquis naturae vi ac bonitate ducatur, cogitationes suas sic illustrare ac eloqui possit, ut ad veterum in eo genere suavitatem atque elegantiam simile quidquam expressum esse videatur.) Sed ut eos perpetuae meae in te observantiae, studii atque amoris tamquam praedes atque indices a me habere posses, in quo si, ut spero, excellenti tua virtute & humanitates fretus, officium meum probabis, quod summis maximisque tuis in me beneficiis adjici posthac posse videatur: quae cum tanta sint, ut ego si vitam pro dignitate tua profundam, vix minimam partem eorum videar esse assecutus, studium certe atque amorem tui ita praestabo, ut me eo ipso qui superet, habeas omnino neminem. Vale. Lutetiae Parisiorum Idibus Februarii. 1551. Georgius Gabrielus Stibarum gentilis tuus, & Henricus fratris filius, & Conradus Dimerus, summae spei adolescentes, quos mihi commendasti, salutem vobis dicunt. Vale.



IN.

## I N D E X

EORUM, QUAE HOC TOMO SECUNDÔ  
CONTINENTUR.

- P**etri Lotichii Secundi Historica Narratio de Caede Melchioris Zobelli, Herbipolenfis Episcopi, & Orientalis Franciae Ducis. pag. 1-11.  
 Petri Lotichii Secundi Epistolarum Libri Duo. pag. 13-64.  
 Supplementum Epistolarum P. Lotichii. p. 64. a. usque ad p. 64. i.  
 Vita Petri Lotichii Secundi scripta a Joh. Hagio, Franco, ad Virum Illustr. *Erasmum Neustetterum*. pag. 67-140.  
 Ejusdem Vita a Simone Stenio contracta ex narratione Joh. Hagii. p. 141-144.  
 Ejusdem Vita, auctore Melchiore Adamo, Silesio. p. 145-159.  
 Vita ejusdem per Joh. Petr. Lotichium. p. 160-166.  
 Eadem ex ejusdem Joh. P. Lotichii Bibliotheca Poëtarum Nov-Antiquorum. p. 167-171.  
 De Petro Lotichio Secundo, ex ejusdem Joh. Petr. Lotichii Promulsæ Critica, seu Censura super Poëtis Nov-Antiquis. p. 172-172. d.  
 Vita P. Lotichii altera per Melch. Adamum, Silesium. p. 172. e-172. i.  
 Petri Lotichii Secundi Adoptivorum Libri III. quibus amicorum Salutationes, Funeralia, & Elogia defuncti continentur. p. 173-283.  
 Ejusdem Vaticinia super urbis Magdeburgensis excidio, Germanico idiomate reddita per Mart. Opitium: tum Ch. Pincieri. J. G. Styrtzelii, G. Zyrlini, & aliorum judicia de Vaticiniis istis, & ipso Lotichio. p. 284-300.  
 Illustrium & Clarorum Virorum monitoria ad Joh. Pet. Lotichium, de nova & auctiore operum P. Lotichii editione. p. 301-306.  
 Joh. Boceri Ecloga de morte trium Germaniae Poëtarum Georg. Sabini, Joh. Stigellii, & Petri Lotichii Secundi. p. 307-313.  
 De P. Lotichio Secundo, ex Sebastiani Kortholti Disquisitione de Enthusiasmo Poëtico. p. 314-317.  
 Ejusdem Sebast. Kortholti Disquisitio, utrum Petrus Lotichius Secundus obsidionem urbis Magdeburgensis praedixerit. p. 318-330.  
 Christ. Aug. Heumanni Dissertatio de Somnio poëtico non prophetico Petri Lotichii Secundi. p. 330-334.  
 Joh. Dav. Schreberi Praefatio editioni Dresdensi an. 1702. praefixa. p. 335-338.  
 Joh. Fabricii Montani carmen ad Petr. Lotichium. p. 338-339.  
 De Petro Lotichio Secundo Testimonia & Elogia Virorum Eruditorum p. 340-362.  
 Elogium P. Lotichii Secundi, ex Actis Academiae Heydelbergenfis p. 363.  
 Michaelis Haslobii, Berolinensis, Ecloga Alcon de obitu P. Lotichii Secundi. p. 364-371.  
 Ejusdem Carmina de P. Lotichio, ejusque Poëmatibus. p. 372-373.  
 Petri Lotichii Secundi Dedicatio primae editionis Parisinae Elegiarum & Carminum, Danieli Scibaro inscripta. pag. 374-375.

## I N D E X

ELEGIARUM ET CARMINUM  
PETRI LOTICHII SECUNDI,

Quae in Editione Parisina apud Vascofan. 1551. habentur.

- Dedicatio Danieli Stibaro Equiti  
Franco inscripta.  
*Cum e Sequanis discedens* &c. pag. 1-3.  
Eleg. i.  
*Quaeritis unde leves Elegi* &c. p. 4-5.  
Eleg. ii. ad M. Zobellum.  
*Tu quoque pars charos* &c. p. 5. b-7.  
Eleg. iii. ad J. Micylum.  
*Me tenet Oceani* &c. p. 7. b-9.  
Eleg. iv. ad J. Altum.  
*Fam sene Philyrio* &c. p. 9-10. b.  
El. v. ad Christ. Lotichium.  
*Aequoris expertes* &c. p. 11-12. b.  
El. vi. ad M. Beutherum.  
*Fam tepet a Zebbyris* &c. p. 12. b-14. b.  
El. vii. ad Joh. Hagium.  
*Vota movent Superos* &c. p. 14. b-16.  
El. viii. ad Sylvas.  
*Iusta quaeror* &c. p. 16-18. b.  
El. ix. ad Christoph. Herdesianum.  
*Esse per insidias* &c. p. 18-20. b.  
El. x.  
*Cingite io lauri* &c. p. 20. b-22.  
CARMINUM LIBER.  
Carm. i. ad Dan. Stibarum.  
*Hunc dono tibi* &c. p. 22. b.  
Carm. ii. ad Jul. Micylum.  
*En pulcher tenebras* &c. p. 23.  
Carm. iii. ad Joh. Hagium.  
*Hagi, prime sodalium* &c. p. 23. b.  
Carm. iv. ad Leon. Munsterum.  
*Sollicitas babilis* &c. p. 23.  
Carm. v. ad Melch. Zobellum.  
*Dum te Martius* &c. p. 24.  
Carm. vi. ad Fontem Acin.  
*Valle sub umbrosa* &c. p. 25.  
Carm. vi. ad Joh. Altum.  
*Saepe meae nomen.* p. 25. b.  
Carm. vii. ad G. Sabinum.  
*Immortale decus* &c. p. 26.  
Carm. viii. ad G. Fabricium.  
*Argutae fidicen* &c. p. 26. b.  
Carm. v. Inferiae ad tumulum Martini Steindorfer.  
*Hoc tumulo, Materne,* &c. p. 27.  
Carm. xi. In Pentecosten ad Chr. Lotichium.  
*Da frater mihi* &c. p. 27.  
Carm. xii. ad Nymphas.  
*Fontibus Nymphae.* p. 27. b.  
Carm. xiv. ad Rudelium, & Draconem.  
*Rudeli decus* &c. p. 28.  
Carm. xv. M. Rosa ad Flores Melissae.  
*Sol lucis auctor* &c. p. 29.  
Carm. xvi. ad M. Stojum.  
*Rumor ait, Stoi,* &c. p. 29. b.  
Carm. xvii. ad J. Fabricium Montanum.  
*Montane Aonidum* &c. p. 29. b.  
Carm. xviii. in Defestum Lunae.  
*Sunt aliquid cladis* &c. p. 30.  
Carm. xix. ad Hortulum Claudiae.  
*Salubris hortule* &c. p. 30. b.  
Carm. xx. ad Sidus Borussiacum.  
*O Sidus quid adhuc* &c. p. 31. b.  
Carm. xxi. Inferiae ad tumulum G. Lotichii.  
*Tandem contigimus* &c. p. 32.  
Carm. xxii. ad Marcum Eridanum.  
*Ut vetus hoc merito* &c. p. 32. b.  
Carm.

Bbb

- Carm. xxii. ad G. Cracovium & M. Lucanum.  
*Lucane optime, tuque* &c. p. 33.  
 Carm. xxiv. de Puella Infelici.  
*Abditus arboribus* &c. p. 34.  
 Carm. xxv. de Pegaso equo Aurorae &c.  
*Admonitrix operum* &c. p. 34.  
 Carm. xxvi. ad Plittacum D. Stibari.  
*Pfitace qui vincis* &c. p. 34. b.  
 Carm. xxvii. Inferiae Ulr. Hutteni.  
*Alloquor Hutteni manes* &c. p. 35.  
 Carm. xxviii. ad Mala Aurca.  
*Aurea mala meae* &c. p. 35. b.  
 Carm. xxix. Pro Wolfgango Neustetter.  
*Di violas bospes* &c. p. 36.  
 Carm. xxx. ad Joh. Hagium.  
*Hagi fugit biems* &c. p. 36.  
 Carm. xxxi. ad Matth. Stojum.  
*Quaeris sollicitos* &c. p. 37.  
 Carm. xxxii. ad Puerum suum Id. Octobr.  
*Ternas i puer* &c. p. 37.  
 Carm. xxxiii. ad Suspiria & lacrimas.  
*O praejaga mei* &c. p. 38.  
 Carm. xxxiv. Eleg. ad Lunam.  
*Dum glaciale rigei* &c. p. 38. b. *seqq.*

## I N D E X

## C A R M I N U M E T P O E M A T U M

## P E T R I L O T I C H I I S E C U N D I,

ut habentur in Editione Lipsiensi apud Ernest. Voegelinum an. 1561.

PRIMUS LIBER, ex Parisina editione expressus, decem Elegias continet.

Eleg. 1. de suo opere.

*Quaeritis unde* &c. pag. 1—3.

Eleg. 2. ad Melch. Zobellum.

*Tu quoque pars charos* &c. p. 4—6.

Eleg. 3. ad Jacob. Micillum.

*Me tenet Oceani* &c. p. 7—16.

Eleg. 4. ad Joh. Altum.

*Fam sene Pbillyrio* &c. p. 10—13.

Eleg. 5. ad Christ. Lotichium Fratrem.

*Arquoris expertes* &c. p. 13—16.

Eleg. 6. ad Mich. Beutherum.

*Fam tepet a Zephyris* &c. p. 16—19.

Eleg. 7. ad Joh. Hagium.

*Vota movent Superos* &c. p. 19—22.

Eleg. 8. ad Sylvas.

*Fusta queror* &c. p. 22—27.

Eleg. 9. ad Christ. Herdesianum.

*Esse per insidias* &c. p. 27—30.

Eleg. 10. de restitutione pacis.

*Cingite io lauri* &c. p. 30—33.

SECUNDUS LIBER continet Carmina breviora, & inscribitur

*Liber Carminum.*

1. ad Dan. Stibarum.

*Hunc dono tibi* &c. p. 33.

2. ad Jul. Micillum.

*En pulcher* &c. p. 34.

3. ad Joh. Hagium.

*Hagi, prime sodalium* &c. p. 36.

4. ad Leonard. Munsterum.

*Sollicitas habili* &c. p. 36.

5. ad Melch. Zobellum.

*Illum te Martius* &c. p. 37.

6. ad Fontem Acin.

*Valle sub umbrosa* &c. p. 38.

7. ad Joh. Altum.

*Saepe meae nomen* &c. p. 39.

8. ad

8. ad Georg. Sabinum.  
*Immortale decus* &c. p. 39.
9. ad Georg. Fabricium.  
*Argutae fidicen* &c. p. 40.
10. Inferiae ad tumulum Martini  
Steindorfer.  
*Hoc tumulo* &c. p. 41.
11. in Pentecosten ad Chr. Lotichium.  
*Da frater mihi* &c. p. 42.
12. ad Nymphas.  
*Fontibus Nymphae* &c. p. 43.
13. ad Rudelium & Draconem.  
*Rudeli, decus arbiterque* &c. p. 44.
14. M. Rosa ad Flores Melissae.  
*Sol lucis auctor* &c. p. 45.
15. ad Matth. Stojum.  
*Rumor ait, Stoi,* &c. p. 46.
16. ad Joh. Fabricium Montanum.  
*Montane Aonidum* &c. p. 46.
17. in defectum Lunae.  
*Sunt aliquid cladis* &c. p. 47.
18. ad Hortulum Claudiae.  
*Salubris hortule* &c. p. 48.
19. ad Sydus Borussiacum.  
*O Sidus* &c. p. 49.
20. Inferiae ad Georg. Lotichii fratris  
tumulum.  
*Tandem contigimus* &c. p. 50.
21. ad Marcum Eridanum.  
*Ut vetus hoc merito* &c. p. 51.
22. ad G. Cracovium & M. Lucanum.  
*Lucane optime, tuque* &c. p. 52.
23. de puella infelici.  
*Abditus arboribus* &c. p. 53.
24. de Pegaso equo Aurorae & G. Sa-  
bino.  
*Admonitrix operum* &c. p. 54.
25. ad Psittacum D. Stibari.  
*Psittace, qui vincis* &c. p. 55.
26. Inferiae Ulr. Hutteni.  
*Alloquor Hutteni manes* &c. p. 56.
27. ad Mala Aurea.  
*Aurea mala meae* &c. p. 57.
28. Pro Wolfgango Neustetter.  
*Da violas, hospes* &c. p. 58.
29. ad Joh. Hagium.  
*Hagi, fugit byems* &c. p. 58.
30. ad Matth. Stojum.  
*Quaeris sollicitos* &c. p. 59.
31. ad Puerum suum Idib. Octobr.  
*Ternas, i puer* &c. p. 60.
32. ad Suspiria & Lacrimas.  
*O praesaga mei* &c. p. 62.
33. Elegia ad Lunam.  
*Dum glaciale riget* &c. p. 62—66.
- G. Cracovii Elegia in Obitu P.  
Lotichii, & Epitaphium. p. 67 69.
- Jac. Strasburgi praefatio ad candi-  
dum & eruditum Lectorem. p. 70-  
73.
- G. Fabricii Epistola ad Jacob. Stras-  
burgum. p. 78—80.
- P. Lotichii Epistola ad Paulum Lu-  
therum, praefixa Epithalamio in  
Nuptias Saxonicas. p. 81—83.
- P. Lotichii Carmen in Nuptias Jo-  
hannis Gulielmi Ducis Saxoniae, &  
Sufannae Dorotheae, Frederici  
Electoris Palatini &c. Filiae. p. 84-  
106.
- Mich. Beutheri Genealogia Ducum  
Saxoniae. p. 109—112.
- Genealogia Palatinorum Rheni.  
p. 112—115.
- P. Lotichii Epistola ad Georg. Cra-  
covium, praefixa Epicedio in Me-  
lanchthonem. p. 116—118.
- Epitaphium Philippi Melanchtho-  
nis. p. 119—125.
- LIBRO TERTIO HABENTUR.
1. Ecloga, Viburnus Venator.  
p. 126—130.
2. Ecloga, Nicer, ad Illustriss. Prin-  
cipem Palatin. Othonem Henri-  
cum, utriusque Bavariae Ducem,  
Electorem. cum Epistola Joh. Lan-  
gio Medico inscripta.
3. Ecloga Lycidas ad Pompilium A-  
mafaeum, Romuli Fil. p. 136—139.
4. E-

4. Ecloga Daphnis, ad Bolgangum a Saurau, Ligisti & Harnegii Baronem. p. 139—145
  5. Epicedion in obitum Casparis Crucigeri. p. 145—151
- In LIBRO QUARTO, edito ante Bononiae, cui auctor titulum fecit, *Libellus Carminum*, continentur varia poemata, praefixa Joh. Sambuci ad Henr. Stibari Epistola. p. 152.
1. ad Joh. de Sylva, Lugdunensem, de infelici ex Gallia reditu. *Soliter emensus* &c. p. 154—157.
  2. ad Erasmus Neustetter, de Republ. Aquarum &c. *Dum terrena tenent* &c. p. 157—159.
  3. ad Gul. Rondeletium in obitum Callirhoës. *Sic mihi tristitiam video* &c. p. 159—161.
  4. ad Georg. Sabinum, de celebritate Patavii & studiis suis. *Tu licet in patria* &c. p. 161—164.
  5. ad Gul. Rugerum, de novo amore. *Altera post byemem* &c. p. 164—166.
  6. ad Hilarium Cantiunculam, de peste Patavina, & obitu Dan. Stibari. *Euganeam serpunt* &c. p. 166—168.
  7. in obitum Dan. Stibari. *Dum fugat exorians* &c. p. 168.—171.
  8. ad Joh. Sambucum. *Fata vocant, Sambuce*, &c. p. 172.
  9. ad Greg. Schetum. *Vixi diu curis solutus* &c. p. 173.
  10. Epitaphium Adolphi a Glauburg. *Astra parum viator* &c. p. 174.
  11. Inferiae Modesti Marschalc ab Ostheim. *Hos tibi commendo* &c. p. 175.
  12. ad Bononiam. *Musis amica* &c. p. 175.
  13. ad Marc. Lud. Ziglerum. *Ziglere optime* &c. p. 176.
  14. ad Renatum Henerum. *Si mecum leviter* &c. p. 177.
  15. ad Hilar. Cantiunculam. *Albo candidior* &c. p. 178—179.
  16. Georg. Marius Virceburgensis piis manibus Dan. Stibari. *Quid prodest coelum gemitu* &c. p. 179.
  17. Joh. Sambucus ad sepulcrum D. Stibari. *Hoc tumulo moriens* &c. p. 181.
  18. ad Gregorium Schetum, de Natali suo. *Sebete meus natalis adest* &c. p. 182—185.
  19. Precatio ad Spiritum Sanct. *Patris fervida, Filiique flamma* &c.
- QUINTUS LIBER complectitur Elegias hinc inde ad viros doctos ab auctore scriptas.
1. ad Joach. Camerarium. *Quae legis, unde ferant* &c. p. 186.
  2. de Specie conspecta in aëre supra oppidum Ilenberg, anno 1553. *Hoc coelum, & magnus* &c. p. 190—191.
  3. ad Joh. Stigelium de monumertis prope Nemaufum. *Sidera convexo* &c. p. 191—194.
  4. ad Montem Pessulanum. *Hospes in banc venio* &c. p. 194—196.
  5. ad Georgium Fabricium, *Mitis & Aonidum studiis* &c. p. 197.
  6. ad Sodales. *Aonidum coetus* &c. p. 198.
  7. ad Deichmannum de Cornelia. *Dum riget byberno* &c. p. 198.
  8. ad Georg. Cracovium de Natali suo. *Annua post sacras* &c. p. 199—202.
  9. in Natalem Servatoris nostri Jesu Christi. *Annua natalis* &c. p. 202—208.
  10. ad Spiritum Sanctum precatio. *Ut nova cum Dominus* &c. p. 208—210.
- IN.

# I N D E X

## ELEGIARUM ET CARMINUM

### PETRI LOTICHII SECUNDI,

ita ut inter vulgatas Lipsienſies in editione an. 1586. cum vita  
Lotichii ab J. Hagio deſcripta habentur.

#### LIB. I.

- Eleg. I. ad Jacob Micyllum.  
*Me tenet byberno ſub fidere.* p. 1-3.  
El. II. ad Melchiorẽ Zobellum Com-  
patrem.  
*Sic igitur dulces &c.* p. 4-6.  
El. III. ad Joh. Altum.  
*ſum Sol degocerum &c.* p. 7-9.  
El. IV. ad Chriſt. Lotichium fratrem.  
*Aequoris expertes &c.* p. 9-12.  
El. V. ad Lunam.  
*Dum brumale riget &c.* p. 13-17.  
El. VI. ad Michaelẽ Beutherum.  
*ſam tenet a Zephyris &c.* p. 17-21.  
El. VII. ad Joh. Hagium Francum.  
*Vota morient Superos &c.* p. 21-24.  
El. VIII. ad Sylvas prope Albim.  
*ſuſta queror &c.* p. 24-28.  
El. IX. ad Joh. Varum.  
*Nunc ego, nunc dubii &c.* p. 28-29.  
El. X. ad Chriſtoph. Herdeſianum.  
*Effẽ per infidias iter &c.* p. 30-33.  
El. XI. ad Amicos de reditu in patriam.  
*Cingite ſe lauri &c.* p. 33-36.  
LIB. II.  
El. I. ad Matthiam Stojum.  
*Ecce novum vatem &c.* p. 36-39.  
El. II. ad Davidẽ Cythraeum.  
*Quae legis, ille tuus vates &c.* p. 39-42.  
El. III. ad Joh. Hagium.  
*Quaeris, longa meos numquid &c.* p. 42-44.  
El. IV. ad Joach. Camerarium, de Ob-  
ſidione urbis Magdeburgicae.  
*Si vacat arcanis &c.* p. 45-48.

- El. V. ad Joh. Sambucum.  
*Ibimus uequorcas &c.* p. 49-52.  
El. VI. ad montem Peſſulanum.  
*Hoſpes in banc venio &c.* p. 52-55.  
El. VII. ad Deos maris in funere Del-  
phini.  
*Dum maris, & virides &c.* p. 55-57.  
El. VIII. ad Gregorium Schetum.  
*Schete, meus natalis adeſt &c.* p. 57-60.  
El. IX. ad Renatum Henerum.  
*Quid mihi vobiſcum eſt &c.* p. 60-64.  
El. X. Ad Joh. Stigelium.  
*Sidera convexo dum tu labentia coelo  
&c.* p. 64-66.  
El. XI. ad Erh. Stibarum.  
*Sol abit e Tauro &c.* p. 67-69.  
El. XII. ad Car. Cluſium, Recuſatio  
Laureae coronae.  
*Cluſi, quid viridi cingis &c.* p. 69-70.  
LIB. III.  
El. I. ad Johannẽ de Sylva Lug-  
dunẽſem.  
*Sol iter emenſus &c.* p. 71-74.  
El. II. ad Eraſmum Neuſteſterum,  
Cognom. Scurmer.  
*Dum te rura tenent &c.* p. 74-76.  
El. III. ad Gulielm. Rondeletum.  
*Sic mihi triſtitiam video &c.* p. 76-78.  
El. IV. ad Georgium Sabinum.  
*Tu licet in patria &c.* p. 79-81.  
El. V. ad Gul. Rugerium Compatrem.  
*Altera poſt bienem &c.* p. 81-84.  
El. VI. ad Hilarium Cantianculam.  
*Euganeam ſerpunt contagia &c.* p. 84-86.  
El.

Bbb 3



- El. vi. in obitum Danielis Stibari.  
*Dum fugat exoriens &c.* p. 86 90.  
 El. viii. ad Ortolphum Maroltum.  
*Ignea dum rapidis &c.* p. 90 92.  
 El. ix. ad Joh. Sambucum.  
*Fata vocant, Sambuce, &c.* p. 29.  
 El. x. ad Francisc. Robortellum.  
*Euganeos colles &c.* p. 93-94.

## LIB. IV.

- El. i. ad Joach. Camerarium.  
*Quae legis, unde ferant &c.* p. 95-99.  
 El. ii. ad Phil. Melanchthonem in  
 obitum Jac. Micylli.  
*Flebilis a Nicro &c.* p. 99-104.  
 El. iii. in nuptias Marci Lud. Ziegleri.  
*Si mihi praeteritae &c.* p. 105-111.  
 El. iv. ad Georg. Cracovium, in  
 obitu Ph. Melanchthonis.  
*Dum tepet apricus &c.* p. 112-119.  
 El. v. in obitum Mangoldi ab Hutten.  
*Has tuus inferias &c.* p. 119-124.  
 El. vi. in Natalem Christi.  
*Annua natalis &c.* p. 125-131.  
 El. vii. ad Spiritum Sanctum.  
*Ui, nova cum Dominus &c.*  
 p. 125-131.

## CARMINUM LIB. I.

- Carm. i. ad Dan. Stibarum.  
*Hunc dono tibi &c.* p. 134.  
 Carm. ii. de Philomela.  
*Dum sedet & dulces &c.* p. 134-135.  
 Carm. iii. ad Joh. Hagium.  
*Hagi, prime sodalium meorum &c.*  
 p. 136.  
 Carm. iv. ad tumulum L. Materni  
 militis.  
*Haec, Materne, tibi &c.* p. 136.  
 Carm. v. ad Melch. Zobellum.  
*Dum te Parrhasio &c.* p. 137.  
 Carm. vi. de muro in Sequanis col-  
 lapso.  
*Qua veteris surgunt &c.* p. 138.  
 Carm. vii. in malum poetam.  
*Salax poeta &c.* p. 138.

- Carm. viii. ad Joh. Altum.  
*Saepe meae nomen &c.* p. 139.  
 Carm. ix. ad Car. Clusium.  
*Alpice dum riguo &c.* p. 139.  
 Carm. x. ad J. Fabricium Monta-  
 num.  
*Montane, Anidum comes &c.*  
 p. 140.

- Carm. ix. ad Claudiam.  
*Claudia virginis &c.* p. 141.  
 Carm. xii. Inferiae ad tumul. Fratris  
 Georgii,  
*Tandem post varios &c.* p. 142.  
 Carm. xiii. ad Acin fontem.  
*Aci decus nemorum &c.* p. 142.  
 Carm. xiv. ad Nymphas.  
*Fontibus Nymphae &c.* p. 143.  
 Carm. xv. ad Georg. Fabricium.  
*Argutae fidicen &c.* p. 144.  
 Carm. xvi. Jesu Christo.  
*Has lacrimas &c.* p. 145.  
 Carm. xvii. ad Rudelium & Draco-  
 nem.  
*Rudeli, & Draco &c.* p. 145.  
 Carm. xviii. ad Georg. Cracovium.  
*Lucane optime &c.* p. 146.  
 Carm. xix. pro Wolfg. Neustetter.  
*Da violas bospes &c.* p. 148.  
 Carm. xx. ad Jesum Christum.  
*Jesu Redemptor &c.* p. 148.  
 Carm. xxi. ad Puerum suum in Na-  
 tali Virgilii.  
*Ternas, i, puer &c.* p. 149.  
 Carm. xxii. ad Gregor. Schetum.  
*Vixi diu curis solutus &c.* p. 151.  
 Carm. xxiii. Epitaph. Adolph. a Glau-  
 burg.  
*Asta parum viator &c.* p. 152.  
 Carm. xxiv. ad Ren. Henerum.  
*Si mecum leviter &c.* p. 152.  
 CARMINUM LIB. II.  
 Carm. i. ad Julium Micyllum.  
*Venit laeta dies.* p. 154.  
 Carm. ii. in Effig. militum Germanor.  
*Pudor Deorum &c.* p. 155.  
 Carm.

- Carm. III. in Daphnin Eclogam Ad. Gelphii.  
*Cum nuper altis &c.* p. 155.
- Carm. IV. ad Lauros.  
*Laure quae rapidos &c.* p. 157.
- Carm. V. in Natalem Salvatoris ad M. Stibarum.  
*Quo te carmine &c.* p. 157.
- Carm. VI. ad Greg. Schetum.  
*Dum nos omnibus &c.* p. 158.
- Carm. VII. de Joh. Fr. Ripenli.  
*Laure Palatini &c.* p. 159.
- Carm. VIII. ad Jul. Micyllum Jac. F.  
*En pulcer tenebras &c.* p. 160.
- Carm. IX. ad Chr. Lotichium Fr.  
*Da frater mihi &c.* p. 161.
- Carm. X. ad Leon. Munsterum.  
*Sollicitas habili &c.* p. 162.
- Carm. XI. ad Georg. Sabinum.  
*Immortale decus &c.* p. 163.
- Carm. XII. Inferiae ad tumulum Martini Steindorffer.  
*Hoc tumulo, Materne, &c.* p. 164.
- Carm. XIII. M. Rosa ad Flores Mellissae.  
*Sol lucis auctor &c.* p. 165.
- Carm. XIV. ad Matth. Stojum.  
*Rumor ait, Stoi &c.* p. 166.
- Carm. XV. In Defectum Lunae.  
*Sunt aliquid cladis &c.* p. 166.
- Carm. XVI. ad Hortulum Claudiae.  
*Salubris hortule &c.* p. 167.
- Carm. XVII. ad Sydus Borussiacum.  
*O Sydus, quid adhuc &c.* p. 168.
- Carm. XVIII. ad Marcum Eridanum.  
*Ut vetus hoc merito &c.* p. 170.
- Carm. XIX. de Puella infelici.  
*Abditus arboribus &c.* p. 170.
- Carm. XX. de Pegaso equo Aurorae & G. Sabino.  
*Admonitrix operum &c.* p. 171.
- Carm. XXI. ad Psittacum Dan. Stibari.  
*Psittace, qui vincis &c.* p. 172.
- Carm. XXII. Inferiae ad tumulum Ulrici Hutteni.  
*Alloquor Hutteni manes &c.* p. 173.
- Carm. XXIII. ad mala Aurea.  
*Aurea mala meae &c.* p. 174.
- Carm. XXIV. ad Joh. Hagium Francum.  
*Hagi, fugit biems &c.* p. 175.
- Carm. XXV. ad Matth. Stojum.  
*Quaeris sollicitos &c.* p. 176.
- Carm. XXVI. ad Suspiria & lacrimas.  
*O praesaga mei &c.* p. 177.
- Carm. XXVII. Inferiae Jacobi Marii.  
*Haec tibi, fide Mari &c.* p. 178.
- Carm. XXVIII. Ruta ad Car. Clusium.  
*Ante alias omnes &c.* p. 179.
- Carm. XXIX. In Pagum prope Nicrum.  
*Dum gravis aestivis &c.* p. 180.
- Carm. XXX. Helicana Mario suo.  
*Quam mihi misisti &c.* p. 183.
- Carm. XXXI. Eadem ad Eumdem.  
*Candidus en iterum &c.* p. 185.
- Carm. XXXII. ad Georg. Fabricium.  
*Mitis, & Acnidum studiis &c.* p. 187.
- Carm. XXXIII. de Specie conspecta in aëre &c.  
*Hoc coelum, & magnus &c.* p. 187.
- Carm. XXXIV. Epitaphium Henrici Stibari.  
*Hoc tibi Pierides &c.* p. 189.
- Carm. XXXV. Elegia ad Henr. Stibarum.  
*Quaeritis unde leves Elegi &c.* p. 190.
- Sequuntur Eclogae quinque, *Sarnis, Viburnus, Nicer, Lycidas, Daphnis.* & Sexta in Nuptias Palatinas & Saxonicas.
- Carm. XXXVI. Elegia de fructu Danielis Prophetae.  
*Qui tibi dulcisonos &c.* p. 238 242.
- Carm. XXXVII. Epicedion in obitum Casp. Crucigeri.  
*Summe pater &c.* p. 242-248.
- Carm. XXXVIII. Epigramma in ejusdem Casp. Crucigeri imaginem.  
*Ore tribusque potens &c.* p. 249.
- Carm. XXXIX. Epicedion in mortem Aeg. Mechleri.  
*Sic igitur non est &c.* p. 249.
- Epi-

- Carm. LX. Epithalamium in Nuptias  
Sigfridi Hetteni & Elizabethae  
Lotichiae.
- Sacrae progenies* &c. p. 251-256.  
Petri Lotichii Epistolae aliquot viris  
cruditis scriptae. p. 257-276.  
P. Lotichii Carmina Juvenilia.
1. Martino Rosemanno.  
*Nulla serenatum* &c. p. 277.
  2. de Rosemanno.  
*Care verecundis* &c. p. 78.
  3. Descriptio Itineris Taprunensis.  
*Rure nihil pejus* &c. p. 280.
  4. M. Rosemanno.  
*Vade tui vatis* &c. p. 282.
  5. Eidem.  
*Si potes ingenuos* &c. p. 283.
  6. Eidem.  
*Si te deliciae* &c. p. 283.
  7. Bitterfeldt urbis Etymon.  
*Nomen amarities* &c. p. 284.
  8. Querela amatoris.  
*Sol lucis auctor occidit* &c. p. 284.
  9. Rosemanno.  
*Martine optime* &c. p. 285.
  10. Eva.  
*Nunc scio, quid sit amor* &c. p. 286.
  11. Rosemanno & Alto.  
*Martine optime, tuque dulcis A'te* &c. p. 286.
  12. suo Rosemanno.  
*Maxime mi Martine* &c. p. 287.
  13. suo fideri.  
*Forte regas fidus* &c. p. 287.
  14. Gul. Rugero.  
*Si sitire voles* &c. p. 288.
  15. Hartmanno Schoppero.  
*Si sint ista tuae* &c. p. 288.
  16. ad Paulum Pellonium.  
*Paule, puer teneris* &c. p. 289.
  17. ad Victorin. Strigelium.  
*Mirabar quidnam* &c. p. 290.
  18. ad Deichmannum de Cornelia.  
*Dum riget biberno* &c. p. 291.
  19. Dav. Chytraeo.  
*Pars animae, Chytraee, meae* &c. p. 292.
  20. Martino Fabro.  
*Care Faber, quem non* &c. p. 293.
  21. Johanni Hagio.  
*Hagi delictum* &c. p. 294.
  22. eidem Hagio.  
*O jucunda meae* &c. p. 296.
  23. Car. Clusio.  
*Si mea mens in te* &c. p. 299.
  24. Eidem Clusio.  
*Clusi pars vitae* &c. p. 301.
  25. Elegia ad Gul. Rondeletium.  
*Sic mihi tristitiam video* &c. p. 302.
  26. in Gul. Rondeletii Historiam Pis-  
cium.  
*Qui primus latum* &c. p. 305.
  27. Adamo Gelphio.  
*Dum te blanda sovet* &c. p. 306.
  28. de Daphnide suo ad Adam. Gel-  
phium.  
*Falsa tuo sparsit* &c. p. 307.
  29. Adam. Gelphio.  
*Cantus, amici* &c. p. 308.
  30. Gelphio suo.  
*Ni tua nota fides* &c. p. 309.
  31. Sebast. Hagelio.  
*Neluge, venerande senex* &c. p. 309.
  32. Inferiae ad tumulum Modesti  
Marschalci ab Ostheim.  
*Hos tibi commendo cineres* &c. p. 310.
  33. ad Hilarium Cantianculam.  
*Albo candidior* &c. p. 310.
  34. Hermann Schoppero.  
*Tempus erat rutilo* &c. p. 311.
- His adjiciuntur Epicedia in obitum P.  
Lotichii nonnulla a p. 315. usque  
ad p. 386. & P. Lotichii vita per  
Joh. Hagium Francum.

# I N D E X

## ELEGIARUM ET CARMINUM PETRI LOTICHII SECUNDI, QUAE IN CODICE MS. HABENTUR.

- Eleg. i. ad Inclytum Heforum Principis filium Gulielmum.  
*Inclyte semideum de sanguine nate parentum &c.*
- Eleg. ii. ad Jacob. Micyllum:  
*Vade tui pro me doctas hinc Vatis ad aures &c.*
- El. iii. de fructu Danielis Prophetae.  
*Quis tibi dulcifonos, Jessaee poemata &c.*
- El. iv. in obitum Casparis Crucigeri.  
*Summe pater, sobolesque patris &c.*
- El. v. in mortem Aegidii Mechleri Theologi.  
*Sic igitur non est jus &c.*
- El. vi. ad Johannem Hagium.  
*O jucunda meae pars consuetudinis, Hagi.*
- El. vii. ad Dan. Stibarum.  
*Quaeritis unde leves Elegi, vel cujus ad aures &c.*
- El. viii. Helicana Mario suo.  
*Quam mihi misisti procul buc &c.*
- El. ix. Eadem Eidem.  
*Candidus en iterum &c.*
- El. x. ad Hermannum Schopperum.  
*Tempus erat, rutilo cum surgunt &c.*
- El. xi. In pagum prope Nicrum.  
*Dum gravis aestivis &c.*
- Appendix Carminum, quae adolescens scripsit, seu Lib. ii. Carmin. Juvenilium :
- i. ad Georgium Marium.  
*Fide Mari, cujus placidus cor molle Cupido &c.*
2. de Baccho & Nymphis, ad eundem.  
*Bacchus amat Nymphas &c.*
3. de Sequana, Albi, & Nicro fluminibus, ad eundem.  
*Sequana jucundus mihi, sed jucundior Albis &c.*
4. Eidem Georgio Mario suo.  
*Pars jucunda sodalium meorum &c.*
5. ad H. Sthenium.  
*Semper amo, Stbeni, &c.*
6. ad Joh. Gulielmum Ducem Saxoniae.  
*Inclyte Dux, magni qui nomen utrumque parentis &c.*
7. ad Marcum Eridanum, in die natali suo,  
*Dicamus bona, Marce, verba &c.*
8. ad Martinum Seydemanuum de natali illius.  
*Et vino, & fidibus, tuo sacram &c.*
9. de urbe Magdeburgensi.  
*Leucoreae Phoebus cum moenia linqueret urbis &c.*
10. Epitaphium Gertrudis conjugis Jacobi Micylli.  
*Uxor in hoc tumulto &c.*
11. Johanni Waltzbergero.  
*Ibis turrigeram procul Viennam &c.*
12. ad Matthiam Stojum & Casparem Crucigerum.  
*Tempus adest iterum &c.*
13. P. Lotichius Sec. sub effigie sua, cum in Gallias abiret.  
*Talis adhuc juvenis Lotichius &c.*
14. ad Bononiam Italiae civitatem.  
*Musis amica, dedicata Gratiis &c.*
15. ad Marc. Ludovicum Ziglerum.  
*Ziglere optime &c.*
- Sequitur P. Lotichii Historica Narratio de Caede Reverendissimi

Ccc

Prim.

Principis D. D. Melchioris Zobelli, Herbipolensis Episcopi, & Orientalis Franciae Ducis.  
Ejusdem Lotichii Epistolarum Libri Duo.

P. Lotichii Secundi vita a diversis Auctoribus Scripta.  
—— Adoptivorum Libri Tres.  
—— Testimonia & Elogia Virorum Doctorum de P. Lotichio Secundo.

# I N D E X

## C A R M I N U M E T P O Æ M A T U M

### P E T R I L O T I C H I I S E C U N D I,

ita ut in nova hac Editione digesta sunt.

#### L I B. I. E L E G I A R U M.

- Eleg. I.** ad Jac. Miccyllum.  
*Ma tenet biberno* &c. pag. 1-7.  
**El. II.** ad Melch. Zobellum.  
*Sic igitur dulces* &c. p. 8-17.  
**El. III.** ad Joh. Altum.  
*Jam Sol Aigocerum* &c. p. 17-23.  
**El. IV.** ad Christ. Lotichium.  
*Aequoris expertes* &c. p. 24-31.  
**El. V.** ad Lunam.  
*Dum brumile riget* &c. p. 31-41.  
**El. VI.** ad Mich. Beutherum.  
*Jam tepet a Zephyris* &c. p. 42-50.  
**El. VII.** ad Joh. Hagium.  
*Vota morient Superos* &c. p. 50-55.  
**El. VIII.** ad Silvas prope Albim.  
*Iusta queror* &c. p. 56-65.  
**El. IX.** ad Joannem Varum.  
*Nunc ego, nunc dubii* &c. p. 65-68.  
**El. X.** ad Christoph. Herdelianum.  
*Esse per insidias* &c. p. 69-76.  
**El. XI.** ad Amicos.  
*Cingite io lauri* &c. p. 77-83.

#### L I B. II.

- El. I.** ad Matth. Stojum.  
*Ecce novum vatem* &c. p. 84-89.  
**El. II.** ad Dav. Chytraeam.  
*Quas legis, ille tuus* &c. p. 89-93.

- El. III.** ad Joh. Hagium.  
*Quaeris, longa meos* &c. p. 94-98.  
**El. IV.** ad Joach. Camerarium.  
*Si vacat arcanis* &c. p. 99-108.  
**El. V.** ad Joh. Sambucum.  
*Ibimus aequoreas* &c. p. 109-116.  
**El. VI.** ad Montem Pessulanum.  
*Hospes in banc venio* &c. p. 117-129.  
**El. VII.** ad Deos Maris, in funere Delphini.  
*Di maris, & virides* &c. p. 124-127.  
**El. VIII.** ad Gregorium Schetum.  
*Schete, meus natalis adest* &c. p. 128-135.  
**El. IX.** ad Renatum Henerum.  
*Quid mihi vobiscum est* &c. p. 136-149.  
**El. X.** ad Joh. Stigelium.  
*Sidera convexo* &c. p. 145-150.  
**El. XI.** ad Erh. Stibarum.  
*Sol abit e Tauro* &c. p. 151-155.  
**El. XII.** ad Car. Clusium.  
*Clusi, quid viridi* &c. p. 156-158.  
**El. XIII.** ad Georg. Cracovium.  
*Annua post sacras* &c. p. 159-163.  
**El. XIV.** ad Gulielmum, Hesperum.  
Principis filium.  
*Inclyte semideum* &c. p. 164-169.  
**El. XV.** ad Jac. Miccyllum.  
*Vade tui pro me* &c. p. 169-174.

LIB.

## LIB. III.

El. I. ad Joh. de Silva Lugdunensem.  
*Sol iter emensus &c.* p. 175-183.

El. II. ad Erasmus Neustetterum.  
*Dum te rura tenent &c.* p. 184-187.

El. III. ad Gul. Rondeletium.  
*Sic mihi tristitiam video &c.* p. 188-194.

El. IV. ad Georg. Sabinum.  
*Tu licet in patria &c.* p. 195-202.

El. V. ad Gul. Rugerium.  
*Altera post biemem &c.* p. 203-207.

El. VI. ad Hilarius Cantiunculam.  
*Euganeam serpunt &c.* p. 208-212.

El. VII. in obitum Dan. Stibari.  
*Dum fugat exoriens &c.* p. 213-221.

El. VIII. ad Ortolphum Maroltum.  
*Igne dum rapidis &c.* p. 222-227.

El. IX. ad Joh. Sambucum.  
*Fata vocant, Sambuce, &c.* p. 228-231.

El. X. ad Franc. Robortellum.  
*Euganeos colles &c.* p. 232-236.

## LIB. IV.

El. I. ad Joach. Camerarium.  
*Quae legis, unde ferant &c.* p. 227-246.

El. II. ad Phil. Melanchthonem.  
*Flebilis a Nicro &c.* p. 247-258.

El. III. in Nuptias M. L. Ziegleri.  
*Si mihi praeteritae &c.* p. 259-278.

El. IV. ad Georg. Cracovium, in obitum Phil. Melanchthonis.  
*Dum tepet apricus &c.* p. 279-294.

El. V. in obitum Mangoldi ab Hutten.  
*Has tuus inferias &c.* p. 295-307.

El. VI. in Natalem J. Christi.  
*Annua natalis &c.* p. 308-320.

El. VII. ad Spiritum Sanctum.  
*Ut, nova cum Dominus &c.* p. 321-323.

## LIB. V.

El. I. de Philomela.  
*Dum sedet, ac dulces &c.* p. 324-325.

El. II. de Muro in Sequanis collapsio.  
*Qua veteris surgunt &c.* p. 326-327.

El. III. ad Julium Micyllum, de Natali Christi.  
*Venit laeta dies &c.* p. 328-329.

El. IV. ad Leon. Munsterum.

*Sollicitas babili &c.* p. 330.

El. V. ad Marc. Eridanum.  
*Ut vetus hoc merito &c.* p. 331.

El. VI. de puella infelice.  
*Abditus arboribus &c.* p. 332-333.

El. VII. de Pegaso, & G. Sabino.  
*Admonitrix operum &c.* p. 334.

El. VIII. ad Psittacum D. Stibari.  
*Psittace, qui vincis &c.* p. 335.

El. IX. ad Mala Aurea.  
*Aurea mala, meae &c.* p. 337-340.

El. X. ad Matth. Stojum.  
*Quaeris sollicitos &c.* p. 340-342.

El. XI. ad Car. Clusium, de Ruta.  
*Ante alias omnes &c.* p. 343-346.

El. XII. ad Villam Phyllidis.  
*Dum gravis aestivis &c.* p. 346-351.

El. XIII. Helicana Mario.  
*Quam mihi misisti &c.* p. 352-357.

El. XIV. Eadem ad Eundem.  
*Candidus en iterum &c.* p. 358-360.

El. XV. ad G. Fabricium.  
*Mitis, & Aonidum &c.* p. 360-361.

El. XVI. de Specie conspecta in aëre  
&c.  
*Hoc coelum, & magnus &c.* p. 361-364.

El. XVII. ad Dan. Stibarum.  
*Quaeritis unde leves Elegi &c.* p. 364-373.

El. XVIII. de fructu Danielis Prophetarum.  
*Qui tibi dulcisonos &c.* p. 373-380.

El. XIX. in obitum Casp. Crucigeri.  
*Summe Pater &c.* p. 381-393.

El. XX. in mortem Aegidii Mechleri.  
*Sic igitur non est &c.* p. 393-396.

El. XXI. ad Renatum Henerum.  
*Carmina dum facili &c.* p. 397-402.

## LIB. I. CARMINUM.

I. ad Dan. Stibarum.  
*Hunc dono tibi &c.* p. 405.

2. ad Joh. Hagium.  
*Hagi, prime sodalium &c.* p. 406.

3. ad tumulum L. Materni.  
*Haec, Materne, tibi &c.* p. 408.
  4. ad Melch Zobellum.  
*Dum te Parrasio &c.* p. 409.
  5. in Malum Poëtam.  
*Salux poëta &c.* p. 410.
  6. ad Car. Clusium.  
*Adspice, dum riguo &c.* p. 412.
  7. ad Joh. Altum.  
*Saepe meae nomen &c.* p. 413.
  8. ad Joh. Fabricium Montanum.  
*Montane, Aonidum &c.* p. 416.
  9. ad Claudiam.  
*Claudia, virginei &c.* p. 418.
  10. Inferiae ad tumulum G. Lotichii Fratris.  
*Tandem post varios &c.* p. 419.
  11. ad Acin Fontem.  
*Acin, decus nemorum &c.* p. 421.
  12. ad Nymphas.  
*Fontibus Nymphae &c.* p. 423.
  13. ad G. Fabricium.  
*Argutae fidicen &c.* p. 424.
  14. Jesu Christo S.  
*Has lacrimas &c.* p. 425.
  15. ad Rudelium & Draconem.  
*Rudeli, & Draco, &c.* p. 428.
  16. ad G. Cracovium & M. Lucanum.  
*Lucane optime &c.* p. 429.
  17. pro Wolfg. Neustetter.  
*Da violas, bospes, &c.* p. 432.
  18. ad Jesum Christum.  
*Jesu redemptor &c.* p. 433.
  19. in Natalem Virgilii.  
*Ternas, i puer, &c.* p. 435.
  20. ad Gregorium Schetum.  
*Vixi diu curis &c.* p. 438.
  21. Epitaphium Adolphi a Glauburg.  
*Adsta parum viator &c.* p. 440.
  22. ad Renatum Henerum.  
*Si mecum leviter &c.* p. 441.
  23. ad Georg. Marium.  
*Fide Mari, cujus &c.* p. 442.
  24. de Baccho & Nymphis.  
*Bacchus amat Nymphas &c.* p. 443.
  25. de Sequana, Albi, & Nicro.  
*Sequana jucundus mihi &c.* p. 445.
  26. Georgio Mario.  
*Pars jucunda fodalium &c.* p. 446.
  27. ad Hilarium Cantianculam.  
*Albo candidior &c.* p. 447.
  28. ad H. Sthenium.  
*Semper amo, Stbeni, &c.* p. 450.
  29. ad Joh. Gulielmum, Ducem Saxoniae.  
*Inclyte Dux &c.* p. 450.
  30. ad Marcum Eridanum.  
*Dicamus bona &c.* p. 451.
  31. ad Martinum Seydemannum.  
*Et vino, & fidibus &c.* p. 452.
  32. de Urbe Magdeburgensi.  
*Leucoreae Phoebus &c.* p. 454.
  33. Epitaphium Gertrudis conjugis Jacobi Micylli.  
*Uxor in hoc tumulo &c.* p. 455.
  34. Johanni Waltzbergero.  
*Ibis turrigeram &c.* p. 459.
  35. ad Matth. Stojum & Casp. Crucigerum.  
*Tempus adest iterum &c.* p. 457.
  36. Auctor sub Effigie sua.  
*Tulis adhuc juvenis &c.* p. 459.
  37. ad Bononiam.  
*Musis amica &c.* p. 459.
  38. ad M. L. Ziglerum Ict.  
*Ziglere optime &c.* p. 461.
- LIB. II. CARM.
1. In effigiem Milit. German.  
*Pudor Deorum &c.* p. 462.
  2. in Daphnim Eclogam Ad. Gelphii.  
*Cum nuper altis &c.* p. 463.
  3. ad Lauros.  
*Lauri, quae rapidus &c.* p. 465.
  4. ad Mart. Stibarum, in natalem Christi.  
*Quo te carmine &c.* p. 466.
  5. ad Gregorium Schetum.  
*Dum nos omnibus &c.* p. 467.
  6. de Joh. Francisco Ripensi.  
*Laure, Palatini &c.* p. 469.
7. de

7. ad Julium Micellum in natalem Christi.  
*En pulcher tenebras &c.* p. 470.
8. in Pentecosten ad Christ. Lotichium Fr.  
*Da frater mihi &c.* p. 472.
9. ad G. Sabinum.  
*Immortale decus &c.* p. 473.
10. Inferiae ad tumulum Materni Steindorffer.  
*Hoc tumulo, Materne, &c.* p. 475.
11. M. Rosa ad Flores Melissae.  
*Sol lucis auctor &c.* p. 477.
12. ad Matth. Stojum.  
*Rumor ait, Stoi, &c.* p. 478.
13. in defectum Lunae.  
*Sunt aliquid cladis &c.* p. 478.
14. ad Hortulum Claudiae.  
*Salubris bortule &c.* p. 479.
15. ad Sidus Borussiacum.  
*O Sidus, quid adhuc &c.* p. 481.
16. Inferiae ad tumulum Ulrici Hutteni.  
*Adloquor Hutteni manes &c.* p. 483.
17. ad Joh. Hagium.  
*Hagi, fugit biems &c.* p. 485.
18. ad Suspiria & lacrimas.  
*O praesaga mei &c.* p. 487.
19. Manibus Jac. Marii.  
*Haec tibi, fide Mari, &c.* p. 488.
20. Epitaphium Henr. Stibari.  
*Hoc tibi Pierides &c.* p. 489.
21. in imaginem Casp. Crucigeri.  
*Ore tribusque potens &c.* p. 490.
22. Epithalamium in Nuptias Sigfridi Hetteni & Eliz. Lotichiae.  
*Sacrae provenies Jovis &c.* p. 491-498.
- LIB. III. CARMIN.
1. Martino Rosemanno.  
*Nulla serenatum &c.* p. 499.
2. de Rosemanno.  
*Care verecundis &c.* p. 500.
3. Descriptio Itineris Taprunensis ad Rosemannum.  
*Rure nihil pejus &c.* p. 504.
4. eidem Rosemanno, ad Musam.  
*Vade tui vatis &c.* p. 506.
5. Eidem Rosemanno.  
*Si potes ingenuos &c.* p. 507.
6. Eidem Rosemanno.  
*Si te deliciae &c.* p. 509.
7. Bitterfeldt urbis Etymon.  
*Nomen amarities &c.* p. 510.
8. Querela amatoris.  
*Sol lucis auctor &c.* p. 511.
9. Martino Rosemanno.  
*Martine optime &c.* p. 512.
10. Eva.  
*Nunc scio, quid sit amor &c.* p. 513.
11. Rosemanno & Alto.  
*Martine optime, &c.* p. 515.
12. Rosemanno suo.  
*Maxime mi &c.* p. 517.
13. suo fideri.  
*Forte rogas fidus &c.* p. 517.
14. Gul. Rugero.  
*Si fitire voles &c.* p. 518.
15. Hartmanno Schoppero.  
*Si sint ista tuae &c.* p. 519.
16. ad Paulum Pellonium.  
*Paule, puer teneris &c.* p. 520.
17. ad Victorin. Strigelium.  
*Mirabar quidnam &c.* p. 521.
18. ad Sodales.  
*Aonidum coetus &c.*
19. ad Deichmannum de Cornelia.  
*Dum riget biberno &c.* p. 523.
20. Dav. Chytraco.  
*Pars animae &c.* p. 524.
21. Martino Fabro.  
*Care Faber, quem non &c.* p. 525.
22. Johanni Hagio.  
*Hagi delictum &c.* p. 527.
23. Eidem Hagio.  
*O jucunda meae &c.* p. 530.
24. Georgio Cracovio.  
*Artis Pieriae &c.* p. 536.
25. Epithalamium in Nuptias Georg. Cracovii, & Sarae Bugerthagiae.  
*Forte rogas, taedis &c.* p. 537-546.



26. Car. Clusio.  
*Si thea mens in te &c.* p. 547.
27. Ejdem Clusio.  
*Clusi, pars vitae &c.* p. 549.
28. Elegia ad Gul. Rondeletium.  
*Sic mihi tristitiam &c.* p. 551. 555.
29. in Gul. Rondeletii Historiam Piscium.  
*Qui primus latum &c.* p. 556-558.
30. Adamo Gelpio.  
*Dum te blanda fovet &c.* p. 559.
31. de Daphnide suo ad Adam. Gelpium.  
*Falsa tuo sparsit &c.* p. 560.
32. Ad. Gelpio.  
*Cantus, amici &c.* p. 561.
33. Gelpio suo.  
*Ni tua nota fides &c.* p. 562.
34. Sebast. Hagelio.  
*Ne luge venerande senex &c.* p. 563.
35. Inferiae ad tumulum Modesti Marschalc ab Ostheim.  
*Hos tibi commendo cineres &c.* p. 563.
36. Hermanno Schoppero.  
*Tempus erat rutilo &c.* p. 564.
1. Sarnis Venator.  
*Jam gelidos &c.* p. 569-578.
2. Viburnus Venator.  
*Forte quiescebat &c.* p. 578-586.
3. Nicer, ad Othonem Henricum, utriusque Bavariae Ducem &c.  
*Astrorum nitidos &c.* p. 587-599.
4. Lycidas, ad Pompilium Amasaeum Romuli filium.  
*Si vacat, & dulces &c.* p. 594-599.
5. Daphnis, ad Bolgangum a Saurau, Ligisti & Harnegii Baronem.  
*Irrigui juxta fontem Acidis &c.* p. 599-609.
- EPITHALAMIUM in Nuptias Johannis Gulielmi Saxoniae Ducis, & Susannae Dorotheae Comitissae Palatinae.  
p. 610-647.
- Epithalamium in Nuptias Ulrici Sitzingeri & Annae Munsterae.  
p. 648-655.
- Carmen ad Fredericum a Folkersum Livoniensem.  
p. 656.
- Matthiae Stoji carmen ad eundem.  
p. 657.

F I N I S.







THE BORROWER WILL BE CHARGED  
AN OVERDUE FEE IF THIS BOOK IS NOT  
RETURNED TO THE LIBRARY ON OR  
BEFORE THE LAST DATE STAMPED  
BELOW. NON-RECEIPT OF OVERDUE  
NOTICES DOES NOT EXEMPT THE  
BORROWER FROM OVERDUE FEES.





